DISCEPTATIO
ET
Iuſta Defenſio
SEPTEM
CONTROVERSIARVM.

De
- Lege & Mandatorum obſervatione.
- Prædeſtinatione.
- Canone S. Scripturæ.
- Infallibilitate Eccleſiæ.
- Præſentiâ Chriſti in Euchariſtiâ, & Tranſub-ſtantiatione.
- Communione ſub vtraque ſpecie.
- Cultu B. Mariæ Virginis.

SVPER
COLLATIONE
Verbo ſcriptoq; habitâ inter duos Patres Embricenſes è Societate IESV, & duos Miniſtros Reformatæ Religionis.

Adverſus
D. PETRUM CABELJAVIUM,
Miniſtrum Leidenſem, & Provocatorem,

AUCTORE
P. NICOLAO SCHATEN
è Soc. IESV.

ANTVERPIÆ,
Apud Cornelium Woons, 1657.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISTOLA DEDICATORIA

REVERENDISSIMO ac ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI ET DOMINO

D. FRANCISCO GUILIELMO

EPISCOPO RATISBONENSI OSNABRUGENSI, MINDENSI, ET VERDENSI, S.R.I PRINCIPI.

Comiti de VVartenberg & Schaumburg Domino in Walt & Hackenburg, &c.

Domino Clementiſſimo

NOn ego unquam Illust. Princeps tenuitatis meę mihi conſcius, perbreve hoc reſponſum contra adverſarium Catholicæ Fidei ſuſcepiſſem, niſi me obluctantem Catholicorum preces ex inſultante partium ſtudio

Digitized by Google

quotidie magis accenſe permoviſſent: multo certe minus in tuum ſplendoris, & nominis ſinum deferre nunc auderem, niſi quantum me Tuæ CELSITUDINIS retrahebat ſpectata inter Principes Imperii reverentia, tantum ſimul patrocinii, præſtitæque immerito benevolentiæ revocaret fiducia. Et vero, utcunque auctoritate veterum ad nos deductam poſſidemus conſuetudinem dicandorum librorum: in Controverſiis ſanè fidei non tam ad Aſſertores, & patronos, quam ad cognitores & judices accedendum eſt. Ad quos vero primum, quam ad Epiſcopos? quos *Spiritus Sanctus*
Act. 20, *poſuit regere Eccleſiam Dei.* Quoſque in Conciliis, cauſiſque fidei tam publicis quam privatis ſupremos judices conſtitutos probè ſcimus. Hoc inſtituto D. Auguſtinus libros ſuos contra Julianum Hæreticum Claudio Epiſcopo cognoſcendos obtulit, alios aliis cenſendos dedit. Nam uti graviſſimorum, jam vita functorum Epiſcoporum, Baſilii, Nazianzeni

zeni, Irenæi, Cypriani, Reticii, Olympii Hiſpani, Hilarii, Ambroſii, Chryſoſtomi auctoritate, ſua ſcripta quam maxime firmata cenſebat; ita ſe in vivorum adhuc Epiſcoporum judicio tutiſſimum præſidium habere cognoſcebat. De utriſque hoc ejus pronuntiatum. *Iſti Epiſcopi ſunt docti graves, ſancti, veritatis acerrimi defenſores adverſus garrulas vanitates: Quorum fides adverſum te Julianum ita defenditur, ſicut contra impios, & profeſſos inimicos etiam ipſum defenditur Euangelium.* Magnum profecto præjudicium ex tanti viri judicio contra adverſarios noſtros, nec ſine ſolido Religionis noſtræ firmamento. Quid enim? Cum fulgentiſſimus ille ordo Epiſcoporum cum ſuprema poteſtate, & juriſdictione ſit datus Eccleſiæ, & per eum deinde perpetua Sacerdotum ſucceſſio cum intaminatâ fide nobis in manus tradatur, veluti fideliſſimos, & deſtinatos à Deo cuſtodes divini Teſtamenti, quo ſecurius, quàm ad Epi-

lib. 2. contra Iul.

lib. 1. contra Iul. Epiſcopos perfugium? *Quod credunt, credo, quod tenent, teneo, quod docent, doceo.* Ea verò ſibi inhærens ſucceſſio, in quo nervus eſt Religionis, cum in toto orbe Catholico ſe ad cognoſcendam veritatem repræſentet, tum in noſtrâ cauſâ. Nimirum S. Willebrordus cum duodenis Apoſtolicis viris ex Angliâ in haſce partes Germaniæ à Deo deſtinatus, & primus Ultrajectenſium Epiſcopus à Sergio Pontifice conſecratus, quot ab illo Epiſcopi, & Epiſcoporum ſedes? inter quas Oſnabrugenſis uti antiquiſſima inter Saxoniæ thronos, ita S. Wihonem S. Willebrordi diſcipulum ſortita eſt primum Epiſcopum; in illo ordine tu quinquageſimus ſeptimus es, ut jam à rivo ad fontem pro defenſione avitæ fidei nobis juſta ſimul ſit regreſſio, ibique digna ſit appellatio, ubi mutua illigataque eſt ſucceſſio. Habes in Ratisbonenſi ſede S. Winibaldum, ut quidam volunt, ſocium S. Willebrordi, aut certè S. Garibaldum à

S.Bo-

Digitized by Google

S. Bonifacio diſcipulo S. Willebrordi Epiſcopum conſtitutum ex Imperio Gregorii III. à quo Ordinaria ſucceſſionis primùm propagatio; in illa ſerie tu quinquageſimus nonus es Epiſcopus. Habes in Mindenſi S. Herimbertum virum Apoſtolicum, miraculis illuſtrem, & à Carolo M. datum, à quo rurſum quinquageſimus nonus es Epiſcopus. Habes in Verdenſi S. Swibertum, quantum Germaniæ Apoſtolum & miraculorum ſidus! teſtis S. Marcellinus, & S. Ludgerus; in hoc ordine Epiſcoporum quinquageſimus quintus es. Sed non tam illud me trahebat, ut ad tuam tutelam confugerem, quàm quòd te in hâc tempeſtate bellorum, atque hæreſis dominantis, veluti unum ex primis illis Epiſcopis in Romanâ fide, & integritate intuerer, qui eo fervore cadentem prope Religionem erigeret, quo illi ſurgentem primò fundarant. *Ecce quo te introduxi?* inquit Auguſtinus, *Conventus Sanctorum iſtorum Epiſco-* lib. 1. contra Iul.

Digitized by Google

ſcoporum, non eſt multitudo popularis. Non ſolum Filii ſed & Patres Eccleſiæ ſunt, ex illo numero ſunt, de quibus prædictum eſt. PRO PATRIBUS TUIS NATI TIBI SUNT FILII. CONSTITUES EOS PRINCIPES SUPER OMNEM TERRAM. *Ex qua Eccleſia Filii generati ſunt, ut hæc diſcerent; ejus Patres facti ſunt, ut hæc docerent.*

Pſal.44. Pſal.44.

Adde cæteros PP. interpretes; conſule Hieronymum ſuper hoc vaticinio. *Fuerunt*, ait ille, *O Eccleſia! Apoſtoli Patres tui; quia ipſi te genuerunt, nunc autem, quia ipſi receſſerunt de mundo, habes pro his Epiſcopos Filios, imo Principes Eccleſiæ Epiſcopi conſtituti ſunt.* Inter hos ego te aſpicio ut Principem, ut Epiſcopum, ut Patrem, & ut Filium Eccleſiæ ex iis qui, ut S. Auguſtinus ſcripſit de Epiſcopis. *Catholicam fidem in lacte materno ſuxerunt & in cibo ſumpſerunt.* Ac PRINCIPEM quidem S. R. Imperii, in quo omnes Chriſtiani Principis virtutes miro temperamento con-

lib. 11. contra Jul.

concurrunt. Non illa tantum ſanguinis decora, ex Bojorum Ducum ſereniſſimâ familiâ; ſed illa longe pulchriora virtutum ornamenta, quæ à prudentiâ, juſtitiâ, fortitudine, temperantiâ, liberalitate, clementiâ, & multarum rerum uſu, & perſpicaci ingenio ducuntur, quibus ita emines, occupaſque propemodum ſingula, ut hic meum judicium ſit infra horum æſtimationem.

At verò quem Epiſcopum te exhibes? Eâ vitæ integritate quâ hoſtium oculos perſtringis & linguas comprimis. Quo Præſulis exemplo? quo Religionis proferendæ ſtudio? quâ vigilantiâ & ſollicitudine? quo fervore & labore? etiam dum ſe ſenium advolvit: quibus Synodorum ſtatis per annum congreſſibus? ipſe ad clerum peroras, ut dicendo exores, ne in pœnis ſit coercitio. Ea ſtatuta & ſaluberrima monita typis conſignas, ut poſterorum ſint monumenta, quæ vivorum fuere documenta. Verbo complectar, ſi dixero *Forma Gregis ex animo.* Sed 1. Pet. 5.

 in-

Pſal. 70. inter hæc. *Quantas oſtendiſti mihi tribulationes? multas & malas.* Quot inſectationes? pericula? ſpolia? odia? exilia? verùm nec ſine his magni fuiſſent, Athanaſius, Nazianzenus, Baſilius, Chryſoſtomus, Ambroſius. Semper illa procella in optimos quoſque Epiſcopos, & ſacerdotes incubuit, qui ſe murum pro domo Dei objecerunt,
1. Timoth. 3. ut vel inde etiam Eccleſia ſit *Columna & firmamentum veritatis*, in his columnis Epiſcoporum. Teſtes ſunt omnium ætatum & tempeſtatum hiſtoriæ: nempe tres principes ab Epiſcopo dotes poſcit Apoſtolus, Libertatem, Caritatem, ſo-
2. ad Timoth. 1. brietatem ſeu mavis Æquanimitatem, quâ adverſa perinde, ut proſpera, infracto animo feruntur, quas
Corn. à Lap. virtutes cum Magnanimi ſemper Epiſcopi oſtenderint, inde pro Eccleſiâ illæ Colliſiones & pro Chriſto depreſſiones, inde juſtorum non tam illa experimenta quàm trophæa. Atque ut nulla ætas, plures ſimul & præſtantiores Epiſcopos

Digitized by Google

poſtulit quam fatale Arianorum ſæculum in illâ hæreſeon multitudine & potentia: ita fortè Germania nec illuſtriores Epiſcopos, nec plures doctos viros conſpexit, quàm in hâc hæreſis tempeſtate & varietate. Ad hos ego nunc cognitores & judices appello, & te cumprimis ILLUST. Princeps & Præſul *Ecce ſancti & docti viri*, exclamat Auguſtinus, *fama totius Eccleſiæ conteſtante Catholici; Quòd invenerunt in Eccleſiâ tenuerunt, quòd didicerunt, docuerunt; quòd à Patribus acceperunt, hoc Filiis tradiderunt. Nondum vobiſcum apud illos judices aliquid agebamus, & apud eos, acta eſt cauſa.* Nimirum omnes hæreſes hujus ævi damnatæ antequam natæ, vel in ſola Epiſcoporum vita, & doctrina per continuam poſſeſſionem & traditionem accepta. *Ergo à Pelagianis iſtis tenebris pergit* Auguſtinus, Lutheranis inquam & Calvinianis, *ad hæc tam clara Catholica lumina provocamus. Sed uſque adeò permiſcuit ima ſummis longus*

lib. 4. contra 2. Epiſt. Pel. c. 12.

lib. 2. contra Jul.

lib. 11. contra Jul.

gus

gus dies ut videant Pelagius, Cæleſtius & Julianus. Lutherus videlicet, Zwinglius, Calvinus & inter lios ſero tandem Cabeljavius. *Ut cæci ſint Hilarius, Gregorius, Ambroſius, Chryſoſtomus Hieronymus*, & innumerabiles cum his Epiſcopi, Sacerdotes, Doctores; cæci ſunt VVillebrordus, Swibertus, Bonifacius, VVinibaldus, Ludgerus, Burchardus, Anſgarius, Rembertus, VViho; Haymo cum totius Germaniæ, Galliæ, Belgii & orbis Epiſcopis, quos ſine numero à mille annis omnis ætas, & omnes faſti exhibent: Ut jam nihil de S. Materno Colonienſium & Tungrenſium, nihil de S. Creſcente Moguntinenſium, nihil de S. Valerio Trevirenſium primis Epiſcopis, & diſcipulis Apoſtolorum, nihil de perpetuâ illa Epiſcoporum ſerie ad nos deducta referam, in tanto Germaniæ ſplendore & ſæculorum periodo. *Nunquid hi Epiſcopi* urget Auguſtinus, *de plebeja fæce Sellulariorum? nunquid milites?*

lib. 11. contra Iul.

nun-

nunquid ſcholaſtici auditoriales? nunquid nautæ, Tabernarii, cetarii, coqui, lanii? nunquid adoleſcentes ex Monachis diſſoluti? nunquid poſtremo de qualicunque Clericorum turba? Sane vero ſi in ulla natione orbis clarum, & magnificum eſt Epiſcopi nomen, tum vel maximè in Germaniâ illuſtre eſt. Quot Regum & Principum, & Comitum, & Nobilium filios in throno Epiſcoporum vidimus? ex quo S. Willebrordus, Swibertus, Bonifacius, Winibaldus, Wilibaldus: Burchardus, Ludgerus, Hildegrinus, Adelbertus, Richardus, aliique ſine numero ex flore nobilitatis, & regio adeo ſanguine ſe Eccleſiæ, & Sacerdotio obtulêre. Quanquam non tam illa familiæ claritudo, in his Apoſtolicis Sacerdotibus, quam rerum humanarum contemptio, inexhauſti labores, vitæ ſanctimonia, miraculorum teſtimonia, & ſpiritus ille, quo ferri, & ut nubes volare viſi ſunt, hic in æſtimationem veniant. Nec tam ſanguis familiæ, quam ſanguis, quem pro Chriſto fuderunt

derunt Martyres, Bonifacius, Wigbertus, Ewaldi, Adelbertus, cæterique, Catholicam fidem obſignet, & illuſtret.

Verùm nec te Principem modò, & Epiſcopum, ſed & Patrem aſpicio: à quo tot Epiſcopi conſecrati, quos inter poſtremùm Monaſterienſis & Paderbornenſis; à quo tot ſacerdotes initiati, & Eccleſiæ filii ſunt parti, hodieque in ſinu Eccleſiæ aluntur, ut non tam ſeminaria juventutis, quàm plantaria Cleri ab unâ illâ arbore proſeminata ſint; ita verò *Pro Patribus tuis nati tibi ſunt Filii.* Qui Patriarchæ ſint in familia Chriſti. Non hic ſiſtit Patris nomen. Quo te nomine Clerus, eo Populus Patrem patrię conſalutat, ſub cujus imperio ita omnes in pace, amore, & levamento exactionis conquieſcunt, ut adrepente ſenio jam omnium vota ſint in unius longæ tuæ vitæ uſurâ. Et quis non in cenſu amoris quàm oneris ſe tibi vectigalem agnoſcit? etenim quanta ubique comploratio extra provinciam cùm te ficta, ſparſaque

fama

ſama mortuum vulgarat, etiam per Italiæ oras; tanta intra provinciam de tua incolumitate & poſſeſſione vitæ lætitia. *Quantas oſtendiſti mihi tribulationes? multas & malas*, fictas & veras. *ſed converſus vivificaſti me.* Duplex tecum vita renata; altera poſt longas belli ærumnas, altera poſt ementitæ famæ nuntia; ut hoc fallax famæ nuntium, eſſet verax longæ vitæ præſagium. Hoc nunc cum Athanaſio felicitatis & infelicitatis tibi conſortium, ut poſt longos labores & ærumnarum circuitus tandem in quiete conſeneſcas: Rexit ille Eccleſiam ſuam Alexandrinam annos quadraginta ſex in ſummâ temporum varietate, demum ſedi ſuæ redditus moritur in lectulo ſuo. Adminiſtraſti Eccleſiam Oſnabrugenſem in magna bellorum acerbitate, annos ſupra triginta Epiſcopus & Princeps. Hoc nunc meum eſt votum, & omnium deſiderium, ut annorum lacunas in Athanaſii ætate ſuperſtites ſerò, imo ſeriùs expleas in ſenii & quietis portu, ut in ſinu tuo conquie-

quieſcant tui, ad quem & ego hoc ſcriptum meum deferri cupio, verum ad quem illud deſtino? ſcio; Ad Principem ut acerrimi, limatique Judicii æſtimatorem; ad Epiſcopum, ut Judicem in Controverſiis fidei; ad Patrem, ut Patronum contra obtrectatores; imo ad te, ne aſſentatorem me interpretêre, qui aſſertorem ſubmiſſe candideque quæro. Admitte hoc reſponſum ILLUST. Princeps ſereno aſpectu qui ſerenam Catholicæ fidei venam ſecutus ſum; experimentum laboris & juſtæ defenſionis contra *vitreas argumentorum acies* ab adverſario inſtructas, perinde ut Auguſtinus de Juliano cenſuit, ſit perpetuum obſervantiæ in te meæ hortamentum.

lib. 1. contra Iul.

Rever.me Illuſt.ma Celſitudinis V.

Servus

P. NICOLAUS SCHATEN.

S. J.

Digitized by Google

PRÆFATIO
Ad
LECTOREM
Benevolum.

Prodit anno MDCLV. Leidæ procuſus liber contra P P. Embricenſes linguâ belgicâ, magno is Miniſtrorum, & populi acclamatione paſſim exceptus in Hollandiâ, Cliviâ, viciniſque provinciis, veluti publicus novæ victoriæ præco. Argumentum fronti inſcriptum. Collatio verbo, ſcriptoque, habita inter duos Prædicantes, & duos PP. Embricenſes. *Benè collationem inſcribit; diſputatio certè non fuit, quam auctor non præſtitit. Malè illud; Collationem inter vos eruditos linguâ latinâ agitatam, Cenſori populo patriâ linguâ deferri; Quare non ad Theologos primùm appel-*

latis? dicamne cæcus cæcum appellat? Atqui illud longè pejus: privatum Patris Embricenſis ſcriptum ad Illuſtriſſimum Comitem, ex quo auctor totum librum contexuit, publicis typis vulgari; id reſponſum, tametſi ſolidum ſit, inter bonos tamen ita conſuevit, ut duobus ſcripta inter duos pereant: Sed utî immaturus, ita iniquus ſuæ laudis propola. Ego ut de præcoce libro judicium meum pronuntiem, non alio opus habeo quàm magni illius D. Optati Milevitani Epiſcopi contra Parmeniani hæretici lib. 1. contra Parm. *ſcripta.* Omnia pro tempore, nihil pro veritate. *Omnia videlicet hujus auctoris ſcripta ad aures, & ora & judicia imperiti populi; πολολογεῖν & ὀγκολογεῖν ſolummodò placuit; aut ut vetus verſus:*

Λόγους μὲν Ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται.

Mercimonium ſunt verba Hermodori.

lib. 1. contra Parm.

Quin idem Optatus: Audio de ſocietate illâ aliquos litigandi ſtudio chartas habere, neſcio quas & circumferre, quærendum eſt, quibus accom-

commodanda ſit fides ; *Id ſeptem his controverſiis expediemus. Sed & auctor popularium chartarum primùm inquirendus, palàm ſe oſtentat, Petrus Cabeljavius homo inquietus; ut Belgæ ſcribunt, & turbidus ut apparet, cui hoc unum ſtudium litigare. Nonnullis ingenium hoc malè natum cum multis proceſſus juris inchoare, & implicare; cum nullo ad exitum æquitatis progredi. Ante annos non ita multos Cabeljavius in Friſiâ cum religioſo Sacerdote congreſſus, à quo ita retuſus, ut pudor locum faſtiditum fecerit. Eodem poſt impetu R.D. Chriſtiano Vermeulenio invito, ſed invito Collationem obtruſit, multis civibus & teſtibus Leidâ in Rynlandiam profectus, perinde ſi jam trophæum ſecum in navi veheret: verùm infelix diſputator ita preſſus eſt, ut hactenus ſe nondum explicarit, nec intelligenti unquam ſatisfacturus ſit; quicquid denique plebeis auribus affuderit. Extat hujus conflictus monimentum Sacerdotis libellus Belgicâ linguâ; Interim*

terim Sacerdotis exilium: tantas turbas duorum colliſio dedit: enimverò ita Cabeljavius magis victus, quàm victor nocet: Quis cum hoc homine diſputet? ſeu vincam, ſeu vincar, ſemper maculor. *Embricenſes ab his quietem, & pacem malunt; ordinum cumprimis obſervantiâ. Inter hæc Cabeljavius Illuſtriſſimum Comitem Ottonem de Styrum adortus, adſcito Joanne Goethalſio Delphenſium Miniſtro viro pacato, & ad modeſtiam, ſilentiumque compoſito; importunitas neſcio, an opportunitas accepta à conjuge & ſocru Reformatæ religionis, quod Catholicum Comitem ſuæ religioni accenſum mallent, ea hoc ſæculo religionum ſunt ſtudia. At Illuſtriſſimus Comes partim fatigando Miniſtros quæſtionibus poſitis, de quibus in primâ, & ſecundâ controverſiâ; partim remittendo ad Catholicos Sacerdotes, quod ſui muneris non cenſeret Theologicas quæſtiones ſolvere, viam hujus congreſſionis aperuit: inter cæteros propoſiti ad id PP. Embricenſes. Ergò Embricam Hollandici præſidii*

urbem

urbem acceſsêre Comes & Miniſtri. Sub veſperam illicò P P. evocati ad hoſpitium. Miſſus eſt junior inter Sacerdotes omnes P. Ioannes Stael, à quo in primo congreſſu ita repreſſi ſupra adſtantium exſpectationem, ut extra orbitam collocati, hæſerint. Invitantur poſtridiè ad collegium, & Bibliothecam; detrectant Miniſtri locum; jam alium ſibi in urbe delegerant; donec Secretarius Comitis mane eos in collegio operientis permoveret. Invitantur adhæc ad Theologicum diſputandi modum formâ ſyllogiſticâ, & hunc rejiciunt, aſſerendo inutilem ſibi videri ad ſacram Scripturam. Perquàm id mirum fuit Patribus, præſertim quod alter Miniſtrorum jam ante edixerat, ſe annos ſeptendecim Philoſophiam docuiſſe. Verùm res ipſa ſe poſt aperuit planiùs, quando Cabeljavius nec ſyllogiſmum expeditè formare, nec preſſo quicquam pede proſequi potuit. Urget admod. Reverendus D. Decanus Embricenſis, ut vel unam negatam propoſitionem altero ſyllogiſmo inferret, id nunquam extun-

 di

di potuit. Quin adeò negata propoſitio huic diſputatori in chartâ ſcribi debuit, ut ſe, & probandam propoſitionem inveniret, nec tamen ſe, & probationem invenire potuit: datur ſpatium, nihil probando infertur præter inanes verborum circuitus. Hæc cauſa, hoc crimen, ob quod in ſuo libello tàm petulanter inſectetur Decanum Prædicans. At enim quis non circumſpectè egiße dixerit Cabeljavium, tum quòd ad certas materias integro ſe anno pararit, qui tamen labor paucis horis ſolutus caſſuſque defluxit. Tum quòd identidem chartas inſpexerit, nec tamen ſyllogiſmi fluxum habuêre. Tum quod materia diſceptationis de canone Scripturæ agitata ſit; cujus hic modus fuit, ut in auctores canonem noſtrum non ita exploratè ſequentes inquiſitio fieret; ibi Lyranus, ibi Cajetanus, ibi Gloſſa bibliorum, ibi cæteri poſtulati, & evoluti, ut tempus, non tàm diſputando, quàm inquirendo in loca auctorum extraheretur. De reliquis vix quicquam ſeriò ad diſceptationem aliquam

Digitized by Google

quam pervenit. Hæc tota propemodum illa diſputatio fuit, altero Miniſtro nihil movente.

Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.

At verò ubi PP. Embricenſes, Aloyſius Vilſteren & Ioannes Stael argumentari cœperunt, utî in preſsâ, & contentâ apud illos formâ conſuevit, quanta Cabeljavio lucta, ut vel ſyllogiſmum more academico repeteret, ita mihi referunt teſtes, qui colloquio in interfuêre. Tantanè ergo res acta eſt, ut hujus colloquii tàm glorioſo libello in vulgus ſparſo, & tot aculeis & criminationibus pleno opus fuerit? Rectè Auguſtinus Animoſitas hæreticorum ſemper inquieta eſt. *Et contentioſum hoc genus non tam diſputare mavult, quàm pertinaciâ vincere. Quid nunc peregit Cabeljavius? dicam candidè lectori candido, id quod Paſcentius Comes Arianarum partium, cùm iratus ab eo congreſſu, quem cum D. Auguſtino inierat, receſſiſſet, mendacia multa*

Epiſt. 119 c. 16.

Poſſid. in vit. S. Aug.

pro fide ſuâ jactabat, interque cætera, victum à ſe Auguſtinum multorum ore laudatum. Idem Maximinus Arianus Epiſcopus egit teſte eodem Poſſidonio in vitâ Auguſtini, is videlicet Hippone Carthaginem regreſſus, ac mirificè ſibi de ſuâ loquacitate perplacens victoriam ſe ab Auguſtino retuliſſe palam gloriatus eſt. Ita planè Cubeljavius Embricâ Leidam rediens, non modò de ſuâ loquacitate. Sed vulgato in publicum libro ſuum triumphum proclamat, in quo tàm contemptim de PP. Embricenſibus, perinde ſi hebetes ſub ferulâ pueros, aut Sannio circulatorem ad vulgi riſum circumduxiſſet. Idem Belgæ Scriptores experti, proinde ab his eodem ſale aſperſus. Quæ me ratio impulit, ut paucis argumenta hujus fumoſi libri exhiberem. Non ultio mihi propoſita eſt, ſed purgatio; utcunque etiam res coram verbis acta eſt, certè tota vis & excocta ſapientia in ſcriptis explicata erit: quibus excuſſis, facilè erit lectori dijudicare, quantam ſibi victoriam Cabeljavius

præ-

præcerpat. Multa, *inquit*, *Tertullianus*, ſic ſunt digna revinci, ne gravitate adorentur. *At nos*

Λευγαλέοι τ' ἐσόμεσθα, καὶ οὐ δεδαηκότες ἀλκὴν.

Ut quid igitur ego partes PP. ſuſcipio? Multa me movent; Catholicorum cumprimis exſpectatio. Ne approbata crederent à nobis in tanto adverſarii plauſu, quæ non viderent confutata, & ſilentium in conſenſum ducerent. Multa etiam obligant: unum ſat eſt, totum me illis debere, quicquid literis aſſecutus ſum. Quod verò illorum Theologi non reſpondeant in tanto eruditorum virorum cenſu, cui non magis mirum? Multa illi ſuo jure obtendunt. Cauſas jam dedi in Epiſtolâ. Alias ſileo, imò quis Theologus calamo ſuo dignum æſtimet, cum plebejo Prædicante Belgicâ linguâ congredi. Et qualia quæ feruntur? pleraque in opificum officinis trita, rapta ex aliis, exſcripta, & malè conſuta, citati auctores nec lecti in-

Jerem. 17. *tegrè : ſæpè non inſpecti.* Perdix fovit, quæ non peperit, fecit divitias, & non in judicio. *Præterquam vulgi, quanquam non tàm judicio, quàm vitio. Et quid omnibus illis ſcriptis & calumniis proficit? Togam Chriſti, quæ eſt Eccleſia, tantummodò lacerat, magno quidem apud ſuos vulnere. : ſed majore damnationis onere.* Qui autem conturbat vos, judicium

ad Gal. 5. portabit, quicunque ille eſt. *Eadem*

lib. 2. contra Petil. c. 87. *Auguſtini querimonia*; Judæi perſecuti ſunt carnem Chriſti ambulantis in terrâ, vos Evangelium Chriſti ſedentis in cœlo, quod Evangelium mitiùs pertulit ſævientium Regum flammas, quàm veſtras patitur linguas: Nam illis incendentibus unitas manſit, vobis loquentibus manere non poteſt. *Quantò conſultiùs ſecum ageret, Cabeljavius ſi animo atque oculo ſereniore introſpiceret, quantâ veritatis luce ab Apoſtolicis primùm viris, quo ſanctorum virorum ſpiritu, & deſtinatione Dei, quo cultu religionis, quo ſenſu pietatis,*

quibus

quibus miraculorum teſtimoniis, quo vitæ inſtituto, & candore ſanctimoniæ religio primùm Catholica in Hollandiæ provincias ſit illata, & perpetuâ exinde Epiſcoporum, & Sacerdotum ſucceſſione, religioſorum profeſſione, Provinciarum & populorum conſenſione ad Calvini uſque tempora perſtiterit, & à magnâ etiamnum Hollandiæ parte hæreditas illa ſancta in ſuâ poſſeſſione teneatur. Mirantur Catholici, quòd cùm tanta ſit ſectarum varietas juxta ac libertas, in ſolos tamen Catholicos Prædicantum ſit acerbitas, niſi quia in his ſola oppugnatur veritas. Tamtumne *inquit Auguſtinus*, apud te poſſunt Pelagius & Cœleſtinus (*Lutherus inquam & Calvinus*) ut à Solis ortu uſque ad occaſum, tot, & tantos Catholicæ fidei Doctores & defenſores, antiquos, & noſtræ ætatis contiguos dormientes, *exerrantes*, & *Antichriſti ſatellites*, audeas compellare. Sed firmum fundamentum Dei ſtat. Deus det *Cabeljavio* pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem,

lib. 2. cont Jul. c. 10

2 ad Tim. v. 19. v. 25.

tatem, *quam tot ſcriptis, & popularibus chartis criminando lacerat. Ut enim è populo, qui Prædicantes credendi ſimplicitate abducti incautiùs ſequuntur, excuſari poſſint, Doctorem certè, Profeſſoremque tot errorum quomodo excuſabimus? Illuſtre hac ſuper re D. Auguſtini eſt judicium.* Si mihi Honorate unum, atque idem videretur eſſe Hæreticus; & credens hæreticis Homo, tàm linguâ, quàm ſtylo in hac causâ conquieſcendum mihi eſſe arbitrarer: Nunc verò cùm inter duo plurimùm interſit: quandoquidem hæreticus eſt, ut mea fert opinio, qui alicujus temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatuſque ſui gratiâ falſas, ac novas opiniones, vel gignit, vel ſequitur; ille autem qui hujuſmodi hominibus credit, homo eſt, imaginatione quâdam veritatis ac pietatis illuſus.

lib. de util. cred. c. 1. tom. 6.

Ac ne quis ſub hâc vanâ ſpecie ſe deludi ſinat, cùm ſint veluti Miniſtri juſtitiæ, *re autem*, veritatem Dei in inju-

2 Cor. 11. Roman. 1. v. 18.

injuſtitiâ detinent; *aut ne ego Catholicorum ſilentio cujusquam animum malè pertentari ultra patiar, quod ut Cœleſtinus Romanus Epiſcopus ſapienter monuit.* In cauſis fidei non careat ſuſpicione taciturnitas, *ea, quæ ab adverſario, tàm inani jactatione ſunt aſperſa, levi quoque ſpongiâ abſtergam. Tu quisquis es Lector fave, & vale.*

Digitized by Google

Digitized by Google

CONTROVERSIA I.

De Lege Chriſtianorum & Mandatorum obſervatione.

CAPUT I.

Ingreſſus & ſtatus primæ Controverſiæ.

DUplex teſtamentum condidit Deus pro diverſo legis ſcriptæ, & gratiæ ſtatu; Vetus videlicet, & novum. Explicatè Apoſtolus; *Abraham duos habuit filios, unum de Ancillâ, & unum de liberâ, quæ per Allegoriam dicta ſunt; Hæc enim ſunt duo Teſtamenta*: in utroque Teſtamento fidem & legem datam eſſe nemo controvertet. Verùm hoc inter cætera diſcrimine, Lex vetus Hebræis data eſt ut famulis, Lex Chriſti, Chriſtianis, ut filiis, quapropter ſublatâ cæremoniali & judiciali, ſolam moralem, ut jugum ſuave & onus leve filiis reliquit, proinde legem veterem Deus dedit per Moyſen Legiſlatorem, ut per famulum famulis; Legem gratiæ per filium filiis, Siquidem *Moyſes fidelis erat in tota domo ejus, tanquam famulus, Chriſtus verò tanquam filius in domo ſua.* Ex quâ legis traditione per diverſorum Legiſlatorum manus, quanta non Religio & obſervantia commendatur? Quid illud S. Stephani? *Accepiſtis Legem in diſpoſitione Angelorum & non cuſtodiſtis.* Quid illud S. Pauli? *Data eſt vobis* Galat. 4. Hebr. 3. Actor. 7. v. 53. ad Gal. 3. v. 19.

 Lex

Lex ordinata per Angelos in manu Mediatoris. Nos Chriſtiani uti Fidem non ſolùm ex ore Prophetarum & Apoſtolorum; ſed ex ore ipſiuſmet filii Dei accepimus teſte Apoſtolo ad Hebr. c. 1. verſ. 1. & 2. Ita Legem non ab Angelo vel Legiſlatore Moyſe, ſed è manu veri & fideliſſimi Mediatoris.
Hebr. 8. *Quantò ergo*, inquit Apoſtol., *melioris teſtamenti Mediator eſt* Chriſtus, *quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt*, tantò fidelius & ſanctius Lex illa facilis, & ſuavis ſervanda præſcribitur. Quo verò fine Lex illa data eſt? Non eo quem Hæretici comminiſcuntur, ut ſpeculando tantùm cognoſcamus originalis peccati vulnus, & ſtatum ex quo lapſi ſumus; tum infirmitatem noſtram, ut Prædicans hic Leidenſis præſcribit, ſeu ut fructus fidei tantùm conſequamur, cui ſoli juſtificationem falsò tribuunt, quòd Lutheranis viſum fuit, quò Prædicans hîc etiam inclinari ſatis ſuperque videri poteſt, dum poſtremùm addit Legem ideò datam, ut gratiam à Deo petamus. Quò autem gratiam illam ultrò deſtinat? ad fidem petendam, ut per ſolam fidem juſtificatio falsò adſtruatur. Verùm Catholicis ea res explorata eſt ex innumeris Scripturæ teſtimoniis, ex SS. PP. & Conciliorum auctoritate, ex Majorum fide, non modò Chriſti gratiam ad fidem accipiendam, ſed & ad legem ſervandam datam eſſe, ut promiſſiones
Matth. 19. gratiæ, & gloriæ conſequamur. *Si vis ad vitam in-*
Joan. 1. *gredi, ſerva mandata.* Ideò Lex gratiæ: *Gratiam pro gratiâ, & de plenitudine ejus accepimus omnes.*
Roman. 5. v. 17. Eadem Apoſtoli ſententia; *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ & donationis, & juſtitiæ accipientes in vitâ regnabunt per unum* IESUM CHRISTUM. Dilucidiùs c. 8. verſ. 2. *Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, ut juſtifi-*

juſtificatio Legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm Spiritum. Præclarè S. Auguſt. tres ſtatus ponit; Naturæ, Legis ſcriptæ, & Legis gratiæ; ac tametſi in ſingulis gratia ſufficiens nunquam defuerit, ſoli tamen legi gratiæ ob plenitudinẽ gratiæ victoriam pleniſſimam comparatè attribuit, quapropter concludit. In primâ Actione, quæ eſt ante Legem, nulla pugna eſt cum voluptatibus hujus ſæculi; In ſecundâ, quæ eſt ſub lege, pugnamus ſed vincimur. In tertiâ pugnamus & vincimus. In quartâ, qui ſtatus Pacis eſt in Cœlo, non pugnamus, ſed perfectâ & æternâ pace requieſcimus. Cætera quæ ad hanc Auguſtin. ſententiam deſiderari poſſunt, perſequitur Suarez, Salmeron, & alii. Leidenſis Prædicans novus Legis Adverſarius apud Auguſtinum, quando Legem impoſſibilem cum ſuis docet; non tam legem quam Chriſti gratiam oppugnat, & meritum Chriſti enervat. Cujus tamen ſoli vindices apud populum ſe ferunt Prædicantes. Maluitque Antinomis accenſeri, qui à ſæculo confregere jugum; Cumque inter legis Doctores, & Paſtores ſedem occupet, maluit iis aſſidere, qui ſedent ut ſecundum legem judicent, & contra legem pronunciant; Enim vero *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus.* Imo ἀντίνομος eſſe voluit, ut ἄνομος eſſe poſſit. Quid αὐτονομία per inſtrumentum pacis, ſi ἀνομία regnum habeat. Ego cum ejus librum pervolviſſem, quem inſolenti plauſu ſparſit in vulgus contra Embricenſes P P. non tam veris rationibus, quam falſis criminationibus plenum cenſui, quando nullum fere paragraphum lego in quo non aculeum figat, ac tametſi nihil novi adferat, quod non ad nauſeam uſq; à tot Scriptoribus confutatum ſit; incauto tamen populo & inſultanti homini ſubſerviendum fuit.

Lib. 83. qq. q. 66.

Malach. 2 v. 7.

CAPUT II.

Catholicorum Doctrina, Legem & mandata per Dei gratiam à juſtis ſervari poſſe.

INter multiplices hujus ſæculi controverſias ea non vulgaris, quæ de juſtificatione, & lege Chriſtianorum ſuſcitata eſt abHeterodoxis,quam idcirco fortè non inconſultò inter primas etiam Concilii Tridentini Patres Seſſ. 6. deciderunt, ut in ea ſylvam hæreſeon reſcinderent. Quot exinde Doctorum, Theologorum, interpretum & eruditiſſimorum Scriptorum libris & voluminibus eadem materia pertractata? ut quid ultra deſiderari poſſit aut debeat, nemo facile videat, niſi qui ob inſcitiam aut nihil, aut parum certe videt. Poſtremam partem de lege Chriſtianorum ſelegit Cabeljavius, & in ſuo populari colloquio PP. Embricenſibus primam obtulit, & primam in ſuis chartis complexus eſt, eam deinde tertium, tanquam palmarium ſui fumoſi plauſus argumentum repetit & recoquit, magno verborum ſonitu, ſed nullo prorſus nervo, imo ſupra ingenii vires & doctrinæ pleraque, quibus identidem ſe, ſuoſque magis vulnerat quam Catholicos: Siquidem illud pro comperto ſemper habitum, quæ ex officina mendaciorum jacula emittuntur, ea ſolere in aëre perrumpi, & in capita intorquentium recidere.

Immota ſtat Catholicorum Doctrina, & avita majorum fides, Legem, quam Chriſtus legiſlator tulit & dedit, poſſe à juſtis per divinam gratiam ſervari. Concilii Tridentini ex Scriptura, priſcis Conciliis & Patribus hæc infallibilis deci-

ſio eſt, Seſſ. 6. c. 11. *Nemo quantumvis juſtificatus liberum ſe eſſe ab obſervatione mandatorum putare debet, nemo temerariâ illâ & à Patribus ſub anathemate prohibitâ voce uti, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia; Nam Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis, cujus mandata gravia non ſunt, cujus jugum ſuave eſt & onus leve; Qui enim ſunt filii, Chriſtum diligunt, qui autem diligunt eum, ut ipſe teſtatur, Servant Sermones ejus, quod utique cum divino auxilio præſtare poſſunt. Licet enim in hac mortali vitâ, quantumvis Sancti & juſti, in levia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea deſinunt eſſe juſti: Nam juſtorum illa vox eſt, & humilis & verax, Dimitte nobis debita noſtra; quo fit, ut juſti ipſi eò magis ſe obligatos ad ambulandum in viâ juſtitiæ ſentire debeant, quo liberati jam à peccato, Servi autem facti Deo, ſobriè, juſtè & piè viventes proficere poſſint per Chriſtum IESUM, per quem acceſſum habuerunt ad gratiam iſtam, Deus namque ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab iis prius deſeratur.* Hic planiſſimam totius controverſiæ comprehenſionem habes; Lege quæ Concilium tam explicatè ſubjungit, ut non in ſolâ fide juſtificatio quæratur: *Chriſtus enim factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ*, non dixit credentibus ſolùm. **Hebr. 5.**

Hæc igitur fundatiſſima eſt Catholicorum doctrina quæ manifeſtè probatur. Imo ex Scripturâ: docet enim eam legem juſtos ſervaſſe in V. T. ergo & in N. Teſtamento à juſtis ſervari poteſt. Antecedens evincit plurimis juſtorum exemplis, tales Noë, Joſue, David, Joſias, Aſa, Job, nec dubium eadem dici poſſe de Patriarchis, ut

Gen. 17. Abrahamo. *Ambula coram me & eſto perfectus.* de Moyſe, Samuele, Helia, Iſaia, Jeremia, cæteriſque Prophêtis. Talis & Joſephus caſtiſſimæ Virginis Sponſus, Zacharias, Eliſabeth, Simeon, qui omnes aut juſti, aut recti, aut perfecti memorantur. Tum innumeris aliis teſtimoniis Deuteron. 4. Deut. 26. *Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi, ut facias mandata hæc, & impleas ex toto corde.* Deut. 29. Moyſes ait, *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſitum.* Ezech. 36. *Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Conſequens probatur; quia lex Chriſti eſt Lex gratiæ, jugum ſuave & onus leve, & Ioan. 1. c. 5. *Mandata ejus gravia non ſunt.* Inde porro Chriſtus dixit Matth. c. 5. *Eſtote perfecti*: Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe.* Phil. 3. *Quicunque perfecti ſumus.* 1 Ioan. 5. *Qui ſervat verbum ejus, verè in hoc caritas Dei perfecta eſt.* jam, ſi in lege Chriſti perfecti eſſe poſſunt, quis negabit Legem perfectè ſervari poſſe? *Omnia poſſum in eo qui me confortat* Phil. c. 4. Et quis tales fuiſſe Apoſtolos negabit? & Diſcipulos Chriſti, Martyres & Virgines, innumerabiles juſtos & Sanctos; nec enim alia ad ſalutem & Cœlum via patet. *Si vis ad vitam ingredi, Serva mandata* Matth. 19. Eſt & aliud, in quo Hæreticos Scriptura revincit, videlicet ad gratiam & gloriam neceſſariam eſſe obſervationem mandatorum; ita ergo ſtatuamus:

A quo æterna ſalus pendet, ut præſcripto per Chriſtum medio & conditione, id debet eſſe poſſibile:

Atqui ab obſervatione Mandatorum pendet æterna ſalus, ut à præſcripto per Chriſtum medio & conditione; ergo

Major evidens eſt, nihil enim à Chriſto ut prudente

dente Legiſlatore & Patre filiorum, ſuis præſcribi potuit, quod poſſibile non eſſet; Hinc & fides apud vos poſſibilis eſt, quia ab eâ Solâ pendet tota gratia juſtificationis & vita æterna. Minor probatur: quod lex Chriſti non minùs neceſſaria ſit ad gratiam & vitam æternam quam fides, idque primo de caritate & pœnitentia indubitatum eſt. 1 Joan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Luc. 13. *Si pœnitentiam non habueritis, omnes ſimul peribitis.* Ezech. 33. *Si impius pœnitentiam egerit à peccato ſuo vitâ vivet.* Eadem veritas eſt de aliis præceptis. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata,* Matth. 19. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra, plus quàm Scribarum & Phariſæorum non intrabitis in regnum cœlorum,* Matth. 5. *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione,* Joan. 15. *Qui habet mandata mea & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me: Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum Cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei:* Ita Matt. 25. Rom. 8. Heb. 5. 2 Pet. 1. 2 ad Timoth. 2. *Si quis ergo emundaverit ſe ab his fiet vas in honorem.* Quod ſi quis nunc quærat à Prædicantibus, An non ergo præcepta Chriſtianis ſint neceſſaria ad ſalutem? omninò ajunt, neceſſaria ſunt: iterùm ſi quæras, in quem ergo finem? reſpondent, non ut promiſſio ſalutis impleatur; id enim per ſolam fidem fieri volunt. Sed ut fructus fidei oſtendamus. Si tertiùm quæras, An ergo is, qui præcepta non ſervat, promiſſionem ſalutis habeat, imo verè, inquiunt, habet, quia ſola fides id præſtat. Sed vide quam errent; illis enim promiſſio ſalutis facta eſt, qui in gratiam divinam recipiuntur; & illi ſoli in gratiam divinam recipiuntur, qui amore ſupernaturali diliguntur à Deo, & illi ſoli hoc amore diliguntur à Deo, qui præcepta ejus ſervant, ut toties Chriſtus expreſsè

Matt. 7.

Digitized by Google

docet, maximè apud Joan. c. 14. rurſum: *Quod eſt neceſſarium ad ſalutem, id etiam poſſibile eſt; ſed Chriſti mandata ſunt neceſſaria, ut ſimul concedunt; ergo etiam poſſibilia*, & per Ordinariam gratiam. Quis nunc tam hebes ut illigatum hunc conſequentiæ nexum, & inhærens Chriſti judicium non videat. Demum ubi prædicantes in totâ Scripturâ hanc propoſitionem in expreſſis, & formalibus terminis legunt? *Lex juſto per divinam gratiam eſt impoſſibilis*; aut ubi per infallibilem aut neceſſariam conſequentiam id oſtendere poterunt: Si tantus eſt Cabeljavius prodeat tandem in Syllogiſmo aliquo, ſed non in paralogyſmo ſuo, Nullus adhuc-dum Theologorum Catholicorum vel eminùs, vel per ſpeciem probabilitatis videre id potuit.

II. Hanc Veritatem oſtendunt Catholici ex Conciliis, ut Dioſpolitano, Arauſicano, Milevitano, Africano, aliiſque, quibus decernitur, id per gratiam fieri poſſe & debere, quod Pelagiani per ſolas vires naturæ & liberi arbitrii fieri contendebant: at Pelagiani per vires naturæ totam legem impleri poſſe docebant, ergo dum Catholici Patres ad id gratiam inſuper neceſſariam eſſe tàm contentè docuerunt, etiam per gratiam totam legem impleri poſſe ſtatuerunt. Quocirca Arauſicannm c. 5. *Hoc etiam ſecundum fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ poſt Baptiſmum gratiâ, omnes baptizati Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant adimplere.* Eò ſe Patres Concil. Tridentini referunt, ut ſuprà animadvertere licet.

III. Hoc dogma ex perſpicuâ & perpetuâ Eccleſiæ traditione oſtenditur: inauditum enim eſt in Eccleſiâ Catholicâ, Legem per gratiam divinam non poſſe ſervari; & quis ante Lutheri, Calvini & Antinomorum hæreſes id unquam ex Catho-

Catholicis Epiſcopis, Doctoribus Theologis docuit,& ita docuit, uti modo à Neotericis & à centum annis doceri cæpit.

IV. Hæc Catholicorum doctrina revincitur ex concordi & perpetuo Patrum conſenſu, ad quos rurſum Patres Concil. Trid. ſe revocant, Patres verò, qui id expreſsè in terminis docuerunt, recitabo cap. ult. ut mirum ſit quâ confidentiâ Cabeljavius appellare auſus ſit ad Patres.

V. Inductione, qui exploratiſſimus eſt probandi modus: recenſitis enim omnibus Decalogi præceptis, nullum in particulari proferri poteſt, quod per gratiam Dei ſervari non poſſit, etſi quod arduum videri maximé poteſt, tum primum eſt, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; & nonum. *Non concupiſces*; atqui illa duo ſervari poſſunt, ut præter innumeros alios oſtendit Becanus de Juſtit. oper. c. 1. Et quæ prudenti veriſimilitudo eſſe poteſt, Chriſtum Legiſlatorem æquiſſimum & ſapientiſſimum inter Decalogi præcepta, alia poſuiſſe poſſibilia, alia impoſſibilia: aut igitur omnia poſſibilia ſunt, quod Catholicum eſt, aut nulla, aut non omnia, quod de tali Legiſlatore impium eſt cogitare, ne-dum dicere.

VI. Ratione, primò, Si præcepta ſint impoſſibilia; ergo nemo obligatur; ergo præcepta non erunt præcepta. & quæ non vitæ licentia in populo Chriſtiano conſequetur, aut quæ ſcelera impunè exerceri non poterunt, Nec enim fingi poteſt, quomodo aliquis in eo peccet, quod evitari non poteſt, ut vel hinc rectè ſcripſerit Hieron. nullum peccatum tam grande atque enorme eſſe, quod hæreſin non conſequatur. Ex ruinis Eccleſiæ & morum res ipſa loquitur. Secundò. Si lex Chriſti ſit impoſſibilis, Chriſtus omni Tyranno erit iniquior & crudelior; cùm propoſitâ lege impoſſibili, ſi non ſervent, æternis ſuppliciis transgreſſores puniat. Imò quis Pater-

 familias,

Digitized by Google

familias, quis Princeps, quis Legiſlator etiam inter Ethnicos & infideles talem legem ſuis præſcripſit, ut inevitabili peccandi neceſſitate ad iniquas pœnas compellat. Tertiò. Per Divinam gratiam ſervari ea poſſunt, quæ ſunt ſupta legem; ergo, quæ ſunt in lege ſervari poſſunt: Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ haves, & da pauperibus.* Quot virgines ex conſilio D. Pauli ad Cor. 1. c. 7. Quot viduæ continentiam ſervarunt S. Chryſoſt. hom. 8. de Pœnit. *Multi & ipſa ſuperant mandata.* S. Auguſtin. ſerm. 18. *Non grande onus impoſitum eſt Virginibus, major amor majus impoſuit onus, tanquam dicerent quid jubes? ne adulteræ ſimus, hoc præcipis, amando te plus facimus, quàm præcipis.* Atque ea ſi quis expendat, cui non mirum videri poteſt, poſſe Prædicantes, qui & Doctores legis, & Reformatores Euangelii eſſe volunt, eò impietatis relabi; cùm ipſa impiorum Conſcientia transgreſſionem legis teſtetur impiam, accuſet iniquam, & quod conſequens eſt, poſſibilem quoque legem eſſe ſatis ſuperque clamet; Quæ poſtrema ratio etiam Gentiles convicit ex naturæ lumine ſed non Prædicantes. Scio ſuperintendentem virum gravem & ſenem, poſt ad Catholicam religionem traductum, dicere ſolitum, multis ſe in ſuâ olim ſectâ adſtitiſſe morituris, & ex hac doctrinâ impietatis ad deſperationem deductis, quidquid tandem ageret, revocare non potuiſſe ad ſpem & fiduciam, quacunque etiam exaggeratione Chriſti meritum inclamaret: nempe impia vita non ferebat medicamentum vi-
Ezech. 13. *v.* 18. tæ. Hos pulvillos conſuitis ſub omni cubito: Brevis voluptatis uſura, longa æternitatis tortura: Hac eſca vivos paſcitis & morientes, abſynthio deſperationis extinguitis. *Quam bonus Iſrael Deus his qui*
Pſalm. 72. *recto ſunt corde.* Quid graves Arminianorum cenſuræ contra Gomariſtas, vel ob hoc ipſum impietatis
Deut. 32. veſtrum dogma. *Inimici noſtri ſunt judces.* Hæc diſtrictè

Digitized by Google

diſtrictè de fundamento Catholicorum hujus dogmatis, digito tantùm oſtendere viſum, imò ſupervacaneum plura, inter tot volumina & Theologorum ſcripta; modò fundamenta veſtræ cauſæ exploremus.

CAPUT III.

Falſa Prædicantum principia, quibus legem populo impoſſibilem perſuadent.

INcredibile quàm multa, quàm abſurda hic prædicantes accumulent falſa principia, ut hoc falſum dogma incautæ plebi obtrudant. Quæ non tam fundamenta ſapientiæ quam commenta ſtultitiæ, nonnulla proponam, maximè in quibus Cabeljavius ſe firmare cogitat.

I. Principium. *Lex vetus ſolum habuit Promiſſionem vitæ æternæ, ſub conditione ſervandæ legis; Lex vero gratiæ ſeu Evangelium ab illâ conditione abſoluta ſunt*; cum per ſolam fidem, ut fingunt, juſtitia & vita æterna obtineri poſſit; atque in hoc legem veterem à novâ Chriſti lege ajunt diſtingui, ſolúmque in Veteri Teſtamento obligatos fuiſſe homines ad legem ſervandam, in novo Teſtamento neminem obligari. Id verò principium quàm ſit falſum & impium, jam paucis oſtendi cap. 2. 2do. in nullo Concilio, Patre, vel Theologo Catholico à tot ſæculis ante hos Antinomos oſtendi poteſt. Somnium eſt prædicantum, quod tot libris exploſum eſt. Satis ſit hic Concilii Tridentini & tot Patrum judicium ſeſſ. 6. de juſtif. ſatis & illud D. Petri. *Libertatem illis promittentes, cùm ipſi ſint ſervi corruptionis.* *Epiſt. 2. 2. v. 19.*

II. Principium eſt, *Chriſtiana libertas in Scripturâ nobis manifeſtata, ab omni Lege Chriſtianos eximit*; de hac illud ad Galatas jactant; *Chriſtus*

rede

Gal. 3. *redemit nos à maledicto Legis.* tum illud, 1 ad Timoth. 2. *Juſto non eſt Lex poſita.* ſed hoc principium falſiſſimum eſt priori inhærens; Etenim libertas Chriſtiana non conſiſtit in libertate à Lege, ſed à peccato & morte, per uberiorem gratiam Chriſti: Joan. 8. Rom. 6. *Liberati à peccato ſervi facti eſtis juſtitiæ.* Secundò in libertate à jugo legis cæremonialis, ad Gal. 4. v. 9. Tertiò in libertate à Dominio & reatu legis moralis. Rom. 6. *Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratiâ.* 2 Cor. 3. ubi *Spiritus Dei, ibi libertas*: atque ita Chriſtus redemit nos à maledicto legis. ad locum 1 Timoth. 2. Lex juſtis & injuſtis eſt poſita, quoad vim directivam; præſcribit enim omnibus quid agendum ſit, ſed non eſt juſtis poſita quoad vim coactivam, quia ſpontè & ſpiritu Caritatis eam implent, injuſti verò timore & minis & pœnis cogendi ſunt.

III. Principium, *Finis legis, ajunt, eſt non ut ſervetur lex, ſed ut quiſque tantum cognoſcat ſuam impoſſibilitatem & imbecillitatem* ut Cabeljavius: *Per legem agnitio peccati*, Rom. 3. 2dò. ut ſciant homines, quales fuerint ante lapſum Adæ. 3. ut ſciant quid petendum ſit, nempe, renovatio vitæ, ut Pareus, & gratiæ ut Cabeljavius. ita Pareus explic. Catech. de lib. arb. q. 9. Alii ut fructus fidei edamus; alii alia commenta ferunt: Atque illud fundamentum quam ſit ruinoſum, oſtendam cap. 11. Figmenta ſunt Parei uti omnium rigidorum Calviniſtarum & Gomariſtarum; per legem enim cognitio peccati, non ut in Theoria & ſpeculatione ſiſtas, ſed ut ad praxin procedas. Hinc lex docet, quid faciendum ſit, ut facias; quid vitium & peccatum, ut fugias. Proverb. 6. *Mandatum lucerna eſt, & lex lux, & via vitæ.* Ad id gratia petenda, non minus quàm pro fide, ut mox oſtendam Cabeljavio; Inde Milevit. c. 3. Gratiam Dei, in qua juſtificamur, non ſolùm ad remiſſionem pecca-

cato-

catorum valere, ſed etiam in adjutorium, ne committantur: lege ejuſdem Concilii c. 4. & 5.

IV. Principium, *Gratia quæ datur per Chriſtum, pro ſola fide, quæ juſtificat datur, non pro lege implenda; proinde nec lex impleri poteſt;* ita Cabeljavius, verùm ſi ullum Prædicantis eſt figmentum, tum illud eſt, quod in nullâ Scripturâ, nullo Concilio, nullo SS. Patrum veſtigium habet: quid Concilia ſtatuerint de gratia pro lege implenda, jam dixi ex Trident. Arauſic. Milevit, Africano Concilio conta Pelagianos. Quid Patres ex Scripturâ, longum eſſet recenſere: Tria potiſſimum Scripturæ loca adducit S. Auguſtinus, pro Catholicorum ſententiâ, ex quibus contra vos argumentatur: *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per IESVM Chriſtum facta eſt*, Joan. 1. v. 17. *Caritas Dei diffuſa eſt per Spiritum S. in cordibus noſtris*, Rom. 5. *Plenitudo legis eſt dilectio.* Rom. 13. v. 10.

Ex his ergo ſic argumentatur S. Auguſt. *Lex per Moyſen data eſt, facta eſt autem gratia per IESVM Chriſtum, cùm per ejus Spiritum Caritate diffuſâ in cordibus noſtris, fit, ut quod lex præcipit impleatur; Quod enim per literam jubetur, non literâ ſed ſpiritu impletur, unde illud quod ſcriptum eſt. Non Concupiſces, per Moyſen lex eſt, quia jubetur, ſed per IESVM Chriſtum fit gratia, quando, quod jubetur expletur*: lib. 2. contra adverſ. legis cap. 3. Vides D. Cabeljavi etiam difficillimam legem de concupiſcentia gratiâ Chriſti impleri poſſe, *Id agit gratia ut dilectione impleantur mandata Dei, quæ timore non poterant; Gratia quippe Dei diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis, propter quod ipſe Dominus ait, non veni ſolvere legem; ſed adimplere: & ideo Apoſtolus: plenitudo legis Caritas eſt*: in Pſal. 118. con. 26. *Lex ergo data eſt ut gratia quæreretur, gratia data eſt ut lex impleretur.*

de

de gratia cap. 19. & 20. *Lex ergo auditores juſtitiæ facit, gratia factores*: lib. 3. contra duas Epiſt. Pel. c. 11. *Proinde per legem gratia demonſtratur ut lex per gratiam compleatur*, tom. 7. de grat. Chriſti contra Pelag. c. 9. *Lex adducit ad Fidem, Fides impetrat ſpiritum largiorem, diffundit ſpiritus caritatem, implet caritas legem*: l. Sent. Sent. 223. tom. 3. *Ipſa lex cum impletur, eſt gratia, & veritas acta eſt; gratia pertinet ad caritatis plenitudinem*: lib 16. c. 6. contra fauſtum. Et quis omnia Auguſt. teſtimonia enumeret: ex quibus duo clariſſima ſunt contra Cabeljavium. Primò gratiam non minus pro lege dari quam fide. Secundò tàm legem quàm fidem impleri poſſe. Hoc ſolùm principium totam ſuam hæreſin & controverſiam hanc evertit. *Numquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto*: Gratiam pro gratia accepimus & onus leve. Hic adeo Prædicantes non laborem ſed impoſſibilitatem fingunt. *Pſal. 93.*

V. Principium, *Concupiſcentia eſt peccatum, à quo deinde omnia opera noſtra inficiuntur, ut per ea lex impleri non poſſit*: Si quæras quænam illa ſit concupiſcentia, Reſpondet Caheljavius. Primò Concupiſcentia in actu primo ſeu ipſa potentia tam inferior videlicet concupiſcibilis & iraſcibilis, quàm ſuperior videlicet voluntas & intellectus. Omnis ſecundò concupiſcentia in actu ſecundo, ſeu omnes motus concupiſcentiæ ſunt peccatum. Mirari ſe inſuper, ait, Cabeljavius hanc ſuam Doctrinam à Jeſuitis non poſſe capi: ſcribit quidem, ſi Prædicantes in multis ſilere poſſent, ſapientiores multò in multis haberi poſſe; hanc tuam de concupiſcentiæ doctrinam, totus mundus, qui ſapit, non capit; nec Philoſophi nec Theologi nec acutiſſimus S. Auguſt. lib. de nupt. & concup. *Ipſa Concupiſcentia jam non eſt peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non conſentitur.* Cætera teſtimonia

monia Auguſt. leges infra cap. 8. Ratio evidens; Quia nullum peccatum eſt, niſi quod voluntarium eſt; ipſa verò potentia & concupiſcentia in actu primo, non eſt ipſe actus liber nec voluntarium illud, ſed potentia ipſa. Aug. lib. de verrel. c. 14. *Uſque adeò peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi voluntarium non ſit.* Secundò. ſi concupiſcentia in actu primo ſit peccatum, eaque duplex ſit ſuperior & inferior, etiam ipſa voluntas & intellectus peccatum erunt, cùm utraque potentia per originale peccatum vulnerata ſit, & per conſequens omnes actus ab iis eliciti etiam infecti erunt; ergo & ipſe actus fidei ſivè ſit fiducia in voluntate, ſive cognitio in intellectu; Quomodo ergo juſtificatio per actum immundum, ipſumque peccatum fieri poteſt, ut docetis? nihil abſurdius in omni Philoſophia & Theologia fingi poteſt, ut quod in ſe peccatum eſt duplici maculâ, tam quoad potentiam, quàm actum juſtificare poſſit. Tertiò. Hæc ſordida Doctrina in nullo Concilio, nullo Patre, nullo antiquo Theologo patrocinium habet, quæ ex ſcripturâ in ſpeciem moves, infra ſolvam cap. de concupiſc. Quartò ex hac ſententiâ veſtrâ conſequitur etiam pueros, amentes, & dormientes peccare, quod per æque abſurdum eſt. Quocirca S. Aug. lib. 10. de Civit. Dei cap. 25. *Quod ſi concupiſcentialis obedientia eſt abſque culpâ, in corpore dormientis, quantò magis abſque culpâ in corpore non conſentientis.*

VI. Principium *Omnia noſtra opera ſunt immunda*, ita Cabeljavius ex Iſa. c. 64. v. 6. adeoque ſordes & inquinamenta; ergo per ea, uti per infecta concupiſcentiæ opera, nemo legem implere poteſt. Hoc verò principium quàm ſit fallax & infulſum tum ipſa S. Scriptura oſtendit, quæ juſtos, mundos, ablutos, ſanctificatos, & perfe-

ctos

ctos toties commendat; Tum ipſa ratio. Sed de hoc ipſo ad locum Iſaiæ reſpondebimus cap 9.

VII. Principium *Nulla datur diſtinctio inter mortale & veniale, proinde omnia peccata æqualia erunt & mortifera; jam verò cum nemo ſine venialibus vivat, etiam nemo ſine mortiferis vivit, & per conſequens nemo legem implere poteſt.* Magnopere in hoc principio exultat Cabeljavius, ſpondet probationem ſed nihil præſtat, ut ſolet, & quomodo probabit; cum illud non tam ſtoicorum inſulſum ſit Paradoxon quàm Joviniani & Pelagii Heterodoxon, & damnata hæreſis, quæ dudum ab Auguſt. Hieron. & omnibus Theologis exploſa eſt. Verum de hoc errore infra cap. 5. & 13.

VIII. Principium falſitatis ſumunt Prædicantes, & cum primis Cabeljavius ex quibuſdam ſcripturæ locis & Patrum dictis, quæ per ambages circumducunt, flectunt, torquent & obtorquent, omnium hæreticorum non tam privilegio quàm Sacrilegio, ut falſa quadam ſpecie legem populo impoſſibilem oſtendant, in hoc principio totam propè controverſiam ſuam obverſat, neque in hac tantùm Controverſiâ, ſed in omnibus aliis continuo in ipſa principia impingit, ut in decurſu prudens lector advertet. Igitur hæc primùm firmanda ſunt Prædicanti, antequam lacerâ ſuâ ſcapha Oceanum trajicere paret.

CAPUT IV.

Inanis reſponſio Prædicantis ad Quæſtiones Comitis de mandatorum obſervatione, propoſitas.

ILluſtriſſimus Comes ex Catechiſmo Gallico reformatæ Religionis, ejuſque doctrinâ has quæſtiones poſuit.

Quærit

Quærit Primò Catechiſmus: *An lex propriis viribus ſervari poſſit?* *Reſpondet Catechiſmus negativè.*

Quærit Secundò: *Quis ille eſt qui tibi dat præcepta, ut explere poſſis: Reſpondet Spiritus Sanctus.*

Quærit Tertiò: *Quod ſi ergo Deus det tibi ſpiritum ſanctum, potesne tum perfectè ſervare mandata Dei? Reſpondet minimè.*

Hic Prædicans inter duos ſcopulos contradictionis colliſus, quò ſe verteret? poſſe enim ſervari gratiâ Spiritus Sancti; & non poſſe gratiâ Spiritus Sancti ſervari mandata, contradictoria ſunt: Sapienter Comes pro acri ingenio & judicio; Prædicans ut in ſpeciem ſe expediret ad diſtinctionis anchoram confugit, ut dicere coactus ſit, Præcepta abſolutâ Dei potentiâ & extraordinariâ Spiritus S. gratiâ ſervari poſſe; ordinariâ verò ſervari non poſſe: ſimile eſt ſi quis quærat: an homo ſine Fide, ſine Baptiſmo, ſine Cœna, ſine Pœnitentia ſalvari poſſit; item an ego & Prædicans poſſimus Miracula perpetrare, cæcis viſum, claudis greſſum, ſurdis auditum reddere. Reſpondet de abſolutâ potentiâ Dei id fieri poſſe; verùm quis de abſolutâ potentiâ dubitat, & quis illud quærit, an *de lapidibus poſſis Deus ſuſcitare filios Abrahæ*, proinde ut aliquid diceret, nihil adhuc dixit. Quæſtio ergo eſt de ordinariâ Spiritus S. gratiâ; id verò negat Prædicans: Quæro ergo, an non Baptiſmus Cœna, Prædicatio Evangelii, Pœnitentia, Caritatis lex ſimiliaque ſint præcepta novæ legis? Si neges tota te Scriptura revincet & condemnabit: Matth. 5. Joan. 13. Joan. 14. Joan. 6. Joan. 20. Luc. 22. Matth. ult. tum Trident. ſeſſ. 6. cap. 19. *Si quis dixerit præter fidem nihil præceptum eſſe, anathema ſit.* vide Suarez lib. 10. de leg. c. 1. Si affirmes poſſe ordinariâ Spiritus S. gratiâ ſervari ut fateri te neceſſe eſt, jam præcepta novæ legis adeoque

Matth. 3. *Luc. 3.*

Digitized by Google

oque Decalogus ſervari poſſunt, quidquid enim de Decalogo negaveris, totum in novæ legis præcepta retorquebitur. vide quò te abduxiſti.

Rom. 3. II. Præter legem moralem & factorum ſtatuenda eſt lex fidei: ita enim Apoſtolus: *per quam legem? factorum? Non, ſed per legem fidei*; de hac lege pari argumento urgemus: vel illa lex fidei ordinariâ Spiritus S. gratiâ ſervari poteſt, vel extraordinariâ tantùm. Non poſtremum dices, ita enim nullus Calviniſta crederet quin ſemper Deus de abſolutâ potentiâ ageret cum illo; niſi hinc fortè tam pauci ſint Calviniſtæ, qui ſoli veram fidem conſecuti ſunt. Ergo prius verum erit de ordinariâ Spiritus S. gratiâ, jam ſi lex fidei ordinariâ gratiâ poſſibilis eſt, quæ longè difficilior eſt multis moralibus legibus, teſte ſcripturâ & experientiâ ut in obſequium fidei ſit intellectus; quare non ergo lex factorum & moralis poſſibilis ſtatuetur. Quâ ſcripturâ oſtendes, gratiam ordinariam ſoli dono fidei alligatam eſſe, cum tam multa ſint dona Spiritus S. pueris in Catechiſmis adeò nota.

III. Quis unquam Catholicus Scriptor, quis SS. PP. quod Concilium ante veſtras hæreſes docuit legem ordinariâ gratiâ non poſſe ſervari; ſanè cum Pelagius docuiſſet, poſſe hominem ſolis naturæ viribus totam legem implere, juſtificari, perſeverare & vitam æternam conſequi; Patres & Concilia docuere, non id ſolis viribus naturæ fieri poſſe, ſed ad id neceſſariò gratiam requiri, & quantùm Hæretici Pelagiani liberum arbitrium extulêre, tantùm Patres gratiam extulere. Quæ ergo tua amentia eſſe potuit? ut diceres, non poſſe legem per gratiam Spiritus impleri; quam Patres poſſe per gratiam impleri docuerunt. Nunquid hic contradictoria rurſum admittas neceſſe eſt. De abſolutâ tuâ potentiâ ne veſtigium quidem in hac re apud Patres; etenim uti Pelagius de ordinario naturæ curſu

curſu egit ita Patres de ordinariâ gratiâ; uti Pelagius vires naturæ ad totam legem extendit, & non ad ſolam fidem, ita Patres gratiam ad totam legem extendebant. Quæ nunc tua non tam ratio quam deliratio, ut infinitam Chriſti gratiam in has anguſtias compellas, *Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum.* *Joan.* 3.

IV. Deus legem dedit fidei & mandatorum, utramque tanquam medium ſalutis, ſub graviſſimis pœnis, & æternis inferorum ſuppliciis, quæ lex cum per vires naturæ poſſibilis non ſit, reliquum eſt, ut Deus gratiam dederit omnibus ſufficientem, etiam improbis, aut certè neceſſe eſt facere Deum mendacem, Hypocritam, & Tyrannum. *Becanus* Hanc autem ſufficientem gratiam Deum dediſſe, *Bell. lib.* 2. *de grat. & lib. arb. c.* 5. omnium Theologorum conſenſus eſt, innumeris ſcripturæ teſtimoniis confirmatus. *Qui vult omnes* 1 *Timot.* 2. *ſalvos fieri. Deus patienter agit propter vos nolens a-* 2 *Pet.* 3. *liquos perire. Venite ad me omnes qui laboratis & o-* *Matth.* 11. *nerati eſtis & reficiam vos. Nunquid voluntatis meæ* *Ezech.* 18. *eſt mors impii?* Signatè verò teſtimonia, de lege ſervandâ, quot ſcriptura non exhibet? *ſpiritum meum* *Ezech.* 36. *ponam in medio veſtri & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* eadem legis Deut. 30. *Mandatum hoc quod ego tibi hodie præcipuo non eſt ſupra te*: Deut. 32. Job. 23. Pſal. 111. Pſal. 118. Pſal. 18. *Iugum* *Matt.* 11. *meum ſuave eſt. Hæc eſt Caritas Dei, ut mandata* 1 *Joan.* 5. *ejus cuſtodiamus.* Jam ſi ſufficientem gratiam dedit omnibus, & ordinariam dedit; quid enim tam ordinarium quàm quod omnibus datur & nulli negatur. Prætermitto quæ de gratiâ efficaci Theologi tradunt; quæ enim tàm ordinaria juſtorum gratia, quàm quâ omnes juſti ſalutem conſecuti ſunt, quâque ad finem mundi electorum numerus complebitur. Hos omnes ſi per abſolutam potentiam & extraordinariam gratiam ſalvos factos dicas, cum ordinariam pernegas, ne terminos qui-

dem intelligis. Ecce Catecheticam illam quæſtionem pueris ptopoſitam ſolvere non potuiſti; & quæ trophæa de Jeſnitarum victoria erigis: ſed quorſum hæc tua tam incredibilis Sententia? ſcio, ut videlicet conſequenter doceas legem impoſſibilem eſſe: ſi enim ordinariam Spiritus S. gratiam admitteres, jam legem poſſibilem faceres, & ad Catholicorum partes accederes: ut tamen videaris accedere, multum remittis, quando ſolùm quæris an lex Chriſti *perfectè* ſervari poſſit, de quo nunc agendum.

CAPUT V.

An lex Chriſti perfectè ſervari poſſit?

IMpia Antinomorum doctrina eſt legem Chriſti abſolutè impoſſibilem eſſe, imò nihil ad Chriſtianos Moyſen cum ſuâ lege; Decalogum ad Curiam non ad cathedram pertinere, quicunque circa Moyſen occupantur, è Diaboli diſciplinâ cenſeri. Moyſen ad furcam eblegandum. Et qui non Aphoriſmi ab Ulenbergio memorantur? de his pari cenſura Adamus Contzen. lib. 5. Polit. cæterique omnes Theologi Catholici. Nova hujus ſæculi hæreſis auctore Agricola, tàm inauditâ, quàm horrida Chriſtianorum auribus, ſed ex Lutheri doctrinâ & pronunciatis, ut Ulenbergius ſcribit: illud de Luthero certum, docuiſſe eum legem impoſſihilem eſſe, ut Bell. refert, lib. 4. de Juſtif. c. 10. cæterique Catholici. Quid enim illud Lutheri? Æquè impoſſibilia ſunt omnia præcepta atque illud unum: Non Concupiſces. De Calvino perinde certnm, l. 3. Inſt. c. 14. in antidoto Conc. Trid. ſeſſ.6.c.11. lib.2. inſt. c.7. de quâ hæreſi cum innume-

Vlenb. cap. 29. in vita Luth.

Lib. de lib. Chriſti.

innumeri alii tum imprimis Bec. opuſc. de deſperatâ Calviniſtarum Prædeſtinat. res orbi explorata & deplorata. Nihil de hac impiâ doctrinâ, Majorum noſtrorum & tot ſæculorum fides.

At verò Kemnitius in exam. Conc. Trid. temperamentum admiſit, fateturque legem per gratiam Dei ſervari poſſe; ſed non *perfectè*, queriturque hanc vocem in Trid. Synodo deſiderari. Kemnitium Cabeljavius ſequitur, ratuſque hic ſe inexplicabilem Gordii nodum reperiſſe, in quo totum hujus Controverſiæ inanem triumphum verſat; eum vero uno hoc ſyllogiſmo inſtrinxit.

Nullus peccator ſervat perfectè legem:
Omnis homo eſt peccator; ergo
Nullus homo ſervat perfectè legem.

Majorem non probat, ſed ſine diſtinctione falsò ſupponit, Minorem probat variis Scripturæ teſtimoniis, quæ oſtendunt nullum ſine omni peccato vivere. 1. Reg. 8. Proverb. 20. Eccl. 7. Joan. 1. Jacob. 2. & 3. Galat. 5. & cæteris, quæ minorem tantùm probant.

Dabis mihi hoc, ut ego tibi in ſimili modo Syllogiſmum ponam ſolvendum, quando id Chriſtus ſibi in ſimili genere permitti voluit Matt. 25. Luc. 20. Marc. 11.

Nullus peccator eſt juſtus:
Omnis Calviniſta eſt peccator; ergo
Nullus Calviniſta eſt juſtus.

Major evidens eſt ex S. Ioan. c. 3. 4. *peccatum eſt iniquitas.* ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία c. 4. *Omnis iniquitas peccatum eſt*, πᾶσα ἀδικία ἁμαρτία ἐστί. deinde peccatum & juſtitia ſtrictè opponuntur. Minor itidem certa eſt. Nam omnis homo eſt peccator ex tuâ minori, ergo & omnis Calviniſta, concluſio proinde inevitabilis eſt: & tamen ſimul ejus contraria vera eſt hoc Syllogiſmo.

Quicunque credit ut oportet eſt juſtus:

Omnis Calviniſta credit ut oportet; ergo
Omnis Calviniſta eſt juſtus.

Imò contradictoria ex iiſdem terminis vera eſt hoc Syllogiſmo.

Quicunque credit eſt juſtus:
Aliquis Calviniſta credit; ergo
Aliquis Calviniſta eſt juſtus.

Major utriuſque Syllogiſmi vera eſt, Nam fides vobis eſt unica & adæquata cauſa juſtitiæ, rurſum ex alio principio tuo falſa eſt, quia omnia juſtorum opera ſunt ſordes & inquinamenta, ut ſcribis, ſi confugias ad diſtinctionem à te datam num. 3. ad vocem perfectè, cui nihil neque in partibus, neque in gradibus deeſt, quod tu de fidei lege dicis, idem ego à te in lege factorum requiram. Audi & illud. *Nullus peccator poteſt placere Deo; odio*
Cap. 14. *enim ſunt Deo impius & impietas ejus; Omnis prædicans eſt peccator quia omnis homo peccator eſt, ut ais*; ergo *Nullus Prædicans poteſt placere Deo.*

Nunquid jam uterque in vado hæremus? Tu vide quomodo te expedias, & niſi ad diſtinctionem noſtram confugias, nunquam te expedies; Catholicorum reſponſio facilis eſt, & expedita, uti data tibi eſt à Patribus Embricenſibus, dummodo intelligas, igitur reſpondeamus ad Syllogiſmum tuum.

Nullus peccans mortaliter & directè contra legem, obſervat perfectè legem, concedo: Nullus peccans venialiter & indirectè nego: omnis homo eſt peccator, peccans directè & mortaliter, nego; venialiter & indirectè, concedo; Ergo nullus homo ſervat perfectè legem; conſequentia negatur, atque hæc eſt Lorini reſponſio in Epiſtolam 1 S. Ioan. Pererius in cap. 7. ad Rom. in terminis hanc quæſtionem ſolvit, monetque in voce perfectè æquivocationem cavendam; alia enim eſt perfectio quæ mortale excludit, non veniale, & hæc præſtari

poteſt

Digitized by Google

poteſt à juſtis in hac vitâ, alia abſolutiſſima eſt perfectio legis ſervatæ ſine omni offenſione legis, eaque ſolùm in cœlo eſt. Citas Pererium in relatâ controverſiâ, poteras & hoc legere. Alii Mortale *ſimpliciter* peccatum eſſe dicunt contra legem; veniale *ſecundùm Quid*: itàque diſtinguunt vaſq. diſp. 12°. Soto, Bec. Alii dicunt Mortale eſſe contra legem, & contra finem legis; veniale verò non eſſe contra finem legis, ita Layman in Theolog. Morali. Diſtinguit Majorem tuam. S. Thom. mortale eſſe *contra legem*, veniale verò *præter legem*. Quæ omnia eodem recidunt; ut te clarius informem, ita accipe: Finis legis eſt Caritas, amicitia cum Deo, ſtatus gratiæ, Hæc vero non tollit veniale, proindeque perfectionem legis non tollit, ſecus eſt de Mortali. jam ita argumentare. *Quicunque ſervat finem legis, ſervat perfectionem legis: at in venialibus conſtitutus ſervat finem legis; ergo & ſervat perfectionem legis.* Hæc reſponſio fundata eſt in ratione, cum veniale analogicè ſit peccatum ut cum D. Thom. 1. 2dæ. q. 88, art. 1. adeoque genere differt, ut art. 2. docent Theologi paſſim. Et niſi hanc diſtinctionem nobiſcum admittas, cum omne peccatum ſit ἀνομία, & mortalis quidem, ut ſcribis ad locum S. Ioan. à te adductum, omnes homines ſimpliciter injuſti erunt, nec ullus juſtus erit in Eccleſiâ, imò contra Calvinum ſcribis qui omnia Prædeſtinatorum peccata aſſerit eſſe venialia: Calv. lib. 2. Inſt. cap. 8. §. 59. lib. 3. cap. 4. §. 28. 2do. Hæc reſponſio fundata eſt in Scriptura, quæ Parodoxon Stoicorum rejicit: Omnia peccata eſſe æqualia. ut Bec. opuſc. 6. de juſt. bon. op. c. 1. Bell. lib. 4. de juſtif. c. 14. 3io. Hæc Reſponſio eſt contra damnatos Hæreticos, Iovinianum, Pelagium & Wiclef, qui diſtinctionem mortalis & venialis non admiſerunt, quos primos opgugnavit Hieron. lib. 2. adv. Iovin. & Auguſt. lib. de hær. cap. 88. de quo errore totus eſt liber

Lib. 1. *tract.* 3. *c.* 5.

Digitized by Google

Bell. 1. de amiſſ. grat. & ſtatu Peccat. a. c. 3. ad finem. Hoc fundamentum tibi refutandum eſt, ſi quid agere velis, verùm tu Iovinianus & Pelagianus eſſe mavis, qui PP. Embricenſes toties criminaris eſſe Pelagianos; Hic totus tuus pulmo Pelagium ſpirat. 3io. Hæc demum reſponſio omnia ſolvit argumenta, quæ ex Scripturâ, Patribus, & ratione attuliſti. Quæ nihil aliud probant, quàm neminem eſſe ſine omni peccato ſaltem veniali, proindeque neminem hic illam perfectionem conſeqni, quæ eſt in ſtatu pacis, ſive quæ Beatorum eſt perfectio. Et quis Catholicorum id negat? quod tu tantâ mole, & confuſione, & perturbatione in tenebris & arena ædificas.

CAPUT VI.

Prædicans ex Scripturæ locis nihil contra Catholicos probat.

POſt falſa fundamenta & enervem Syllogiſmum quanto poteſt niſu, & locorum objectu ex S. Scripturâ Prædicans ſe firmare aggreditur. Scripturæ loca ſunt primùm hæc.

Non eſt homo, qui non peccet. 3 Reg. 8. *Quis poteſt dicere Mundum eſt cor meum*, Prov. 20. *Non eſt homo juſtus in terrâ qui faciat bonnm & non peccet*, Eccl. 7. Poteras addere & illud vulgatum, *Septies in die cadit juſtus* Prov. 23. & illud Pſal. 142. *Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*, aliaque complura. Sed quid teſtimonia hæc evincunt? Nihil, niſi illud, Neminem ſine omni peccato ſaltem veniali vivere, illud Catholicum eſt, proinde his teſtimoniis nos utimur; audi quid adeo ſit definitum in Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 11. *Licet in hac mortali vita, quantumvis juſti & ſancti in levia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata,*

quan-

quandoque cadant, non propterea deſinunt eſſe juſti: Nam juſtorum illa vox eſt humilis, & verax. Dimitte nobis debita noſtra: ita Trid. ex Milevitano c. 7. & 8. Quod tu tamen eadem cæcitate contra nos citas: idem Conc. citat pro eadem ſententiâ illud Joan. 1. c. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus:* item illud *Dimitte nobis debita noſtra:* ſanctos pro ſe orare. Hinc in Concilio Dioſpolitano (quod Milevitano prius fuit) juſſus eſt Pelagius, qui docuerat Filios Dei non poſſe vocari, niſi omninò ab omni peccato immunes fuerint effecti, retractare & fateri, etiam illos Filios Dei vocari, qui quotidie dicunt, Dimitte nobis debita noſtra. vides ergo ſubdolè contra nos Milevitanum citari à te, ut perſuaderes omnes homines mortalibus neceſſariò obnoxios eſſe. 2do. poſſe juſtos, poſſe Filios Dei eſſe, poſſe perfectionem juſtitiæ etiam cum venialibus conſiſtere. Poteras ergo ſuperſedere iſto labore, quo Catholicam doctrinam magis firmas, quàm oppugnas; verùm quia erroneo fundamento inhæres, omnia videlicet peccata eſſe mortalia, quidquid in Scriptura, Conciliis & Patribus legis de peccatis, ad mortalia trahis, ut veram juſtitiam veluti ſolem è Mundo tollas, utque per venialia omnes immundos & transgreſſores leges facias; & jam nemo dici poſſit legem perfectè obſervare. Quid ergo illa Scripturæ loca: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini,* Pſal. 118. *Qui ingreditur ſine macula & operatur juſtitiam* Pſal. 14. *Perfecti eſtote in conſpectu Domini Dei veſtri* Deut. 18. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter perfectus eſt* Matth. 5. *Omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat* Joan. 3. *Ambula coram me, & eſto perfectus. Si vis perfectus eſſe vade & vende omnia* Matth. 19. *In omni converſatione Sancti* 1 Pet. 1. ubi hic legis ſolâ fide ſanctos. Quid illud & innumera alia? *Modicum* 1 Pet. 5. *paſſos ipſe perficiet, confirmabit ſolidabitque,* Quid in-

Digitized by Google

inquam niſi ut perfectam juſtitiam per gratiam Dei ante oculos conſtituant perſequi & conſequi nos poſſe. Ne verò illam venialibus impediri, criminis præter Scripturæ jam adducta, plurima ſunt SS. Patrum cumprimis Auguſtini teſtimonia: Unum recitabo ex lib. de nat. & grat. c. 38. *Quia ſæpe in leviſſimis, & aliquando incautis obrepit peccatum; & juſti fuerint, & ſine peccatis non fuerint.* Igitur cum S. Proſpero in lib. Sent. & cum S. Fulgentio de Fide c. 41. ſenti rectius, *firmiſſimè tene & nullatenus dubites etiam juſtos atque ſanctos homines, exceptis iis, qui baptizati parvuli ſunt, ſine peccato hic neminem vivere poſſe.*

CAPUT VII.

Argumentatio Prædicantis ex S. Jacobo per Pſeudoſyllogiſmum.

DUplex ex Epiſtola Catholica Apoſtoli contra Catholicos profertur locus à Cabeljavio, primus eſt, c. 2. v. 10. *Qui autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno factus eſt omnium reus* Alter ex c. 3. v. 2. *In multis offendimus omnes.* Ex quibus talem format ex Metamorphoſi Syllogiſmum.

Qui offendit in uno, factus eſt omnium reus; Hæc ſit major, inquit;
Sed nos offendimus omnes in multis; Hæc eſt minor, inquit;
Ergo nos ſumus omnes in omnibus rei.

Mirus ſyllogiſmus! imò Paralogiſmus. Advertite Dialectici, ſignatè adſcribit Prædicans: Hæc ſit major, hæc eſt minor, quia nemo Syllogiſmum hic adverteret, niſi Prædicans ſcriberet: vel hinc apparet, quantus diſputator acceſſerit, & provocarit Embricenſes. Nihilne aliud in illo Athenæo Leiden-

Leidenſi? ità-ne *non eſt inter vos ſapiens quiſquam*, qui poſſit judicare, aut librorum cenſor? legat tota Hollandia; fol. 5. n. 10. Sed uti novus & perpetuus Philoſophiæ, uti Scripturæ Dictator eſt Cabeljavius; tranſeat & hoc cum cæteris erroribus; ad rem ipſam Reſpondeamns. Qui offendit in uno, omnium reus eſt, verum eſt de Mortali, non veniali; Mortale enim tollit juſtitiam & ſtatum gratiæ. *Bonum* ut ait S. Dionyſ. Areop. *eſt ex integrâ causâ*, ut quis bonus, & juſtus dicatur, totam legem in illâ perfectione ſervare debet. At quomodo uno mortali omnium quis reus? unone furto etiam homicidii & adulterii quis reus? illud & tibi juxta ſolvendum eſt, ergò, primò, omnium, accipe *conjunctim*, ſive *copulatim*, non *copulativè*; omnes leges integrant unam totalem legem: violat ergo omnia, non ſingula; perinde ut vox diſſona una totam turbat harmoniam. Quin hæreticus, qui unum articulum fidei non credit totam fidem amittit, atque ita S. Jacobus Phariſæos & Judæos hic inſtruit, ratos ſe legi ſatisfeciſſe, & juſtos eſſe poſſe, ſi partem legis ſervarent. ita S. Joan. Epiſtolâ 1. c. 3. *Qui non diligit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & manet in morte.* Quare non legiſtis Auguſtinum cujus tota Epiſtola 29. eſt de hac Jacobi ſententiâ: is idem cum Catholicis docet: videlicet uno mortali tolli Caritatem, hanc ſuprà audiviſti eſſe finem legis, in hac juſtitiâ, & principium vitæ, & ſtatus gratiæ. Hinc S. Gregorius: *omnia præcepta unum ſunt in radice Charitatis.* Nihil horum convenit venialibus, quæ Caritatem & juſtitiam non ſubmovent. Nihil ergo efficis hoc argumento; niſi, ut ignorantiam tuam ludibrio proponas.

1 Cor. 6.

Hom. 27. Euang.

Alterum Argumentum ex Ioan. Epiſtola 1. c. 1. v. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Hìc

verò

Digitized by Google

verò agi non de veniali ſed mortali; ergo nullus eſt juſtus, & nullus obſervat perfectè legem. Quantam hîc victoriam attollis contra Patres Embricenſ. quando Alter tibi reſpondit Agi de veniali non mortali; Alter non agi de actu ſeu de peccato, quod quis actu in tempore præſente faciat ſed commiſſum eſt aut committi poteſt. Quid quæſo hîc habes niſi λόγυς? Nihil probas, & multa garris, uterque id reſpondit, quod viri docti & SS. Patres reſponderunt. Accipe nunc paucis. I. Dionyſius Carthuſianus ait, hunc locum intelligi de venialibus, probat ratione & teſtimonio S. Auguſt. idem Hugo Cardinalis dicit. 2do. Cajetanus id docet, quod alter Patrum reſpondit, videlicet nullum eſſe, qui negare poſſit ſe peccatum non habere vel habuiſſe, ſaltem originale, quod ſanguine Chriſti expiari neceſſe fuerit. 3io. Lyranus & Bonaventura: neminem eſſe qui dicere poſſit, ſe ſine peccato eſſe, *neſcit enim homo utrùm odio an amore ſit dignus*, cum de illo revelatio nulli ſit, niſi forte Prædicantibus per ſpecialem fidem. 4to. Catharinus de concupiſcentiâ accipit, quod cum impropriè peccatum ſit, tum ſollicitat ad peccatum etiam juſtos ad venialia, à quibus nemo immunis eſt. hunc ſequitur Salmeron hoc loco tomo tamen 5. tract. 10. & vel originale vel veniale intelligit. Fuiſtine jam in Concilio Deorum, ut aliquid certius per revelationem adferas? ſanè verò hæ, omnes Catholicorum ſententiæ ſe mutuò ferunt, ſolùm tuam excludunt, quæ à nullo SS. Patrum tradita. Quare Lorinus propoſitionem S. Ioannis generatim accipiendam cenſet. Quanquam Auguſt. lib. de Virg. c. 49. Expreſsè dicat Ioannem loqui de venialibus, & non mortiferis & probat ex Cypriani & Ambroſii auctoritate. eadem ſcribit Innocentio Papæ, epiſtolâ 95. repetit idem lib. 4. contra 2. Epiſt. Pel. c. 10. lib. de perf. juſt. c. ult. 2. de peccat. mer. c. 13.

clef. 9.

proinde-

Digitized by Google

proindeque Ioannem de ſe quoque loqui cenſet, utì Jacobus de ſe illud, *In multis offendimus omnes.* Qúis verò S. Ioannem, & Iacobum non mavult cum S. Auguſt. venialibus obnoxios dicere, quàm cum Prædicante mortalibus. S. Gregor. utrumque pronunciatum SS. Ioannis & Iacobi de venialibus accipit; Eodem ſpectat Hieron. contra Pel. Dial. 3. S. Baſil. Hom. de pœn. Cyp. lib. 3. ad Quirin. cap. 54. Amb. de fug. ſæc. cap. 1. Eadem Sententia Conc. Milevitani Can. 6. *Et lib. 18. Mor. c. 4.*

Sed quibus argumentis probas S. Ioannem loqui de ſolo mortali. Tum ais: S. Ioannes loquitur de peccatis quæ ſanguine Chriſti lavantur v. 7. at ſola mortalia expiantur ſanguine Chriſti; ergo. Lepidum eſt audire novos illos Theologos; Quare non etiam venialia? imò verò. Hinc dicit ab omni peccato: etiam pœnæ & reatus, quid enim, præter culpam expiat temporales & æternas pœnas, niſi ſanguis Chriſti? ideo vera eſt ſententia S. Thomæ, quam explodis; ſed non tam injurius in S. Thom. quàm Chriſti merita: *Copioſa apud eum redemptio.* *Pſal. 129.*

Repetamus nunc infallibilem S. Ioannis propoſitionem;

Quicunque dicit ſe peccatum non habere, ille mendax eſt:

Prædicantes dicunt ſe peccatum non habere; ergo *Prædicantes ſunt mendaces:*

Major eſt S. Ioannis, minorem probo:

Quicunque dicit & docet ſe per fidem Generalem, & ſpecialem habere remiſſionem peccatorum, ille dicit ſe non habere peccatum:

Sed hoc Prædicantes dicunt & docent: ergo.

Hoc utrumque privilegium novi eſt Euangelii, ſed neque à Chtiſto, neque ab Angelo, neque ab Eccleſiâ confirmatum, & obſignatum; nec tamdiu machina orbis ſtabit, ut confirmetur. Quis unquam

quam Pontifex tantas indulgentias ex theſauro Chriſti dedit?

CAPUT VIII.

An Concupiſcentia legem faciat impoſſibilem.

HÆc communis Prædicantum pervaſio eſt, & incurabilis non tàm corruptæ naturæ, quàm Phantaſiæ hæreticorum morbus. Naturam per Originale peccatum vulneratam quis neſcit? non tamen continuò ſequitur; Ergo lex eſt impoſſibilis homini per gratiam Chriſti reparato.

Audiamus quid Cabeljavius ferat ex cap. 5. ad Galat. *Caro concupiſcit adverſus Spiritum, & Spiritus adverſus carnem; hæc enim ſibi invicem adverſantur, ut non, quæcunque vultis faciatis.* Quæ vero ſubjungit Apoſtolus *Manifeſta ſunt opera Carnis: Quoniam qui talia agunt regnum Dei non conſequentur.* tum illud: *Fructus Spiritus ſunt Caritas, gaudium;* Ea nihil ad prædicantes ſpectant. iterum. *Qui autem Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt, cum vitiis & concupiſcentiis.* Hæc ſatis oſtendunt per gratiam Chriſti concupiſcentiæ luctam ſuperari poſſe, aliàs iniquiſſimum Dei judicium eſſet. ſi per opera carnis, quæ evitari non poſſunt æterna damnatio decreta eſſet. Sed argumentantem Cabeljavium audiamus in formâ Syllogyſticâ.

Quicunque non ſunt integrè regenerati, ſed in ſe ſentiunt concupiſcentias Carnis,
Illi non poſſunt perfectè ſervare legem;
Atqui omnes regenerati hæc ſentiunt. ergo

Rurſum hiulcus & mancus Syllogiſmus; fluunt huic Prædicanti Syllogiſmi ut Tyroni inchoanti Heteroditi verſus. Medium quod duas propoſitiones ha-

nes habet in majore, mutile & diſtortè ponitur in minore; ita Dialecticus poneret.

Quicunque non ſunt integrè regenerati ſed ſentiunt in ſe Concupiſcentias Carnis, illi non poſſunt perfectè ſervare legem:
Sed nulli homines ſunt integrè regenerati & ſentiunt concupiſcentias carnis;
ergo non poſſunt ſervare legem.

Præterquam quod ex negativis nihil ſequitur, jam tum major & minor falſa eſt ob duas falſas propoſitiones. Prima propoſitio eſt; *Homo non eſt integrè regeneratus, ergo non poteſt ſervare legem.* Hæc propoſitio falſiſſima eſt, impia & blaſphema, quæ in nullâ Scripturâ, nullo Concilio nullo Patre reperiri poteſt. Scriptura dicit 1 Cor. 6. *Abluti eſtis, Sanctificati eſtis.* Eph. 5. *Mundans lavacro aquæ.* Rom. 6. *Ut novitate vitæ ambulemus*; nullibi imperfectus Baptiſmus & regeneratio vitæ ſcribitur. Secundò, ſequeretur vulnus originale, quod Cabeljavius inſtigante Diabolo inflictum ſcribit, fuiſſe potentius Diaboli manu, quàm Chriſti meritum; quod eſt contra Apoſtolum. Rom. 5. *Non ſicut delictum, ita & donum, ſi enim unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratiâ unius hominis IESU CHRISTI in plures abundavit.* Tertiò, falſitatem hanc oſtendit evidentiſſima ratio; nam παλιγγενεσία hæc & regeneratio conſiſtit in remiſſione, culpæ & pœnæ, atqui hæc in Baptiſmo perfecta eſt, ergo & regeneratio; *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto IESU.* Auguſt. contra Pel. epiſtolar. lib. cap. 13. *Dicimus baptiſma dare omnium indulgentiam peccatorum & auferre crimina, non radere.* rurſum lib. de Cont. c. 7. *Languorem iſtum culpa meruit, natura non habuit, quam ſanè culpam per lavacrum regenerationis Dei gratia jam fidelibus remiſit.* Semper hic

Prædi-

Digitized by Google

Prædicans in ipſa principia ſe illidit, ſed ignoſcendum, quia non intelligit.

Quod ſi de ipsâ Concupiſcentiâ quæratur, quomodo per regenerationem ſanata ſit. Reſpondent S. Thom. Corn. à Lapide, & omnes, in illa inchoatè regenerationem factam eſſe, donec eam quotidie mortificando, plenam ſanitatem conſequamur in cœlo. Hinc pugna illa & lucta relicta eſt à Deo in mortali corpore, de quâ modo agitur.

II. Propoſitio. *Qui ſentiunt concupiſcentias carnis, quibuſcum pugnandum quotidie, ii non poſſunt perfectè ſervare legem.* ℞. & hæc propoſitio ſeu conſequentia potius falſa eſt. pendet hæc reſponſio ab iis quæ dicta ſunt cap. 5. in quo videlicet perfectio ſervandæ legis conſiſtat: aliud eſt ſentire motus Concupiſcentiæ, aliud conſentire; nullos motus ſentire non eſt hujus vitæ, ſed alterius vitæ perfectio: rurſum aliud eſt mortaliter conſentire, aliud venialiter peccare. Gratia quæ omnem concupiſcentiæ motum, & imperfectum conſenſum tollit, extraordinaria eſt, & B. Virgini ſolùm data fuit, & paucis fortè aliis. gratia quæ mortalem conſenſum tollit, juſtorum eſt, & ordinaria eſt gratia, proinde per eam lex perfecte ſervari poteſt.

Secundò ubi à Deo eſt propoſita pugna, ibi & à Deo per Ordinariam gratiam debet eſſe poſſibilis victoria: ſed prius eſt verum, niſi tota ſcriptura nos fallat, ergo & poſterius. Tertiò, idem Concilia, Milevit. Arauſic. & Dioſpolitanum manifeſtè docent, dum juſtos aſſerunt, etſi veniales maculas ſentiant.

An vero illud ἀναμάρτητον, & vivere ſine omni peccato etiam veniali, locum in multis juſtis habeat, quæſitum fuit olim, Pelagius per vires naturæ & liberi arbitrii volebat; Patres per gratiam, ſiquidem

ſiquidem vera eſſet ſententia, quam Concilium Palæſtinum diſſimulanter habuit, quam ſententiam non continuò fuit auſus damnare S. Aug. lib. 2. de pecc. mort. c. 6. *Qui dicunt eſſe poſſe hominem in hac vitâ ſine peccato, non eſt eis continuò incautâ temeritate obſiſtendum*; cauſam dat, quod videatur derogare libero arbitrio, & Dei virtuti ac miſericordiæ. Verùm communem poſt ſententiam Concilii Arauſic. Milevit. aliorumque amplexus: juſtos etiam levioribus eſſe obnoxios. lib. de Arca & Noë c. 22. lib. de interp. Job. cap. 6. lib. de Nat. & grat. maximè c. 36. & 53. lib. de perf. juſt. lib. de pecc. mort. 2. cap. 7. & 8. lib. de ſpiritu & lit. ſerm. de verb. Domini c. 6. lib. de virg. c. 48, 49. lib. contra 2. Epiſtolas Pelag. c. 14. *Neminem carere peccato, licet crimine careat*; lib. tamen de natura & grat. B. Virginem eximit, c. 36. Ad quos ea extraordinaria porro extendi poſſit, aut non poſſit, docebit te Vaſques diſp. 120. cætera Suarez lib. 9. c. 8. de gratia perſequitur.

Rurſum Cabeljavius duas novas hæreſes inſpergit. Primo ipſam concupiſcentiam in actu primo peccatum eſſe, quod Rom. 7. peccatum ſcribatur. Verùm trita & communia hæc: Peccatum dicitur materialiter, non formaliter: tum quia pœna eſt peccati originalis, tum quia ſollicitat ad peccatum: pari modo Chriſtus tropice peccatum dicitur 2 Cor. 5. quia, ut S. Auguſt. in Euch. c. 14, Sacrificium peccatorum pro nobis fecit. Quidquid hic moveri poteſt, ſolvit Bell. integro lib. de Orig. peccato: hoc falſum illud principium eſt, de quo ſupra Cap. III.

Alter error Cabeljavii concupiſcentiam in actu ſecundo ſeu omnes motus concupiſcentiæ eſſe peccatum, neque unquam iis ita reſiſti poſſe, quin ſemper & in omni actu peccemus. trita denuo ſunt & centum libris confutata. Concupiſcentia quip-

pe tres motus habet. Primus involuntarius eſt, quo quis incitatur ſine conſenſu, & hic non eſt peccatum. Secundus motus imperfectè voluntarius eſt, atque hic venialis eſt, quo etiam juſti non carent, ſed non tollit perfectionem legis, ut jam audiviſti. Tertius perfectè voluntarius eſt, & hic mortalis eſt, ſi objectum ferat mortiferam materiam; atque hanc doctrinam fundant in illo Jacobi cap. 1. *Unuſquiſque tentatur à Concupiſcentiâ ſuâ, abſtractus & illectus. Deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum verò, cum conſummatum fuerit, generat mortem.* Quod nunc peccatum? mater an partus? 2do. fundatur hæc doctrina in ratione ipsâ, de quâ omnes Theologi & Aſcetici. 3io. in auctoritate Patrum: ſolum Auguſt. ſiſtamus, quem ſuæ hæreſis inſtar omnium ſibi patronum adſciſcit in Epilogo. De utraque concupiſcentiâ ſic ſentit.

Expoſ. 17. ex epiſtolâ ad Rom. *Non in ipſo deſiderio pravo, ſed in noſtrâ conſenſione peccatum eſt.*

l. 5. contra Jul. cap. 3. *Aliud eſt habere mala deſideria carnis, aliud tradi eis conſentiendo.*

l. 6. in Jul. lib. 1. Retract. c. 15. *Omni peccato carent juſtificati, ſed non omni malo.*

Hoc peccatum de quo ſic locutus eſt Apoſtolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum eſt, & pœna peccati eſt.

lib. contra Epiſt. Pel. cap. 10. *Hæc concupiſcentia vocatur peccatnm, non utique quia peccatum eſt, ſed quia peccato facta eſt, ſic vocatur ſicut ſcriptura manus cujuſque dicitur, quod manus eam fecerat.* Eadem habet lib. contra 2. Epiſtolas Pel. c. 13. lib. de cont. c. 7. lib. 2. de gen. c. 14. Quid nunc dicemus. *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei. ſtultitia enim ei eſt, & non poteſt intelligere.* *1 Cor. 2. v. 14.*

Poſtremùm ingeris illud Rom. 7. *Velle adjacet mihi perficere autem bonum non invenio.* adducis in confir-

confirmationem Hieronym. Amb. Chryſo. Primaſium Thom. Aquinatem, Adamum Sausboud, Toletum. Quanta nubes teſtium! demum ipſum Auguſt. lib. 3. contra Jul. cap. 26. Verùm ipſe Auguſt. totam hanc nubem dubii tui ſolvit, quando ait primò *perficere* non inveniri hic in terris in illâ eminentiſſimâ abſolutione, quæ ſolùm in ſtatu pacis eſt; proinde Comparatè loquitur. Nec aliud citati Patres docent. Hinc luctam cum carne agnoſcunt & ingemunt cum S. Paulo. Adeone hebes ut hæc non capias. Dicis te omnes commentarios legiſſe ſuper hoc verſu, *qui legit intelligat*, clamat Chriſtus, nullus hoc docet? quod tu exſculpere cogitas: cæteris omiſſis legiſtine Salmeronem? unum ex eruditiſſimis, & primis Jeſuitarum Patribus diſp. 10. in Epiſtolam ad Rom. is quæſtionem ponit hanc ipſam, & quærit, quomodo Matt. 5. & Col. c. 1. poſſint dici *Perfecti* cum Paulus, illud *perficere* neget ad Rom. 7. Reſpondendum, inquit, eſt breviter, ejuſmodi Concupiſcentiæ motus, aut levia peccata, quæ caveri non poſſunt, cum perfectione præſentis vitæ, aut cum juſtitia Dei non repugnare, quia alia eſt perfectio viæ, alia Patriæ. Lege deinde Suarez lib. 10. c. 4. de grat. Quid verò illud Philipp. 2. *Deus eſt, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bonâ voluntate*: perficere & non perficere nunquid contradictoria? utrumque ergo Paulus dixit, quomodo Conciliabis niſi cum S. Auguſt. Patribus & Theologis hanc Catholicam doctrinam amplectare.

CAPUT IX.

Diſſolvitur Prædicantis Argumentum ex Iſaiâ ſumptum contra Legem.

PRophetæ verba ſunt hæc c. 64. v. 6. *Facti ſumus ut immundus omnes & quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ.* ponamus originalia:

Hebraicè: וַנְהִי כַטָמֵא כֻּלָנוּ וּכְבֶגֶד עִדִּים
כָּל-צִדְקֹתֵינוּ

Chald. וכלבוש מרחק זכותנא

Καὶ ἐγενήθημεν ὡς ἀκάθαρτοι πάντες ἡμεῖς ὡς ῥάκος ἀποκαθημένης ἡ δικαιοσύνη ἡμῶν.

Vulgatiſſimum hoc heterodoxorum argumentum eſt, & priori inhæret hac errorum catenâ. Primò, docent hominem non eſſe integrè regeneratum. Secundò, Originale manere. Tertiò, Ex Originali eſſe relictam concupiſcentiam. Quartò, Concupiſcentiâ omnia noſtra opera immunda effici. 5. quia omnia opera immunda ſunt, Legem per immunda non poſſe perfectè ſervari. Hæc illorum Concluſio & Doctrina eſt; quam hoc Iſaiæ loco probare cogitant; ſed falſa.

Primùm. Quod hæc fundamenta & principia hæreſis falſa ſint jam paucis oſtenſum eſt: & cui id ſcriptura & ipſa ratio non exhibet? Cæci & miſeri quos hæreſis in hæc abſurda compellit.

Secundò. Reſpondent Catholici Prophetam non loqui de juſtis hominibus, ſed de peccatoribus illis, ob quorum ſcelus urbs tradenda erat Regi Babylonis,

bylonis, ea Cyrilli mens, & res clara eſt loqui Prophetam de Impiis ejus temporis; ſubdit enim: *Non eſt qui invocet nomen tuum*: At juſti invocant nomen ejus; ergo: tum juſtitias appellat, non bona opera, ſed ſacrificia expiatoria, purificationes & ritus Judaicos, quæ quia non rectè tum agebantur, meritò immunditiæ vocantur. ita Iſai. c. 1. *Solemnitates veſtras odivit anima mea*, ea Hieronymi mens eſt, Bell. Corn. à Lapide. Deinde vis eſt in voce עִדִּים à quâ radice. ut Buxtorf. Concilies cum Pagnin. Tigurina & Arias veſtis centonum. Vatab. Fruſtorum. Symm. κύϐσων. Aquila μαρτυρίων. Rab. Abrah. Prædæ. Quis ſcopum attigit?

Sed largiamur tibi Prophetam loqui de operibus juſtitiæ generatim, etiam Chriſtianorum. Quid evinces? ajo eum loqui non diviſim & collectim ſed collectivè de Judæis, quod cætera opera bona & juſtitias uno aliiſve ſceleribus inquinarent: qui enim offendit in uno, mortali crimine, omnium eſt reus. Deinde reſpondeo opera juſtorum eſſe immunda, ſi à gratia præſcindantur ita S. Macarius à Delrio citatus, imò immunda dici poſſunt reſpectu Dei, in cujus conſpectu nec Cœli nec Angeli mundi ſunt. ita Lorinus.

Tertiò. Hoc argumentum rurſus nimium probat Prædicanti; Nam ſi omnià noſtra opera immunda ſunt, ergo & fides veſtra juſtificans, ergo Baptiſmus, & Cœna, & Prædicatio Euangelii, & Matrimonium, & omnia opera Chriſtianæ legis immunda erunt. Quis illam horridam doctrinam ferat; ita verò argumentari licebit.

Nullus immundus habet hæreditatem in regno Dei:
Omnes Prædicantes ſunt immundi; ergo,
Nulli Prædicantes habent hæreditatem in regno Dei.

 Major

Major eſt Apoſtoli ad Eph. c. 5. Minor eſt Prædicantis, quia omnes homines immundi ſunt, ergo Concluſio eſt vera! abſit, Prædicans errat in minore, ne ſeipſum condemnet. Sed jam vela vertamus, ne in illas deſperationis vias miſeros homines compellamus. Nunquid Luc. 11. legis: *Date eleemoſynas, & omnia vobis munda erunt.* Joan. 15. *Vos mundi eſtis propter ſermonem; Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum, & mens, & conſcientia.* Ad Tit. 1. c. 1. v. 15. Quid demum ſolatii, & dulcedinis pleniſſimum dictum? Joan. 1 Epiſt. c. 1. *Sanguis IESV Chriſti filii ejus, emundat nos ab omni peccato.* Eadem habes Apocalyp. 1. Quid Baptiſmus? quid poteſtas remittendi peccata? quid gratia & meritum Chriſti, ſi nec Chriſtus opera Diaboli ſolvere potuit, nec juſtis nobis eſſe licet; quia immundos & injuſtos omnes facitis homines. Miror ego ita dementari homines poſſe, ut hanc tam inauditam majoribus doctrinam, tàm plenam deſperatione, & tàm injuriam meritis Chriſti inter plauſum novi Euangelii admittant. Enimvero *dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem.* *Ad Tit. 2.*

CAPUT X.

Duo reliqua Prædicantis dubia evaneſcunt ex Apoſt. 1 ad Cor. 13. & Matth. 21.

PRimum contra Legem movet ex 1 Corint. 13. *Ex parte cognoſcimus, ex parte prophetamus: cum autem venerit, quod perfectum eſt, evacuabitur, quod ex parte eſt.* Ex hoc loco ita Prædicans procedit, *Qui non cognoſcit perfectè Deum, non amat perfectè*

perfectè Deum: ſed nemo in terris cognoſcit perfectè Deum; ergo.

Quam longè petitum argumentum! inferri debuit, ergo non poteſt legem perfectè ſervare; proinde inſipidum ſatis. vide nunc,

Quicunque vult perfectam habere juſtitiam legis, debet Deum per fidem perfectè cognoſcere:

Sed nullus Prædicans perfectè per fidem Deum cognoſcit; ergo,

Nullus Prædicans habet perfectam juſtitiam legis.

Quid ergo fides juſtificans Generalis & Specialis. Reſpondetur ergo citato loco docere Apoſtolum, poſt hanc vitam aboleri ſcientiam, & prophetiam, & fidem, & reliqua dona in ſubſidium infirmitatis donata: & in cœlo ſubſequi perfectiſſimam cognitionem, & viſionem ex principiis evidentiſſimis, ex quâ deinde ſequatur eminentiſſima caritas. Quid ergo infers, ergo hîc in Eccleſia Dei non eſt perfecta cognitio per fidem, nec perfecta Caritas, qualem ſtatus hujus vitæ requirit, abſurdum illud eſt. hinc abrumpo cum S. Auguſt. *Inchoata Caritas inchoata juſtitia eſt, Caritas magna, magna juſtitia eſt, Caritas perfecta, perfecta juſtitia eſt.* lib. de nat. & grat. c. ult.

Atqui Apoſtolus ſubjungit, *Nunc manent fides, ſpes, caritas, tria hæc major autem horum Caritas*; & tamen juſtitia legis apud Prædicantes eſt per ſolam fidem? quare ergo major dicitur Caritas, jam dixi, finis eſt legis. Secundò Apoſtolus tria dicit. Prædicantes duo dicunt, nam fides eſt fiducia apud illos, fiducia verò ſpes roborata eſt teſte Thom. ergo duo conflant in unum, ut ex tribus ſint duo. Si fides eſt fiducia, quare Apoſtolus hic dicit, πᾶσαν τὴν γνῶσιν, καὶ ἐὰν ἔχω τὴν πίστιν, & ad Heb. 11. πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας. deinde πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. Fiducia ad voluntatem ſpectat, fides ad intellectum, *Neſcierunt neque intellexerunt*, Pſal. 81.

 in te-

in tenebris ambulant, movebuntur omnia fundamenta Philoſophiæ & Theologiæ.

Alterum quod opponit, eſt, ex Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: ex hoc loco tale argumentum procudit, *Quicunque perfectè ſervat præcepta, debet ex toto corde Deum diligere, ſed nemo id facere poteſt*, ergo. Imò inquit tanta perfectio eſſe debet, ut nullus motus Concupiſcentiæ locum habeat. Hoc rurſum populare argumentum eſt, & toties ſolutum ab Aſceticis & Theologis. Legere oportebat Maldonat. in Matt. c. 22. Bell. lib. 1. de Amiſſ. grat. c. 6. Bec. opuſc. 6. n. 32. Corn. à Lapide Adam. Contz. alioſque, & eorum ſolutiones refutare. triplex ergo hujus legis eſt ſenſus. 1o. ex toto, ut totum cor, quantum quantum eſt ſolo Deo diligendo occupetur, excluſo omni alio amore, & hic non præcipitur amor: aliàs & amor proximi, & Prædicantis erga uxorem & filios excluderetur. 2do. ut tantâ intenſione ametur Deus, quantâ fieri poteſt; nec hic præcipitur, oſtendunt enim Theologi in tract. de pœnit. nec determinatam intenſionem, nec durationem requiri. vide Bell. lib. 2. de Pœnit. Valent. Suarez. 3io. Appretiativè ut omnibus aliis præferamus Deum, nec ullius creaturæ amore Deum mortaliter offendamus, & ab eo avellamur; & hic amor in iſtâ æſtimatione præcipitur, de quo ad Rom. 8. Matth. 10. Gen. 22. quando Abraham filium ſuum obtulit. Hunc omnes juſti, de quibus Scriptura, aſſecuti ſunt. Hinc perfectus ſcribitur Noë Gen. 6. perfecti jubentur aut laudantur. Matt. 5. Deut. 18. Philip. 3. Alia ſuadetur perfectio Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia*, ut relictis omnibus ſequamur Chriſtum; de quâ Aug. Epiſt. 89. Amb. de vid. Hieron. contra vigilant. Tua nunc confeſſione te revincam.

Ain D. Prædicans, ſi princeps aliquis aut Magi-

ſtratus

ſtratus juberet te, aut fidem mutare tuam, & Deum offendere; aut deſerere Leidam, Paſtoratum, domum, bona, & alia quæ adamas. Quid hic facies? nunquid retentâ fide, & amicitiâ Dei, in cæteris jacturam faceres? Poteſne hanc perfectionem aſſequi? utique dices. Quid ergo à nobis requiris, quod ipſe fatebere. Scio Calvin. exclamare *Deum non reſpicere quid poſſint homines, ſed quid debeant*: impium hoc. Maldonatus quem probas ingenios in c. 17. Luc. & Matth. 22. *Quid præcipit Deus? niſi ut diligamus quantum poſſumus. Si enim non poſſumus, quomodo poſſumus, & ſi poſſumus, quomodo non poſſumus.*

Demum ſi in hoc amore omnibus eſſet defectus integræ juſtitiæ, Deus nullum in hac vitâ diligeret, nec amici Dei eſſent ulli, nec filii; conſequens autem eſt falſiſſimum, ut valent. oſtendit lib. de pecc. orig. c. 8. in quæ ergo ἄτοπα & abſurda veſtra ſententia abit?

Addit inter cætera illud Act. 15. *Quid tentatis imponere jugum ſuper cervices Apoſtolorum, quod neque Patres noſtri, nec nos portare potuimus.* Quid hæc contra moralem Chriſti legem, & ſuave jugum, niſi ut etiam Baptiſmum, Cœnam, Prædicationem Euangelii, Matrimonium, ad quod tamen omnes Sacerdotes & Monachos invitatis, cæteraque pari cenſura impoſſibilitatis ſtringatis. Solùm contendit Petrus, Chriſtianos non eſſe ad circumcisionem aliaque cæremonialia adſtringendos, tum quod grave jugum ſint, tum quod *egena ſint elementa* ad Gal. 4. vocat jugum importabile, non quod portari non poſſit abſolutè, ſed ægrè & difficulter; ne Judæi quidem & Rabbini tam laxi unquam, ut hanc impoſſibilitatem legi Dei adſcriberent, quam Prædicantes tradunt.

Digitized by Google

CAPUT XI.

Quis Prædicanti ſit finis legis Chriſtianæ, ſi Lex ſervari non poſſit.

CAtholicorum doctrina eſt legem eo fine datam eſſe à Deo, ut per gratiam ſervetur, ut juſtitiam impleamus, & mercedem promiſſam conſequamur, quæ eſt vita æterna, Matt. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* ſingula innumeris ſcripturæ teſtimoniis oſtendunt Catholici.

Prædicans, quia legem impoſſibilem eſſe docet cum ſuis, conſequenter etiam, alium finem, & alium errorem ponere debet. Quis vero ille? Ait ideo cum Pareo q. 9. expli. Catech. de pœnit. n. 2. c. 3. fol. 35. Legem à Deo datam. Primò, ut Deus doceat nos quales nos eſſe oporteret, ſed quia Lex in ſe impoſſibilis, ideo tota res in ſpeculatione conſiſtet. Secundò ut infirmitatem noſtram cognoſcamus ad noſtram humilitatem. Tertiò ut quæramus gratiam JESU Chriſti, atque ut per eam omnia invenire poſſemus. Credo, per ſolam fidem juſtificantem, ut lexocioſa ſedeat, tanquam deſes ſervus, qui *voluntatem Domini ſciat & non faciat ut vapulet multis.* Luc. 12.

Quàm nova, quàm abſurda hæc doctrina? I quomodo probas, ex Scripturâ? hic totus eſt mutus, cæterùm promptus verbis, quia tota ſcriptura tibi contraria venit, *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata.* (*Matt.* 19.) *Hoc fac & vives: Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine; intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei*; & quæ non hic teſtimonia, ſi ullibi? Secundò ſi lex ſervari non poſſit, ipſa actione & omiſſione, ſed tantùm ſpeculatione & (*Luc.* 10. *Matt.* 7.)

cogni-

cognitione fidei; & hìc ſcopus ſiſtitur, ergo ſatis erit ſi credam Baptiſmum, Cœnam, Prædicationem Euangelii, Matrimonium & Pœnitentiam &c. ad actionem harum & acceptionem ne manus quidem admovenda. Ratio Prædicantis eſt, quia lex Chriſti impoſſibils eſt, nec alium finem habet, quam ut cognoſcatur, & per fidem juſtificantem credatur, modò ergo Baptiſmum & Cœnam credat, legi ſatisfacit; & ſi quis Prædicans credat virginem eſſe uxorem ſuam, jam illico uxor ejus eſt & Matrimonium perfectum; fatere ergò cum Catholicis legis finem eſſe, ut reipſa præſcriptum fiat legis in præceptis affirmativis, & omittatur in negativis, hinc ſupra tibi oſtendi duplicem legem ex Apoſtolo, legem fidei, & legem factorum; utraque Chriſtianorum eſt, Prima, ut per eam credas, quæ credenda ſunt, Secunda, ut per eam facias, quæ facienda ſunt; *Chriſtus factus eſt obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis*; Non credentibus ſolum. Chriſtus *mortuus eſt pro nobis, ut juſtificatio legis impleretur*, de quâ ſapienter Orig. Hom. 3. *Dupliciter conſtat ſalus credentium, per agnitionem fidei & operum perfectorum*, eadem hic Auguſt. Chryſoſt. doctrina & omnium SS. PP. *Hebr.* *Rom.*

Tertiò. Si quis te hic ex Philoſophiâ & Theologiâ & jure conveniat, poſcendo naturam legis quomodo conſiſtes? quid enim *Lex niſi dictamen rationis practicæ*, ita S. Thom. & Ariſtoteles. ſi practicæ quomodo Theorias, ut in ſolâ cognitione fidei conſtituas niſi ut definitiones & lumen naturæ extinguas. Tullius: *Lex eſt ratio ſumma inſita in naturâ, quæ jubet ea quæ facienda ſunt.* II. Hæc tua doctrina elidit & ſubmovet effectum proximum & adæquatum legis, qui eſt obligatio; nulla enim lex eſſe poteſt, quæ non obligationem & neceſſitatem quandam operandi & non operandi inducat; ita præter Theol. S. Thom. q. 92. art. 2. ad 1. Soto *1. 2 dæ. q. 91. art. 1. & q. 90. art. 1. ad 1. lib. 1. Eth. c. ult. & Epiſt. ad Alex.*

Digitized by Google

to q. 1. art. 1. Caſtro lib. 1. c. 1. Etiam Juriſconſulti in d. legis virtus,& in diſtinct.cap. omnis. Quo ſenſu à Gratiano dictum diſt. 4. *Decretum facere neceſſitatem.* Hieronym. lib. 42. contra Jovinian. *ubi Conſilium datur offerentis arbitrium eſt, ubi præceptum neceſſitas eſt ſervitutis.* Ambroſ. lib. de vid. *ubi præceptum ibi lex, ubi Conſilium ibi gratia.* Auguſt. lib. de Virg. c. 14. *Domino præcipienti non obedire damnabile eſt.* rurſus, *præcepto quiſquis non obtemperat, reus eſt pœnæ.* Quomodo inſuper ſublatâ obligatione, & neceſſitate operandi Conſilium à Præcepto ſejunges? III. Hæc tua doctrina contra finem legis eſt, is nempe eſt ſubditos facere bonos, *Pſal. 36.* omittendo malum & faciendo bonum, *Declina à malo & fac bonum.* Id Ariſtot. agnovit 2. Eth. c. 1. & 1. Polit. c. ult. Adeoque legi naturali id inſitum. *Rom. 2.* Etenim *Qui ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt.* Etſi lex ſcripta Moyſis gentibus data non fuerit, lex tamen naturalis omnium cordibus inſcripta fuit, ut ſervaretur: qualia ſunt Decalogi præcepta, & tu ab his etiam Chriſtianos eximere audes? IV. Doctrina tua eſt contra legis conditiones, inter quas principes ſunt, ut lex ſit honeſta, ut juſta, ut poſſibilis. Omnes id leges habent, Naturæ & juris poſitivi; leges civiles, & Canonicæ; ſola divina ut poſſibilis ſit, à te non obtinet: nam ad extraordinariam gratiam & abſolutam potentiam remittis, & in ſolâ cognitione legem ſtringis, ut Theorica ſit & non practica. ſcio, ita tui, quam recte judicent, quibus eſt judicium.

Quidquid ſub legem cadit, eſſe debet liberum,
Impoſſibile de abſolutâ potentiâ non eſt liberum;
ergo.

Verbo legem ſtatuis & legem deſtruis; lex fidei poſſibilis eſt, quia lex eſt; lex factorum quoque poſſibilis erit, quia propriè lex eſt. In his tu Jeſuitas citato numero remittis ad pueros, à quibus ſolutio

lutiò peti poſſit. Quid illi? ſuccenſebuntne? imò verò tu ſtomacharis & hic impudentiæ eos incuſas & Pelagianiſmi; at ſcitè de inſcitis Apoſtolus. *Volentes eſſe legis Doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant: ſcimus autem, quia bona lex eſt, ſi quis eâ legitimè utatur.* 1 Tim. 1, 7.

CAPUT XII.

Inſipida Prædicantis reſponſa ad PP. Embricenſium argumenta.

PRimum Argumentum PP. Embric. ex Matth. 11. *Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve eſt.* Quid ad illud Prædicans? novum & inſolens reſpondet; ait enim per jugum & per onus intelligi fidem: Quo auctore? nullo Patrum & Theologorum: ita ſoli ſapiunt Prædicantes, ſi humilitatem intelligeres, ut quidam, aliquid diceres, aut ſi Euangelium ut Hil. Hieronym. Chryſ. Beda, ſed tum legem fidei & factorum comprehendit & mandata cumprimis includit: probas interim Act. 15. *Quid tentatis jugum imponere ſuper cervices noſtras.* Obſcurum per obſcurum, imò falſum per falſum probas. Secundò hoc jugum fuit importabile; ergo & fides veſtra eſt importabilis. probat 3io. ex Deut. *Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus his quæ ſcripta ſunt in lib. legis.* Quid non rideat? ergo plumbum eſt nix.

II. Argumentum Joan. 1. c. 5. *Mandata ejus gravia non ſunt.* Quid ad hæc Prædicans, per mandata ait denuo fidem accipi, multò id inſulſius. Quo auctore & Doctore? nullo prorſus: Quid ergo illud? *Qui habet Mandata mea & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.* Prædicans: Qui habet fidem meam. Joan. 14. Quid illud? *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Prædicans fidem novam do vobis ut Joan. 13. diligatis

diligatis invicem: Ergo ubicunque in Scripturâ eſt ἀγάπη jam πίστις ſcribi poteſt, & tota Scriptura inverti: Apagè cum iſtis nugis, res ipſa loquitur tuum de Jeſuitis triumphum ſtultitiæ. quod noctu ſomnium eſt apud uxores, id manè dilucеſcit Euangelium. Atqui probas denuo ex Gal. 2. *Non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem.* Quid infers ergo non dantur, mandata, quæ gravia non ſint; ſeu ſola fides juſtificat, ergo non dantur præter fidem mandata. Ut verum ſit antecedens, falſa eſt conſequentia, jam verò & antecedens falſum eſt, & conſequentia ſimul. Quod antecedens falſum ſit, inde apertum eſt, non poni Antitheſin ab Apoſtolo illic inter fidem & opera ſpei, timoris, & Caritatis, & legis novæ, ſed inter fidem & opera legis cæremonialis; nec fides etiam aliter juſtificat, quam ut eſt initium ſalutis & juſtificationis. Sed hæc longiorem informationem pro te poſcunt. Quod conſequentia falſa ſit vel inde patet inter cætera, quod præter fidem ſit lex Baptiſmi, Cœnæ, Prædicationis Euangelii, cæteraque Euangelii præcepta, quæ jugum ſuave ſunt. Nunquid conjugium à jugo, ſuaviſſimum eſt Prædicantibus jugum pro Cœlibatu Sacerdotum? ſequiturne jam: ſola fides juſtificat; ergo non datur in his, & ſimilibus ſuave jugum Chriſti? & tædet, & miſeret me tui. Hinc omitto illud 2 ad Timoth. c. 4. quod ſubjungis, in quo ſimile delirium conſequentiæ, ita Cabeljavius exerrat, tot libris celebris. Quid reliquum vulgus Prædicantum?

III. Argumentum Ezech. c. 36. ℣. 27. *Et Spiritum meum ponam in medio veſtri & faciam ut in præceptis meis ambuletis*, ex quo loco Embricenſes docent poſſe præcepta Chriſti ſervari cum S. Aug. lib. 3. de doct. Chriſt. c. 34.

Reſpondet Prædicans hic eſſe generalem promiſſionem ad omnes fideles, non tamen idcirco ſequi, poſſe

poſſe omnes fideles ſervare, imò verò maximè ſequitur, ſi generalis ad omnes promiſſio eſt, ergo ad omnes ſe extendit, & per ordinariam gratiam.

Secundò ait, hìc promitti gratiam ſanctificationis & perſeverantiæ ad finem, ecce jam Catholicus es. Nam illa gratia primò datur per Baptiſmum, de quo Propheta ſubdit: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*, ea deinde gratia augetur & conſervatur per fidem, obſervationem mandatorum, & omnia bona opera juſtorum; nec gratiam illam ad ſolam fidem adſtringere poteſt, quia Propheta expreſsè agit de Baptiſmo & præceptis, niſi lucem velis eſſe tenebras. vide Hieron. Theod. in comm. Cyprian. lib. 1. Epiſt. ult. lib. 4. Epiſt. 7. Rurſum Propheta ait. *Mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*. Quomodo hæc cohærent cum tuâ doctrinâ ex Iſaiâ, ex quo omnia opera probas eſſe immunda. frigidum & calidum ex uno ore efflas per Antilogias tuas, videlicet, ut ex uno doceas opera noſtra munda, & ex alio immunda.

IV. Argumentum. Ioſue, Ioſias, Noë, Zacharias, & Eliſabeth vocantur juſti, & poſtremi ſcribuntur ambulaſſe in omnibus juſtificationibus; ergo, inquiunt, PP. Embric. lex à juſtis ſervari potuit. ℞. Prædicans, Hos omnes, quos ſcriptura memorat juſtos, non fuiſſe juſtos, ſed deſiderium habuiſſe juſtitiæ, deinde petiiſſe, ne Deus ſibi ſuas infirmitates imputaret. Quæſo quo ſpiritu afflatus illam interpretationem adfers? aliud eſt eſſe juſtum, aliud habere deſiderium juſtitiæ, aliud doctum eſſe, aliud habere deſiderium doctrinæ. primum ſcriptura dicit, poſterius Prædicans ex ſuo cerebro promit. Benè ſcripſit de vobis Hilar. *Qui creditis ex Euangelio quod vultis, & creditis quod non vultis, non Euangelio ſed vobis creditis.*

V. Ar-

V. Argumentum producunt Emb. ex Matt. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Ad hoc nullum verbum reſpondet Prædicans, quâ ex causâ dicere non habeo. Credo eveniſſe Prædicanti quod legenti ad Menſam, hærentique ad vocem Euphratis, produceretne an corriperet, de quo Poëta non invenuſtè:

Venit ad Euphraten ſubitòque exterritus hæſit,
Ut cito trajiceret, corripuit fluvium.

Sed quid reſpondes. D. Cabeljau, ſcis, quomodo hoc clariſſimum Chriſti teſtimonium torſerit Calvinum, & alios: nondum ſolutio data: verſatur liber tuus in manibus civium & nautarum, magnoperè & hi tui plauſus reſponſum in hac lacunâ exſpectant.

VI. Argumentum attulerunt PP. Emb. ex c. 1. Ioan. Epiſt. 1. *Si confiteamur peccata noſtra fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra & emundet nos ab omni iniquitate;* Ex hoc loco talem Syllogiſmum Prædicanti propoſuerunt in colloquio Embricenſes:

Cui remiſſa ſunt peccata, ille non habet peccata:
Sed ei, qui confitetur peccata, remiſſa ſunt peccata; ergo.

Prædicans hic totus perplexus hæſit. Poſt in libello edito ita diſtinguit; Confitenti remittuntur peccata, quoad reatum, non verò quoad maculam; urgent Patres peccatum utrobique eodem modo accipi à S. Ioanne primò, *Si confiteamur peccata:* Quid ibi peccatum? utique cum maculâ & reatu: ergo & in illo quod ſequitur; ſecundò, *Ut remittat nobis peccata & emundet nos ab omni iniquitate.* Nihil hic Prædicans, niſi quod totus obmuteſcat. Ain? quid emundare? nunquid ad maculam & culpam potius ſpectat, quam ad reatum, id puer videt. Tandem ut ſe collegit nonnihil in hoc agone reſpondet, peccata non imputari: Hoc illud

illud extremæ deſperationis aſylum eſt, quomodo verò poteſt Deus, quod verè eſt, non imputare, ut verè non ſit, uti peccatum in ſe verè eſt, ita Deus cognoſcit, æſtimat & imputat; niſi falli Deum dicas. Verba prædicans non intelligit: quid ſit peccatum, quid macula, quid reatus; imò reatus duplex eſt, culpæ, qui eſt dignitas odii & indignitas gratiæ; Pœnæ, qui eſt obligatio ad pœnam, peccatum intrinſecè malum eſt, reatus pœnæ illud peccatum non eſt, ſed aliquid ad reſtituendum ordinem juſtitiæ, quem culpa turbavit. Res evidens in Davide, à quo Deus peccatum tranſtulit, non pœnam: ergo maculam ſuſtulit & reatum reliquit. 2 Reg. 12. Prædicans ad hoc exemplum hoc loco contrarium reſpondet, lege Theologos primùm Jeſuitarum aut ſolum Bell. lib. 6. de ſtatu pecc. tum redi: Impium illud; peccata nunquam tolli, nunquam ſanguine Chriſti emundari, nunquam in peccato remitti, id, quod peccatum eſt.

VII. Argumentum PP. Embric. ſumpſerunt ex rationis lumine, ſi videlicet lex ſit impoſſibilis ſequi inde ajunt, Deum fore injuſtum, quod ob violatam impoſſibilem legem hominem æternis ignibus puniat, fore deinde Tyrannum:

Quicunque enim impoſſibilem legem ſubditis præſcribit, eâque violatâ graviſſimis tormentis excruciat, ille princeps non eſt, ſed Tyrannus:
Id ex veſtrâ ſententiâ ſequitur; ergo.

℞. Prædicans has meras eſſe calumnias; at non illa Embric. cenſura eſt, ſed Bell. Staplitonii, Maldonati, Bec. Gualterii & quorum non? multóque acerbior. Hinc Bell. ait: Fingi non poſſe Deum impoſſibilem legem præſcribere, & ſimul tot minis & pœnis transgreſſores æternùm punire. Prædicans nihil ad vim argumenti reponit. Sed ad extraordinariam gratiam remittit, quod perinde eſt, ac ſi juberet Deus nos ſtellas de cœlo detrahere &

Digitized by Google

mare in ſcrobem effundere, Adeoque legem tollit, ubi legem ſtatuat neceſſe eſt, ita enim ratiocinatur Suarez.

Ubi transgreſſio non poteſt imputari ad culpam vel pœnam, ibi non poteſt Lex intervenire:
Sed in impoſſibili transgreſſio non poteſt imputari ad culpam vel pœnam; ergo.
In impoſſibili non poteſt intervenire Lex.

Rom. 3. *Legem ergo deſtruimus per fidem, abſit, ſed legem ſtatuimus*; Eodem ſpectat Argumentum D. Pauli Rom. 4. *Ubi non eſt lex, nec prævaricatio eſt, atqui in impoſſibili non eſt lex, ergo nec prævaricatio.* Prædicans hic Jeſuitas remittit rurſum ad pueros Catecheticos. Interim ego Catecheticam quæſtionem ſolvendam pono.

Quæro igitur: ſi quis capitales & lethales inimicitias contraxiſſet cum proximo, quod perfrequens eſt in vitâ humanâ, poteſtne illam ante Cœnam & mortem deponere, & ſe reconciliare, vel non? ſi non poteſt, ergo erit obnoxius judicio Dei, & æterno ſupplicio & peccandi neceſſitate æternùm peribit; Deinde, ſi non poteſt, quare vos Prædicantes tam ſolliciti urgetis ante Cœnæ veſtræ ſumptionem, & mortem, ut ſe reconcilient; Dicere enim poſſent ex veſtrâ doctrinâ, lex ordinariâ Dei gratiâ eſt impoſſibilis, & hæc lex reconciliandi ſe inter difficillimas leges eſt, ut experientia docet, & ipſa res loquitur.

Si verò poteſt ſe reconciliare & lex illa poſſibilis eſt, ergo per ordinariam gratiam, nam ad abſolutam potentiam, & extraordinariam gratiam tales homines velle remittere, eſt ad impoſſibile remittere, & perinde eſt, ac ſi ad laqueum deſperationis remittas, & quid ſupereſt, niſi, ut manu ad inferos deducas, ſed priusquam in has fauces detrudas, Salubrius D. Auguſtini conſilium audi ſerm. 61. de temp. *Sed dicit aliquis*, inquit, *nullâ ratione poſſum*

poſſum meos inimicos diligere; In omnibus Scripturis Deus dicit, quia potes, tu è contrario reſpondes non poſſe, conſidera nunc an tibi an Deo debeat credi, & ideo, quia veritas mentiri non poteſt jam vanas excuſationes ſuas relinquat, humana fragilitas. Quia nec impoſſibile aliquid potuit imperare, qui juſtus eſt, nec damnaturus eſt hominem pro eo, quod non potuit vitare, quia pius eſt, quid tergiverſamur incaſsùm, nemo enim quantum poſſumus melius novit, quàm qui nobis ipſum poſſe donavit.

Hæc unica & aurea Sententia S. Auguſt. ſatis ſuperque edocet, quid de totâ hac controverſiâ docendum ſit, & quid Patres ſenſerint; ſed de horum explicatiſſimo judicio capite poſtremo.

CAPUT XIII.

Sintne PP. Embricenſes Pelagiani, an verò Prædicans?

COnfidenter iteratòque id aſſerit Prædicans PP. Embricenſes eſſe Pelagianos, miraturque ejus hæreſis non pudere Jeſuitas, næ tu Prædicans magnam gratiam inibis apud Pontificem & ordinem, ſi latentes illos Pelagianos è tenebris ad lucem protraxeris, certò polliceor fulmina non defore; at ne inſontes in judicium trahamus, audiamus, quibus argumentis eos convincis? Jeſuitæ, inquit. Embric. docent, per gratiam Dei poſſe perfectè legem ſervari, eſſe juſtos in Eccleſia ſine peccatis, quæ ſtatum juſtitiæ tollant, non tamen ſine Venialibus, quæ ſtatum juſtitiæ non tollunt: Eſt-ne hoc Pelagianum eſſe? quod jam ſupra audiviſti in Milevitano, Dioſpolitano, Arauſicano, Palæſtino & Tridentino contra Pelagium decretum eſſe, nullum videlicet eſſe ſine omni peccato, & tamen poſſe

Digitized by Google

manere juſtum & Filium Dei. 2do. Pelagius docuit legem poſſe impleri, & hominem ſine omni peccato eſſe; quomodo id docuit? per vires liberi arbitrii & naturæ: quid Catholici docuerunt? per gratiam impleri legem; neminem tamen venialibus vacare: inde totus ille tot Conciliorum & Patrum conflictus pro gratiâ contra Pelagium: Catholici & liberum arbitrium & gratiam ſimul operari debere & poſſe dixerunt; Pelagiani ſolis naturæ viribus id tribuebant, ut gratiam ocioſam facerent; quam vos enervem facitis; Id totum eſt, quod Jeſuitæ Embric. docent, quid jam cenſes, ſuntne Pelagiani? aut Semi-pelagiani: ſanè non videris intelligere, nec interfuiſſe unquam eruditis illorum diſputationibus de gratiâ, de Prædeſtinatione & libero arbitrio; hîc tibi illa ſtomachatio & accuſatio condonanda eſt.

Quid ſi quis tibi probaret te Pelagianum eſſe, hoc argumento?

Qui negat gratiam Chriſti ad legem perfectè ſervandam, ille Pelagianus eſt:
Sed Prædicans Leidenſis negat gratiam Chriſti ad legem perfectè ſervandam; ergo
Prædicans Leidenſis eſt Pelagianus.

Major eſt evidens, nam etſi alio atque alio fine & modo, tu & Pelagius gratiam neges, in re tamen convenitis, ille dicebat non eſſe neceſſariam, tu dicis gratiam Chriſti non ſufficere ad legem ſervandam. Catholici docent & neceſſariam & ſufficere; quando omnibus etiam improbis ſufficientem gratiam ad ſalutem datam ex Chriſti meritis aſſerunt,

Alterum argumentum, quod te Pelagianum convincit, eſt illud.

Qui negat diſcrimen inter mortale & veniale ille Pelagianus eſt:

Præ-

Digitized by Google

Prædicans Leidenſis id diſcrimen inter mortale & veniale negat; ergo
Prædicans Leidenſis eſt Pelagianus.

Major certa eſt ex Hieronymo & Auguſtino; hujus enim erroris primi fuere auctores, Iovinianus & Pelagius ita Hierony. lib. adverſus Iovin. 2. ſub finem, deinde idem Hieronym. Dialog. 1. & 2. contra Pelagianos. Auguſt. lib. de hæreſ. c. 88. Epiſtolâ 29. ad Hieron. argumenta & Scripturæ loca quibus oppugnent SS. Viri, vide ibidem. Hos deinde in errore hoc ſecutus eſt Wiclef. poſt Martinus Luther. hi Patroni hujus falſæ ſententiæ. Minor tuâ Confeſſione eſt certa: adeoque promittis c. 9. te probaturum; tam diu non vives. Primùm tibi refellendus erit Adamus Contzen, qui integro libro idoli Calv. id pertractat. jam à centum annis, & tot ſæculis in hoc deſudarunt meliora ingenia, interim *firmamentum Dei firmum ſtat*; tu videris, an paucos, & damnatos hæreticos tutius ſit hìc ſequi, quàm Concilia, & Patres, & totam Eccleſiam Catholicam. Hanc ergo maculam tu prius elue, quàm Ieſuitis falsò labem aſpergas.

Thom. Wald. tom. 2. c. 14.

CAPUT XIV.

Teſtimonia PP. pro Catholicorum doctrinâ de lege ſervandâ.

INſolenter in Epilogo Prædicans inſultat, provocat, & expoſcit vel unum è Catholicis proferri Patrem ex quinque primis ſæculis, qui doceat legem poſſe ſervari; tâm audax quàm fallax dictum! legat nunc tota Leida & Hollandia, præter illa S. Auguſtini teſtimonia tanto jam numero adducta, quæ ſola veritati probandæ ſatis eſſe poterant.

Cypr. *Quodſi impoſſibilia eſſent præcepta tua, vel*

tantis difficultatibus onerata, vel voluntas ſic abdita, ut non poſſet intelligi, quid à nobis expeteret tua altitudo, licet invitus nemo peccet, poſſet tamen in multis excuſari debitum, niſi ſimul ſe complecterentur Poſſibilitas & Facilitas, Scientia & Poteſtas, præcipis Domine ut diligam te, hoc & poſſum & debeo. Cyp. de Baptiſmo.

Clem. Alex. lib. 4. ſtrom. c. 8. Orig. Hom. 9. in Joſue: Ephrem. ſerm. ad Piet.

Athan. lib. de Virg. *Ne dicas in corde tuo, at quonam modo iſta præſtare potero, timentibus Dominum præcepta difficilia non ſunt.*

Baſil. in illud Attende. *Impium eſt dicere impoſſibilia eſſe Spiritus præcepta.*

Chryſ. Hom. 8. de pœn. *Nequaquam Dominum accuſes, haud mandat impoſſibilia, multi & ipſa ſuperant præcepta:* Lege in eâdem Hom. *Quid igitur? impoſſibilia nobis mandat Deus? non inquam, obmuteſce, neque Domino ſuccenſeas: non enim hic reſponſi modus, ſed peccati additamentum priori pejus;* & hunc tu contra nos allegas.

Idem in Pſal. 111. *Dei præcepta quæ ſunt ſalutaria & gloriæ plena, oportet cum magnâ voluptate ſuſcipere, & nihil eſſe difficile in eis exiſtimare: Difficultatem enim non natura præceptorum, ſed multorum ſolet ſocordia efficere, itaque ſi quis ea cum ſtudio & alacritate animi ſuſcipiat, videbit ea eſſe levia & facilia. Quocirca dicebat* [illegible]*xtus: jugum meum ſuave eſt & onus meum leve:* eadem legis tom. 39. in c. 11. Matth. *ne metuatis etiamſi onus dixerim, leve enim eſt.*

Hil. in Pſal. 118. *Latum Mandatum Dei eſt, & in omnia ſpei noſtræ genera diffunditur, ut non difficile ſit, ſi voluntas adſit, præcepto Domini obtemperare.* &

C. 11. in Matt. poſtquam de lege ſervandâ fusè dixerat ſubjungit. *Quid jugo ejus ſuavius? Quid onere levius?*

Hier.

Hier. lib. 3. adv. Pel. *Deus poſſibilia mandavit, hoc nulli dubium eſt.* in c. 5. Matt. *Sciendum eſt ergo Chriſtum non impoſſibilia præcipere:* in Expl. Symb. *Execramur eorum blaſphemiam qui dicunt impoſſibile aliquid homini à Deo præſcriptum eſſe, & mandata Dei non à ſingulis, ſed ab omnibus in communi poſſe ſervari*; & hunc cenſorem tuum contra nos adducis qui blaſphemiam tuam execratur. Nihil acerbius PP. Embric. Hieronymi hoc judicium legis.

Auguſt. lib. de nat. & grat. c. 43. *Non igitur Deus impoſſibilia jubet, ſed jubendo admonet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.*

C. 69. *Eo ipſo quo firmiſſimè creditur Deum juſtum, & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus, omnia quippe facilia ſunt Caritati, cui uni Chriſti ſarcina levis eſt.*

Serm. 22. de verb. Apoſt. *Hæc ſarcina non eſt pondus onerati, ſed ala volaturi.*

Lib. 2. de pecc. mer. c. 3. *Non præciperet Deus aliquid, quod eſſet humanæ impoſſibile voluntati.*

Eod. lib. c. 6. *Dubitare non poſſum nec Deum aliquid impoſſibile homini præcepiſſe, nec Deo ad opitulandum & adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impoſſibile aliquid eſſe:* Lege quæ habet de libero arbitrio.

Serm. 9. de verb. Domini, *Unde illud jugum ſuave eſt, & ſarcina levis?* comparat deinde legem novam cum ſarcinâ veteris legis.

In Pſal. 56. *Non imperaret hoc Deus ut faceremus, ſi impoſſibile judicaret:* eadem lib. de grat. & lib. arbit. c. 16. Et quis omnia Auguſt. loca percenſeat, quibus contra Pelagianos oſtendit legem per gratiam Chriſti & poſſe & debere ſervari. Idem omnia illa Concilia docent.

Tertull. lib. 2. adv. Marcion. *Non poneretur lex ei, qui*

non haberet obſequium debitum legi in ſuâ poteſtate, nec rurſus comminatio mortis transgreſſioni adſcriberetur, ſi non & contemptus legis in arbitrii libertatem homini deputaretur.

S. Polycarp. Epiſtolâ ad Phil. *Qui & nos reſuſcitaturus eſt ad vitam, ſi fecerimus voluntatem ejus & ambulaverimus in Mandatis ipſius*, & quæ præclarè ſubjungit, *avocando nos ab omni injuſtitiâ, hoc eſt à concupiſcentiâ*, &c.

S. Macarius hom. 19. *Qui cupit ad Dominum accedere, & æternâ vitâ dignus haberi hic imprimis hoc ſumere debet initium, ut firmiter Domino credat, & ſe totum tradat mandatis ejus,* & infra eadem repetit.

S. Hippolytus Epiſcop. & Mart. Orat. de Mundi Cont. *Tunc dicet his qui erunt à Dexteris ejus, Venite qui legem meam noctu diuque ſervaſtis*, &c.

Appellaſti ad teſtimonia Patrum, Patres ſtiti; habes, recole nunc illud M. Optati Milevit. Epiſcopi lib. 2. adv. Parmenianum: *Memoriam cuſtodem habere oportet mendacem:* fallacem ego te mavelim; fortè qui tam importunè appellas, nullum unquam Patrem integrè evolviſti, imò pleraque loca ne inſpexiſti quidem, niſi quantum unus fallax ſcribit ex alio. Sed hæ veſtræ apud populum ſunt pollicita-
Eſa. 5. tiones, quibus *bonum malum, & malum bonum dicitis*. Neque ſi omnes PP. reſurrexerint ex mortuis teſtes, credent Prædicantes. Tu videris, qui ad tribunal Patrum appellaſti quomodo hanc tam laxam & impiam doctrinam, quæ omnem diſciplinam Chriſtianam ſolvit, & omnium flagitiorum viam aperit, in ſupremo tribunali defendas. Quid infinitum Chriſti meritum? quid lex gratiæ? Quid Caritas diffuſa per Spiritum in cordibus noſtris? quid tot Apoſtolorum & Prophetarum voces & cohortationes? quid juſtorum exempla? quid Paſtorum Monitiones, & veſtræ etiam è Cathedra objurgationes

tiones contra transgreſſores legis? Si lex illud ἀδύνατον habeat. quid tot præſidia novæ legis? quid virtutum opera? quid Angelorum cuſtodiæ? quid præſulum curæ? quid oratio quotidiana, & tota ſpes beatitudinis noſtræ? ſi volenti ad vitam ingredi, hic inexpugnabilis murus obſtet. Quid demum minæ & pœnæ acerbiſſimæ à Deo propoſitæ & jam damnatis inflictæ? *Quis non clamet* cum Auguſt. lib. de fide: *Stultum eſt, præcepta dare ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur facere, & iniquum eſſe eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere*: unus eſt legiſlator & judex, is quam legem tulit, *ſecundum hanc judicabit orbem in æquitate.* *Jacob.* 4. *v.* 14.

CONTROVERSIA II.

De Prædeſtinatione & Reprobatione.

CAPUT I.

Quæſtiones Illuſtriſſimi Comitis de Prædeſtinatione Prædicantibus propoſitæ.

ALteram hanc de Prædeſtinatione controverſiam ſibi ab Illuſtr. Comite Ottone de Styrum, Catholico oblatam, & tribus quæſtionibus comprehenſam ſcribit Prædicans; cautè egit Prædicans, ut nihil coram in collatione cum PP. Embrie. hac ſuper re moveret; tota enim controverſia ſupra vires ingenii plebei Prædicantis eſt;

 itaque

itaque non verbo ſed ſcripto agere placuit, ac meditatò quidem in materiâ tam ſublimi: verùm queruntur PP. Embric. Prædicantem tam involutè in multis loqui, ut quid dicat, aut ſentiat, percipi non poſſit. Videri poteſt quæſtio hæc Prædicanti, & meditamentum hoc Prædeſtinationis, aut nodus Gordius, aut Glomus quoddam intricatum, ut nec principium nec exitum invenire potuerit: attamen ſequamur Prædicantem in ſuo Labyrintho oberrantem ad quæſtiones Comitis.

Quæſtiones, quas Comes Prædicanti propoſuit, ſunt hæ tres:

I. *An infans, ut primùm natus eſt, ſit à Deo prædeſtinatus, vel ad bonum, vel ad malum.*

II. *Quod ſi ad malum, & mortem prædeſtinatus, poſſitne ullis adhuc mediis ad ſalutem pervenire, aut ſummùm, poſsitne ullum Dei Mandatum ſervare.*

III. *Quod ſi ad bonum prædeſtinatus ſit, an per transgreſſionem mandatorum poſſit à ſalute excidere, aut aliud impedimentum conſequendæ ſalutis habere.*

Quid ad has Comitis quæſtiones Leidenſis Prædicans? primùm reſpondet tergiverſando, aſſerendoque hanc controverſiam de prædeſtinatione non eſſe inter Catholicos & reformatos, quòd hi inter ſe conveniant; ſed inter Reformatos & Remonſtrantes; ſeu inter Gomariſtas & Arminianos; Imò eſſe eandem, quæ eſt inter Jeſuitas & Dominicanos ſeu Ianſenianos, ut infra ſcribit, quos eoſdem cenſet, proinde ſeponendam ſibi videri: Ad hæc P. Embricenſis reſcribit, Prædicantem hîc ſuam inſcitiam prodere; tum quod longè alia controvertantur inter Catholicos & Calviniſtas de Prædeſtinatione, quàm Prædicans comminiſcatur, ut mox oſtendam: tum quod alia inter Catholicos & Ianſenianos, & alia inter Remonſtrantes, & contra

Remon-

Remonſtrantes; ſeu Arminianos & Gomariſtas, qui paſſim Reformatorum nomen ſibi vendicant, Calvinianum jam pertæſi: rurſum Prædicans: oportere ergo, inquit, PP. Embricenſes capita hæc controverſiarum propoſuiſſe, id verò magnis illis viris & Dominis non placuiſſe. Ità-ne tu peregrinus, & rudis es in Theologorum libris, qui citas Theologos Jeſuitarum? ut hæc non deprehenderis, imò verò gloriari auſus es, & ſcribere te adeo tot auctores & ſcriptores pervolutaſſe, nihil autem inveniſſe, in quo Catholici à Calvinianis diſcedant. Nunc ſingula inſpiciamus, videamuſque quàm rectè Comitem hac tuá reſponſione informaveris; tum ordine ad cætera digrediemur.

CAPUT II.

An in negotio Prædeſtinationis nulla Controverſia ſit inter Catholicos, & Calviniſtas, aut certè, quæ non eadem ſit inter Catholicos, & Janſenianos, tum inter Reformatos & Remonſtrantes.

PRonunciat id liberè Prædicans; ſed non tam reſponſum eſt, quàm latibulum erroris, aut integumentum doli; res per ſe plana erit, ſi per partes, ipſas partes opponamus.

1. Pars Catholici & Reformati: quæritur an hi conveniant in Doctrinâ de Prædeſtinatione; affirmat Cabeljavius; negant Embricenſes: ponantur ergo Calvini & reformatorum ſeu Gomariſtarum propoſitiones.

1ª, Propoſitio. Deus poſt corruptum genus humanum æterno & immutabili decreto, quoſdam ad mortem

mortem æternam damnavit, ſine reſpectu & præviſione peccati originalis vel actualis, ita Calvinus lib. 3. c. 21. §. 5. & 7. c. 22. §. 3. & 11. c. 23. §.

2da. Hoc decretum Dei ita immobile eſt, ut tollat omnem liberi arbitrii libertatem in negotio Prædeſtinationis, & reprobationis; ex quo duo alia falſa principia. 1o. nihil fieri Deo permittente ſed volente, 2do. voluntatem Dei eſſe neceſſitatem rerum. Calv. lib. 3. inſt. c. 21. §. 7. c. 23. § 8.

3ia. Deus ex vi decreti hujus ordinavit lapſum generis humani, ut inde occaſionem ſumeret exercendi ſuam juſtitiam circa reprobos. Calvin. lib. 3. c. 23. §. 4. §. 7.

4ta. Chriſtus pro ſolis prædeſtinatis mortuus eſt, iiſque meritus eſt, non verò reprobis Calv. lib. 3. inſtit. c. 22. §. 10.

5ta. Soli Prædeſtinati vocantur ad fidem, & juſtitiam, non verò reprobi. Calv. lib. 3. c. 21. §. 7. c. 22. §. 10. c. 24. §. 12.

6ta. Fides ſemel habita & juſtitia amitti non poteſt. Calv. lib. 3. c. 22. §. 7. c. 24. §. 6.

7ma. Soli Prædeſtinati ſunt in Eccleſiâ. Calvin lib. 3. c. 24. §. 10. lib. 4. c. 1.

8va. Omnia peccata Prædeſtinatorum ſunt venialia nec imputantur.

9na. Reprobi à Deo incitantur ad peccata.

10ma. Reprobis nullum unquam peccatum remittitur. Calv. lib. 2. c. 8. §. 59. lib. 3. inſt. c. 4. lib. 1. c. 18. §. 1. 2. 4. lib. 4. inſt. c. 1. §. 20. 21.

Hæ propoſitiones Calvini & eorum, qui cum Gomariſtis rigidam Calvini doctrinam ſequuntur, Catholicis impiæ ſunt & hæreticæ. Omitto alias Gomariſtarum propoſitiones, de Baptiſmo puerorum; videlicet aliquorum fidelium filios ita reprobos eſſe, & æternùm perire ante uſum rationis, & peccatum in ſe commiſſum, ut nec Baptiſmus, nec preces Eccleſiæ illis ad ſalutem prodeſſe poſſint

Quis

Digitized by Google

Quis jam non videt, quantùm Catholici in materia prædeſtinationis diſtent à Calvinianis, & falsò Cabeljavium ſcripſiſſe Comiti, utroſque in nullo diſſidere. His adjunge Canones XXXIII. Concilii Trid. de Juſtific. ſeſſ. 6. & confer cum reformatorum doctrinâ, & videbis inſuper ſupra 30. Articulos, in quibus Catholici diſſentiant à Reformatis. Quàm nunc denuo lapſus in uno errore, in quo triginta convolviſti: *Firmaverunt ſibi ſermonem nequam, narraverunt ut abſconderent laqueos, dixerunt, quis videbit eos.* Pſal. 63.

II. Pars Catholici & Janſeniani. Inter hos illud diſſidet, quòd Janſenianorum 5. tantummodò articuli ab Innocentio X. damnati ſint, quos Gomariſtarum doctrinæ acceſſiſſe nonnulli oſtendunt, tum ex Arminianorum teſtimoniis p. 2. & p. 3. tùm ex Synodo veſtrâ Nationali, tum ex Gomariſtarum auctoribus, ut Triglandio, Geſelio, Piſcatore, Dammanno, Thyſio, Martyre, Zanchio, Zeppero, Beza, Calvino: res nota, & tot typis vulgata. Quanquam Janſeniani ſubtiliori viâ ingreſſi, deinde intra Eccleſiæ Catholicæ gremium, & Eccleſiæ, & Pontificis judicium agnovere ut Catholici, neque hæretici unquam fuêre, cum pertinaces non fuerint, ſed auditi Romæ ſubmiſêre ſe Eccleſiæ judicio.

III. Pars. Arminiani & Gomariſtæ, ſive Remonſtrantes, & Contra-remonſtrantes reformati Calviniſtæ. Quid verò Gomariſtæ de Prædeſtinatione ſenſerint, tum ex 10. ſuprà recenſitis propoſitionibus, tum ex 5. famoſis, & controverſis inter Arminium & Gomarum articulis; tum ex Synodo veſtra Nationali, tum ex tot libris & ſcriptis inter utramque partem ſibi æſtimare facilè licebit; niſi ſi, cum Gomariſta ſis, quid in domo Gomari agatur ignorare tibi liceat. Omnes Belgæ Scriptores te Gomariſtam incuſant.

Quid

Digitized by Google

Quid verò Arminiani ſenſerint tum ex publicis actis, tum ex 10. Arminianorum theſibus reſcire poteſt; ac tametſi Arminiani in nonnullis diſſenſerint à Catholicis, tum quod omnes & ſolos auxilio divinæ gratiæ credentes in Chriſtum, & in fide perſeverantes ſalvos fieri velint, ut ſola fides ſit medium & beneficium Prædeſtinationis, tum quod Baptiſmum in parvulis nolint eſſe de neceſſitate medii ad ſalutem, ut theſi 7. 8. & 9. obſervabis, in pleriſque tamen Articulis Catholicis acceſſêre, ex quo omnis propemodum accuſationis, & condemnationis fomes, quocircà publicè traducti apud plebem, quod Catholicorum cumprimìs Jeſuitarum libris & ſententiis ſe involverent, quod eorum argumentis Gomariſtas fatigarent, quod Catholicorum doctrinam latenter in reformatorum provincias reducerent, quod Confeſſionem Belgicam, quod Catechiſmum Heidelbergenſem Zachariæ Urſini, verbo, quod Calvini & Bezæ doctrinam palàm, veluti abſurdam, impiam, & blaſphemam proſcinderent, & damnarent; quippe, quæ homines ab omni timore Dei, & cultu abduceret, quæ pulvinar & Carni & Dæmoni ſubſterneret: quæ Satanæ propugnaculum excitaret, quæ Deum non modò auctorem peccati, ſed hypocritam, iniquum Judicem, & Tyrannum conſtitueret. Quæ Stoicorum, Manichæorum, Libertinorum, & Turcarum damnatas hæreſes ab inferis reſuſcitaret. Hæc aliaque Arminiani fratres veſtri, quæ ego non referrem, niſi in Synodo veſtra Nationali capite V. legerem: Quo ſanè neſcio quid gravius à Catholicis de veſtrâ doctrinâ cenſeri poſſit, niſi quis fortè adderet Gomariſtarum incendium eſſe Gomorrhæorum conflagrationem; Si qui ergo Catholicis acceſſêre, ii Arminiani ſunt, non Gomariſtæ; ut vel hinc denuo recognoſcas, quàm falsò Comitem informaris, Reformatos cum Catholicis facere in doctri-

Digitized by Google

doctrinâ Prædeſtinationis & reprobationis. Agnoſcit jam ille pro ſuâ prudentiâ veriſſimè ab Auguſtino dictum. *Arianus & Photinus ambo hæretici, & adverſum ſe ambo diviſi; Donatiſta, & Maximinianiſta ambo hæretici & adverſum ſe diviſi. Omnia vitia erroreſque mortalium inter ſe contrarii, diviſi ſunt adverſum ſe, & omnes pertinent ad regnum Diaboli; Catholicus & Hæreticus, diviſi quidem ſunt adverſum ſe, ſed non ambo pertinent ad regnum Chriſti.* Serm. XI. de Verb. Dom. tom. X.

CAPUT III.

Reſponſio Prædicantis ad primam Comitis quæſtionem expenditur.

PRima Illuſtriſſimi Comitis quæſtio hæc eſt. *An infans, ut primùm naſcitur ſit à Deo prædeſtinatus ad bonum, vel ad malum.* Reſpondet 1. Prædicans certum eſſe dari Prædeſtinationem Electorum, eamque ex Scripturâ probari, neque id quiſquam Catholicorum negat. Profitemur cum S. Proſpero reſp. 1. ad cap. Gallorum; *Prædeſtinationem Dei nullus Catholicus negat.* Idem S. Auguſt. de bono perſev. c. 18. & 23. profeſſus; S. Fulg. lib. de Incarn. c. ult. aliiſque PP. contra priſcos hæreticos, de quibus Auguſt.

§. 1. Verùm ſi quis ſpectet uſum nominis, Prædeſtinatio dupliciter ſumi poteſt *Latè & ſtrictè*, priori modo ſumpta idem ſonat, quod prævia deſtinatio ad quemcunque finem, ſive naturalem, ſive ſupernaturalem; ſive ad bonum finem qualis eſt beatitudo, ſive ad malum, utì eſt damnatio, & pœna, quo ſenſu tam latè propemodum patet quam Providentia, de quâ S. Auguſt. tractat. 18. in Joan. & lib. 15. de Civit. Dei c. 2. ubi duas ponit *Civitates*, ſive *Societates* hominum,

Digitized by Google

num, *quarum una prædeſtinata eſt in æternum regnare cum Deo; altera æternum ſupplicium ſubire cum Diabolo.* Proſper in reſp. 14. & 15. ad cap. Gall. Fulgentius lib.2. ad Monimum c.14. & Conc. Valent. ſub Lothario c. 3. *Confitemur prædeſtinationem Electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem*; atque hoc ſenſu Comiti dicere licuit dari Prædeſtinationem vel ad bonum vel ad malum, de quo Embricenſes inter & Cabeljavium diſceptatio.

§. II. Poſteriori modo Prædeſtinatio accipitur pro æternâ deſtinatione ad vitam duntaxat & finem ſupernaturalem æternæ ſalutis, neque eâ conditionatâ ſolùm, ſed abſolutâ, & prorſus infallibiliter connexâ cum fine conſequendo. de hac Apoſt. Rom. 8. *Quos præſcivit, & Prædeſtinavit Conformes fieri imagini filii ſui*, Et Epheſ. 1. ℣. 5. *Qui Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum.* Quo ſenſu vulgatiſſima illa S. Auguſt. definitio accepta lib. de don. perſev. c. 14. *Hæc Prædeſtinatio ſanctorum nihil eſt aliud, quàm praſcientia ſcilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur.* Atque ita Prædeſtinationem limitarunt ex Scripturâ Patres & Scholaſtici.

§. III. Ex quibus planum eſt quomodo Prædeſtinatio à Providentiâ diſtinguatur. Hæc enim eſt conceptio & præparatio beneficiorum in Deo, quibus omnes res poſſunt dirigi in ſuum finem, ſive naturalem, ſive ſupernaturalem, ſive hunc aſſequantur, ſive ab eo excidant; at prædeſtinatio eſt conceptio & præparatio mediorum ſupernaturalium, quibus Deus certò, & infallibiliter prævidet hominem perventurum ad finem ſupernaturalem.

His poſitis, omiſſiſque aliis, controvertitur potiſſimùm inter Catholicos citra fidei colliſionem & jacturam de objecto, & termino prædeſtinationis, ſitne

Sitne ſola gratia? an ſola gloria? an utraque ſimul, ut Suarez docet lib. 1. de Præd. c. 5. n. 15. & communius alii. Proindeque licet prædeſtinatio incompletè ſumpta, aliquando ſolam gratiam, aliquando ſolam gloriam, reſpiciat.; Completè tamen accepta ad utramque terminatur, ita Scotus, Suarez, cum Mag. ſent. in 1. diſt. 42. ad conformem D. Auguſt. & D. Thomæ mentem. Secundò controvertitur: An prædeſtinati ſint præterea electi ad gloriam gratis ante præviſa merita; in eo Cabeljavius patrocinium ſuæ cauſæ quærit. Affirmat Suarez cum toto Theologorum cœtu, quem adducit lib. 2 de Præd. c. 23. n. 20. lib. 3. de auxiliis c. 6. Negat Vaſq. Prædeſtinatos formaliter electos eſſe ad gloriam ante præviſa merita; ſed poſt, & propter illa; & cum eo leſſius diſp. 1. de Præd. ſect. 2. Monceus, Philippus faber, Gamacæus. Meratius, Alarcon, uterque Turrianus, uterque Hurtado, Becanus, Præpoſitus, Petavius: quam ſententiam multos in Germaniâ, Hiſpaniâ, Galliâ, Theologos profiteri contendit Vaſq. diſp. 59. q. 23. c. 2. nec improbabile cenſet Suarez, & plerique ex Adverſariis, utraque pars Auguſtinum pro ſe interpretatur teſte Becano. Utraque ſententia in ſuâ probabilitate, & plauſu conſiſtit; utramvis ſequare nihil fidei Catholicæ derogabis, fruſtrà ergo ſe hîc fatigat Prædicans. Adducit Bell. lib. 2. de grat. & lib. arb. c. 10. & Pererium diſp. 5. in c. 9. ad Rom. de Jacob & Eſau. Uterque ſententiam primam commendat, & ſequitur, quod cuivis liberum eſt; & ſi Bellarminum de prædeſtinatione virtuali interpreteris, quæ immediatè eſt ad gratiam tanquam ad radicem & ſemen gloriæ; utramque quantùm conciliabis? Omnes enim, qui de facto ſalvantur, electi fuerunt ad gloriam ante præviſa merita, electione virtuali, & in hoc utriuſque ſententiæ auctores conveniunt, præſertim Vaſquez & Leſſius, atque in hoc conſi-

Digitized by Google

ſtit illa ſpecialis Dei bonitas, & miſericordia, & liberalitas erga electos, quam Scriptura in eorum vocatione commendat; Ita illud accipe de Eſau & Jacob, quod tantopere & inſolenter urges: quantumvis alii de electione ad temporalem hæreditatem, non verò ad gratiam & gloriam intelligi contendunt, uti Vaſquez acerrimè propugnat diſp. 95. c. 8. & 9. Corn. â Lapide, Tirinus, Ribera in 1. c. Malach. cæterique Jeſuitarum Theologi. Alii de utrâque electione, ut Bell. Pererius, Leſſius, fusè Salmeron in c. 9. ad Rom. tandem ad primam ſententiam ſe inflectit. Vide Toletum, Juſtinianum Genuenſem, Franciſcum Vekenum: Emm. Saverò, quem refers, in ſuâ brevitate nihil dilucidius expreſſit. Quid nunc impudentiam Embricenſium incuſas; niſi ut tuam calumniandi licentiam ex ignorantiâ, ut ſoles, effundas.

Alterum, quod Cabeljavius hîc movet, eſt de causâ prædeſtinationis, ſcribit enim in reſponſione editâ contra PP. Emb. electionem ad gloriam non eſſe ex præſcientiâ fidei, ſed ex merâ gratiâ, fidem verò eſſe fructum Prædeſtinationis; & hanc reſponſionem aſſerit Jeſuitis non placituram, quam tamen ex Bell. & Pererio probare ſe jactat; quid hîc philoſopharis. Quæſtio eſt de causâ: Materialis ſunt homines, Formalis non alia, quam effectus nobis inhærentes, Finalis Dei bonitas & gloria, Efficiens Principalis Deus, Meritoria paſſio Chriſti. Ita Becanus & alii: ſupereſt de meritoriâ ex parte prædeſtinatorum, atque de eâ jam conſtat ex dictis; nempe prædeſtinationis adequatè ſumptæ ut gloriam, & media comprehendit, nullam dari cauſam ex parte prædeſtinatorum, ita enim gratiam comprehendit, quæ gratìs datur Rom. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia.* Eph. 2. *Gratiâ ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis.* 2. Cor. 3. *Non quod ſuffi-*

Sufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis; Quod ſi quærat Prædicans, an ex parte Prædeſtinatorum detur aliqua cauſa partialis Prædeſtinationis, ut refertur ad gloriam; & ut prædeſtinatus cum gratiâ compoſitus conſideratur; atque ita in ſententiâ poſteriore Vaſquez & aliorum res clara eſt, dari cauſam: quia omnis merces reſpicit meritum tanquam ſui cauſam: atqui gloria nobis datur ut merces, Matth. 5. *Merces veſtra copioſa eſt in cœlo.* 2 ad Timoth. 4. *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die juſtus judex.* Quam ſententiam auctores illi multis Scripturæ, & SS. PP. teſtimoniis confirmant; cumprimis S. Auguſt. q. ad ſimplic. & ſerm. 7. de verb. Domini: *Quos voluit hos elegit, elegit autem, ſicut dicit Apoſtolus, & ſecundùm ſuam gratiam, & ſecundùm illorum juſtitiam*, ita Tract. 76. in Joan. & multis rationibus. Quid nunc diſplicet Jeſuitis in tuo illo pronuntiato? niſi quod ita temerè & perturbatè omnia confundas, ut parum intelligas.

Tertium in quo Prædicans fallitur eſt de effectu, quod ſolam fidem velit eſſe prædeſtinationis fructum, ita, ut qui ſolùm credunt ſicut Reformati, jam ſoli prædeſtinati ſint per ſolam fidem; Catholicorum verò Theologi è contrà ita ſtatuunt & docent, tres eſſe prædeſtinationis effectus, quorum primus eſt, vocatio ad fidem; ſecundus juſtificatio: tertius gloria æterna; & id perſpicuè probant ex Apoſtolo ad Rom. 8. *Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.* Quid hîc denuò diſpliceat Jeſuitis, facilè vides, nempe quòd fructum, & effectum prædeſtinationis in ſolâ fide conſtituas, atque eâ inſuper hæreticâ, quæ nulla fides eſt. Deinde quòd ita effectus prædeſtinationis reſtringas ad ſolam fidem, ut cætera dona excludas; cùm omnia illa beneficia & dona, quæ præde-

Digitized by Google

ſtinatis conducunt ad æternam ſalutem, & à Deo ex ſingulari illâ benevolentiâ donantur, infallibilemque connexionem habent cum æternâ ſalute, ſint effectus prædeſtinationis; repete definitionem prædeſtinationis à S. Auguſtino ſuprà præſcriptam; & errorem tuum cognoſces. Accedit: quòd, ſi ſola fides ſit effectus prædeſtinationis, nulli pueri ante uſum rationis mortui prædeſtinati erunt, quia fidem actualem, ut credant, non habent, habitualem negatis: atque ita media pars Chriſtianorum & Reformatorum prædeſtinata non erit. Nunquid ergo & Baptiſmus eſt effectus prædeſtinationis? Nunquid & perſeverantia finalis, quam Bell. ſcribit fundamentum, & maximè proprium effectum prædeſtinationis. lib. 2. de grat. & lib. arb. c. 12. lib. 6. c. 2. lib. 3. de Juſtif. c. 12. Prætermitto hîc innumera alia, ne Prædicantis ſomnia perſequamur, quæ non ſine faſtidio Jeſuitarum aures ferunt.

CAPUT III.

Implicita Prædicantis reſponſio ad poſteriores Comitis Quæſtiones.

QUæſtiones Comitis ſunt hæ: *An prædeſtinatus ad malum poſſit ullis mediis pervenire ad ſalutem; & an prædeſtinatus ad bonum poſſit excidere à ſalute.* Hoc ſcilicet illud vulgatiſſimum Dilemma eſt, quod lex Calviniſtarum principiis movetur: ut ſapienter adverſum eſt à Comite, quo miſeri anxiè torquentur: ita enim ſecum ratiocinantur: vel prædeſtinatus ſum ad bonum, vel reprobatus deſtinatuſque ſum ad malum; ſi ad bonum, certiſſimè ſalvabor, quibuſcunque me etiam vitiis, & ſceleribus permiſero; ſi ad malum æternamque damnationem, neceſſariò damnabor, quidquid tandem boni egero; proinde vitam fluere ſinam ad voluptates,

tes, & vitia. Hæc perplexitas hujus dilemmatis eò Monachum ſui Monaſterii deduxit, teſte D. Aug. ut deſertâ religioſâ vitá ad ſæculum redierit. Catholici hoc modo ſolvunt Dilemma. Si à Deo prædeſtinatus ſum ad vitam æternam, ita ordinatus ſum, ut per media certa, quæ in meâ poteſtate & libertate ſunt, eam conſequar; ſi reprobatus ſum, propter peccata mea, quæ liberè commiſſurus ſum, certò damnabor. Hæc ſolutio tranquillum animum præſtat, ut non deſperet, qui peccatis immerſus hæret, neque ſe efferat, ſibique præfidat, qui juſtitiam ſectatur; verùm hæc ſolutio neque à Calvino, neque à Cabeljavio dari poteſt ob falſa principia, de quibus infrà agendum. Quapropter mirum, quàm ſe Prædicans affligat & torqueat, ut ſolutionis aliquem exitum inveniat; modò dicit hanc quæſtionem eſſe curioſam, idque ex Scripturâ probare aggreſſus eſt, atque ita omnes libros ut curioſos, & inutiles de Prædeſtinatione inter Arminios, & Gomariſtas exurat, licet; modò ex abſolutâ propoſitione conditionalem facit; modò in ſpeciem aliquam ſolutionem adferre ſudat, ſed quidquid adfert, novum rete eſt, quo ſe magis implicat, ut muſca aranei telis involuta. Nam 1. ait; ſi reprobus ſpectetur ex parte ſuâ, & cum hac conditione ſi ſeſe converteret & crederet, tum poſſe ſalvari; rurſum verò abſolutè ait, reprobum ſe non poſſe convertere, & credere: quia ſpoliavit ſe per voluntariam inobedientiam potentiá credendi & ſervandi mandata; mox verò ſcribit, nullo peccato ne originali quidem ſublatum eſſe liberum arbitrium, itaque & credere poteſt & ſervare mandata: at de Prædeſtinato, opinor, hoc aſſerit, non reprobo. Verùm ubi, quæſo, legiſti prædeſtinatis eſſe liberum arbitrium ad credendum, & ſervanda mandata, Reprobis verò non eſſe ad hæc liberum arbitrium & poteutiam. Demùm reſpondet ideò repro-

Digitized by Google

bos non ſalvari, quia donis & Dei gratiâ uti nolunt. Hìc potentiam & liberum arbitrium agnoſcit in reprobo, & voluntati culpam attribuit, quæ nolit uti donis; aliud eſt nolle, aliud non poſſe; quid cum hoc lubrico homine facias, qui nec vera principia habet, nec falſa ſua intelligit. Quare non inhæres illi uni principio? Reprobos non habere liberum arbitrium, & quibus non pedicis te denuò involves? poſtremò inquit, non damnari reprobum propter peccata, ſed propter voluntatem Dei: hinc omnem culpam impiè cum Calvino non in hominem, ſed ipſum Deum refundit. *Verè impii in circuitu ambulant.* Illud verò benè ſcribit; ſi ſpectetur in reprobis præſcientia, decretumque Dei fieri non poſſe, ut reprobus ſalvetur, aliàs enim Dei præſcientia falli poſſet; ſcitè Auguſtinus: *Horum ſi quiſquam perit, fallitur Deus, ſed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus*: de corrept. & grat. c. 7. Tædet cæteras tuas antilogias perſequi, ut tamen te expediam ex hujus quæſtionis Labyrintho, hanc Catholicorum reſponſionem accipe ex D. Thomâ q. 23. in reſp. ad 2. & 3. propoſitionem illam, prædeſtinatus poteſt mori in peccato, poſſe duplicem ſenſum reddere, vel enim poſſibilitas cadit ſupra prædeſtinatum *ſpecificativè*, & in ſenſu diviſo; vel *reduplicativè* & in ſenſu compoſito, primo ſenſu poteſt ſic mori atque adeò damnari, quia prædeſtinatio non tollit libertatem: in ſecundo ſenſu non poteſt, ſed hæc impoſſibilitas conſequens eſt, non antecedens; hinc non tollit contingentiam & libertatem ſalutis; ut pluribus oſtendunt Theologi de providentiâ & prædeſtinatione, cumprimis quando quærunt, quomodo electio ad gloriam ſit in hominis poteſtate, lege deinde Becanum c. 4. de certitudine Prædeſtinationis & Reprobationis; cùm enim Prædeſtinatio ſit præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicun-

[.]c. de
[.]l. Ca-

quicunque liberantur, hæc certitudo non oritur ex parte mediorum ſeu gratiæ efficacis, ſed ex parte præſcientiæ, quæ falli non poteſt; Deus enim per ſcientiam conditionatam cognoſcit, qui benè & qui malè uſuri ſint gratiâ ſibi conceſsâ, & conſequenter qui ſalvandi, qui damnandi ſint; ſecundò ſequitur quomodo verum ſit prædeſtinatum poſſe damnari, id nempe verum eſt ex parte mediorum, falſum ex parte præſcientiæ; qui enim prædeſtinatus eſt, liberè utitur mediis à Deo conceſſis, proindeque poteſt illis benè vel malè uti, prout voluerit. Vides quomodo Catholici in id intenti ſint ut libertatem ſalvam, illæſamque cuſtodiant in negotio prædeſtinationis, quam Cabeljavius cum Calvino, & reformatis continuò è medio tollit, ut deſperationis viam laxet.

CAPUT IV.

De reprobatione & falſis principiis Cabeljavij.

PRimùm extra Controverſiam eſt dari reprobationem quæ à Mag. Sent. 1. diſtinct. 4. definitur, *præſcientia iniquitatis quorundam & præparatio damnationis eorundem*; ea verò duobus modis ſumitur, primò, ut eſt rejectio à gratiâ, ſecundò, ut eſt rejectio à gloriâ, quo ſenſu S. Thomas 1. p. q. 23. a. 3. Viſus eſt dicere, reprobatio includit voluntatem permittendi aliquos cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpâ; ita Becanus ex eodem, quidquid tandem Catharinus contra moveat 25. argumentis. Alii claritatis causâ ita diſtinguunt: reprobatio alia eſt *poſitiva*, quâ quis damnatur ad pœnas æternas, tàm ſenſus, quàm damni; juxta definitionem Mag. modò datam, de quâ mox referam; alia *negativa*, de quâ poſtea.

Scotus 1. d. 41. q. unicâ duplicem itidem ponit reprobationem, unam *permiſſivam*, alteram *punitivam*: Prædicans Leidenſis ex parte Catholicorum doctrinæ videtur accedere, & à Calvino ſuo recedere; ex parte etiam à Catholicorum doctrinâ totus in Calvini hæreſin abire, in falſo principio ſuo de quo cap ſequente. Catholicis verò accedere videri poteſt, quando ſcribit in reprobatione duos a-
fol. 99 ctus intervenire, alium *præteritionis*, alium *prædamnationis*, ac prædamnationis quidem includere peccatum quòd à Deo nullus puniatur ſine peccato, & in hoc abit à Calvino ſuo lib. 3. Inſt. c. 21. & 22. ubi docet Deum, non ex præſcientiâ peccati, ſive perſonalis, ſive originalis; ſed pro ſolo ſuo beneplacito, & voluntate ex totá creandorum hominum multitudine certos deſtinaſſe ad pœnam, & ſempiternam damnationem, ut ſuo illo exitio illius nomen glorificent, ut latè expendit Petavius tom. 1. lib. 10. c. 6. Hinc porrò docuit Calvinus, ut Deus illud decretum exequatur, incitare homines ad peccandum; imò neceſſitate compellere. Hîc ergò Cabeljavius deſerto Calvino & Gomariſtis, aut ad Catholicos, aut certè ad Arminianos deflexit, optarem ego reſcire, quam ſectam homo ille profiteatur, Arminii an Gomari? credo prout ventus ſpirat, ſic circumferatur omni vento doctrinæ, quæ nunc Catholicorum doctrina? illa videlicet. Deus ante omne peccatum prævifum nemini abſolutè æternam damnationem decrevit, videlicet, reprobatione poſitivâ. Hanc omnes Catholici profitentur, qui negant abſolutum decretum dandi gloriam ante præviſa merita; imò qui hoc decretum admittunt, illam poſitivam reprobationem negant, ut Bell. Suárez. & alii, ſolùmque reprobatione negativâ contenti ſunt, atque hæc doctrina plurimis S. Scripturæ & SS. PP. teſtimoniis revincitur, quæ nihil attinet hîc recenſere, cùm Prædicans hîc tantiſper

tiſper

Digitized by Google

tiſper ad Catholicorum partes tranſierit. Supereſt ergò de actu *præteritionis* inquirere : ait ergò Prædicans, reprobationem *Præteritionis* ex nullo præviſo peccato fieri, ſed ex ſolo beneplacito Dei, & hunc aſſerit eſſe capitalem articulum, in quo Catholici à Calvinianis diſcedant, & in quo Embricenſes Patres ſe collidant.

Audi nunc D. Prædicans, qui tàm iniquè cenſes & criminaris Patres Embric. ex nullo ſcripto vel dicto allegato, ſed ſolùm ex tuo falſo criterio. Reprobatio *negativa* eſt, quæ ſumitur pro merâ negatione, ſeu privatione Electionis ad gloriam, quæ ſolùm dicit: Deum non habere decretum, tales vel tales eligendi ad gloriam, & hæc reprobatio ex ſolo Dei beneplacito eſt, & hoc legis in Pererio, quem toties adducis, ejus hæc ſunt verba. *Reprobatio autem à Deo eſt, quantùm ad duo, nimirum, quod eſt Dei voluntas permittendi aliquos decidere ab ultimo fine, & quantùm ad ultimum effectum reprobationis, quis eſt punire reprobos ob eorum peccata æternis pœnis; quantùm ad hæc duo Deus eſt cauſa reprobationis hominum, non tamen eſt cauſa ejus, quantùm ad mala reproborum merita, id eſt, peccata, neque quantùm ad pravam ejus voluntatem, quæ eſt proxima peccati cauſa, ſicut eſt cauſa Prædeſtinationis, quantùm ad bona Electorum merita, & quantùm ad cauſam, id eſt, gratiam, quæ eſt principium & radix bonorum meritorum*; atque illud eſt, quod S. Thom. Bell. & alii Catholici docent, nec aliud Embricenſes ſentiunt, vis clariorem Emb. mentem ex clariſſimo hujus ſæculi Theologo Franciſco Vekenio diſp. 28. in primá parte D. Tho. de reprob. c. 3. qui fortè multos in illo Embric. collegio diſcipulos habet, & hunc ipſum, qui notas tibi illas ſcripſit; is verò præſtantiſſimus Theologus reprobationem negativam ſive permiſſivam docet ſumi pro permiſſione peccati finalis, & exhibitione gratiarum

tantùm inefficacium ad gloriam, atque ex tali voluntate dari gratias inefficaces, non tam eſſe reprobare quàm prædeſtinationi ſtudere; quia tamen cum illâ voluntate conjungitur præſcientia infelicis eventus, quid abuſuri ſint gratiis illis, hinc reprobatio negativa, ſeu potiùs permiſſiva conſtituitur, eaque aliquam ſui originem trahit ex lapſu Adami, ut ex D. Thom. 2. ſecundæ. q. 2. art. 5. & S. Aug. deducit idem Theologiæ Doctor citato capite 4. n. 21. expreſsè & definitè; cur hos præ aliis Deus reprobet negativè ſive permiſſivè, in nullas ſæpiùs cauſas intrinſecus iis referendum eſt, ſed in arbitrium Dei altitudine Sapientiæ ejus nobis incomprehenſibili nixum; atque hæc de reprobatione negativâ, agnoſcunt omnes pro Doctrinâ S. Auguſt. qui illud Roman. 9. in eum ſenſum interpretatur, *Cùm nondum nati fuiſſent, nec quidquam boni egiſſent aut mali ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia major ſerviet minori*, eadem de reprobatione negativâ S. Thom. *Quare hos elegit ad gloriam, & illos reprobavit non habet rationem, niſi divinam voluntatem.* At verò idem Doctor Angelicus reprobationem poſitivam, & formalem in peccatorum præſcientiâ fundat, in cap. 9. Epiſt. ad Rom. lect. 2. & in 1. p. q. 19. a. 6. ad primum expreſsè docet voluntatem damnandi in Deo conſequentem eſſe, nempe ad peccatum. Quare effectus reprobationis poſitivæ non eſt alius, quàm ipſa executio æternæ pœnæ.

Hoc, cumprimis opponere potuiſſes ad locum S. Thomæ à Pererio allatum; Catholicos nonnullos reprobationem poſitivam à peccatis & demeritis independentem defendere, de quibus Petavius tom. 1. lib. 10. verùm eruditè idem Petavius reſpondet, eos Calvino non favere, eò quòd vel id intelligant de ſolis demeritis perſonalibus, ſupponentes

cum

cum D. Auguſtino ante decretum reprobandi, à Deo præviſum peccatum primi Parentis, & Originalem labem ex eo contractam; vel certè ſi ante præviſionem cujuſque peccati Deum abſolutè de damnandis reprobis conſtituiſſe velint, longè tamen ab eodem removeant impulſum omnem, ac multò magis injectam nobis peccati neceſſitatem; ſecus quàm Calvinus, & Gomariſtæ, rigidique Calviniſtæ præſcribunt, quibus ita conſtitutis, hi duo Aphoriſmi ſint certi atque Catholici; reprobationem negativam ſeu permiſſivam ex ſolâ Dei voluntate ſui cauſam habere, reprobationem verò poſitivam, non niſi ex demeritis, & præviſione peccatorum decerni. Quid nunc Prædicans obtendit, aut incuſat? quod ſeipſum prætendit ſentire, quodque Arminiani contra Calvinum, rigidoſque Calvini ſectatores agnovêre. Ut tantiſper Arminianus ſit.

Atque ut porrò videas, quàm remotè Catholici à Calvino diſcedant; quærunt inſuper; An Deus poſſit ad cruciatus infernales damnare innocentem, & reſpondent Pallavicinus, Ariaga, Vekenius etiam per abſolutam potentiam Deum non poſſe immerenti Creaturæ rationali inferni cruciatus infligere: id verò dogma probant ex Scripturâ, auctoritate Patrum, & ratione; ex Scripturâ Sapientiæ 12. *Eum, qui non debet puniri, condemnare, exterum putas à tuâ virtute.* S. Auguſt. plurimis locis, cumprimis lib. 3. contra Jul. c. 18. *Bonus eſt Deus, juſtus eſt Deus, poteſt aliquos ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt; non poteſt quenquam ſine malis meritis damnare, quia juſtus eſt.* l. 4. contra eundem. *Certum & immobile teneamus, non eſſe iniquitatem apud Deum, quâ quenquam ſine malis meritis damnet.* Epiſt. 106. *Quenquam verò immeritum, & nulli obnoxium peccato, ſi Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.* Ratio verò eſt, quòd

hæc

hæc condemnatio inſontis ad pœnas involvat vitium oppoſitum clementiæ, quodque teſte D. Thomâ 22. q. 52. art. 2. Feritas quædam eſt, quodque in Deo, non niſi impiè & ſacrilegè cum Calvino admitteretur.

CAPUT V.

Falſum Cabeljavii principium de reprobatione.

VBique cum hoc Prædicante luctandum in falſis principiis, ut lector obſervabit in cæteris controverſiis; in hac verò controverſiâ illud principium confidenter ponit, *Reprobi non habent liberum arbitrium ad bona opera, & in negotio ſuæ ſalutis, ut ſe convertant*, ſubjungit fol. 117. *his fundamentis conformiter doctrinam noſtram ſuperſtructam volumus, & quis contradicet?* Totus mundus. In primo fundamento de actu præteritionis & prædamnationis, Catholicum aut Arminianum viſus eſt induere, hîc Catholicum exuit Prædicans, & toties Calvini exuviis rurſum ſe induit, cujus idem hoc impium dogma eſt, ut propoſitione ſecundâ collocavi, quod cùm omnibus Catholicis execrabile ſit, tum ab innumeris Scriptoribus, & ipsâ Eccleſiâ damnatum eſt; ſed quibus argumentis id execrabile pronunciatum probat? nullis, niſi quòd ſupponat ex originali peccato liberum arbitrium ſublatum eſſe, de quo in primâ controverſiâ, ſed omiſſis illis, quibus liberum arbitrium convincitur, quantùm ad præſens inſtitutum, cùm reprobatio ita in tempore ſit conſtituenda; uti ab æterno fuit ordinata in mente divinâ; illud liberum arbitrium, vel ante originale amiſit reprobus vel poſt, non ante, quia Calvinus docet hominem cum plenâ libertate arbitrii creatum eſſe lib. 1. Inſt. c. 15. §. 10. Nec appa-

apparet quomodo Deus ante originale peccatum, ſublato libero arbitrio, potuerit homini injungere neceſſitatem peccandi & pereundi; ergò poſt commiſſum originale, ac tum cum originale tranſierit in omnes homines, etiam prædeſtinati æquè, ac reprobi libero arbitrio deſtituti ſunt; ſed quomodo, tunc David, Paulus, Petrus, Matthæus, Magdalena cæterique peccatores prædeſtinati ſe liberè convertere potuerunt? quâ vel ſcripturâ, vel ratione oſtendes Reprobos carere, & Prædeſtinatos non carere libero arbitrio? ſomnia ſunt prædicantis. Secundò, ſi reprobi non habent liberum arbitrium, quomodo peccare poſſunt, cùm ſine illo peccatum eſſe non poſſit, & ſi peccare non poſſint, quomodo Prædicans ſcribit reprobationem prædamnationis eſſe ex peccato; proinde feliciores erunt reprobi, quàm Prædeſtinati, quia prædeſtinati peccare poſſunt, reprobi verò non poſſunt. Nunquid hæc ſomnia Prædicantis denuò. Tertiò hæc tua doctrina priſcorum hæreticorum eſt, quam SS. PP. olim proſcripſerunt ut impiam & hæreticam, cumprimis S. Proſper. quæ & S. Auguſtino falsò affiɛta fuit, ut patet ex eodem D. Proſpero ad capit. gall. c. 6. *Quòd liberum arbitrium in homine nihil ſit, ſive ad bonum, ſive ad malum, prædeſtinatio enim Dei in hominibus operatur, quod ineptiſſimè dici*, ait S. Proſper. Quapropter in Concilio Trid. ſeſſ. 6. c. 5. hoc dogma damnatum eſt, quod & manifeſtè contra Scripturam pugnat, utî Becanus oſtendit de deſperatâ Calviniſtarum prædeſtinatione c. 11. & à Bell. Suarez, Vaſquez & omnibus Theologis & Scriptoribus contra Lutherum, liberum arbitrium negantem, demonſtratum eſt, quanquam non rationibus, ſed riſu explodenda ſit hæc hæreſis.

Num. 30. Deut. 30. Joſue 24. 2 Reg. 14. Eccl. 31. Matth. 19. & 23. Apocal. 3.

At quorſum tàm inſulſum dogma Cabeljavius introduxit? quæſierat Comes illius, an reprobus ullis mediis poſſet ad ſalutem pervenire, deinde an repro-

reprobus poſſet ullum Dei mandatum ſervare, Prædicans non aliud effugium habuit, quàm ut diceret reprobo, non eſſe liberum arbitrium, ut liberè
Matt.19. credat, & mandata obſervet. Quid ergò illud? *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, nunquid Chriſtus ad liberam voluntatem appellat? quid fides? nonne à liberâ voluntate dependet, de quâ tot appellationes in Imperii Comitiis pro libertate conſcientiæ, & demum inſtrumenti pacis diploma & privilegium; nihil tàm ſtultum, quàm libertatem conſcientiæ poſtulare, & libertatem arbitrii negare. Quid illæ antilogiæ? ſoline ergò Prædeſtinati liberè credunt, inter reformatos, & nulli reprobi liberè fidem reformatorum habent? quid deinde Principum leges? quid judicia, & ſupplicia? quid conciones? quid objurgationes? quid exhortationes? quid vos miniſtri in pulpitis agitis ſuadendo, deterrendo, impellendo, præcipiendo; omnia hæc ſcenicè, fictéque inſtituta ſunt. Nam ſi Prædeſtinati ſunt, peccare non poſſunt; ſi reprobi convertere ſe non poſſunt, quia libero arbitrio ſpoliati & laqueo deſperationis jam jugulati oberrant. Falleris D. Prædicans. Prædeſtinatio & reprobatio ex Catholicorum ſententiâ in hominis poteſtate ſunt, quatenus dicunt abſolutam, & efficacem noſtri deſtinationem, vel ad gloriam, vel ad damnationem; & poſterius eſt ratione, & quaſi cauſalitate objectivâ, nos ad utramvis ita deſtinari, quàm nos promereri.

Audiviſti in primâ controverſiâ omnibus hominibus, etiam reprobis ſufficientem gratiam dari, cui bono & fini illa gratia? ſi nullis mediis ad ſalutem homines pervenire poſſunt: fruſtrà *omnium ho-*
Tim.4.10. *minum Salvator* ſcribitur Chriſtus, fruſtrà ad ſe in-
Matt.11. vitat omnes: *Venite ad me omnes qui laboratis*,
Tim.2. fruſtrà denique *Deus vult omnes homines ſalvos fieri.* Enimverò quid hîc Prædicans? ait reprobos non

non vocari; ſed Prædeſtinatos; quomodo verò? Nunquid *multi vocati, pauci verò electi*: ergò plures vocati ſunt ad fidem, quàm electi ad gloriam; credo ſi omnes Jeſuitæ ac Monachi ad te venirent, & ſectam tuam peterent, continuò ex omnibus reprobis, prædeſtinatos mirâ metamorphoſi faceres; rem verbo conficiam: Pelagiani docebant liberum arbitrium nullo modo læſum eſſe originali peccato, proinde poſſe homines per vires liberi arbitrii ad ſalutem & gloriam pervenire ſine prædeſtinationis gratiâ; Calviniani, utî hic Prædicans, docent liberum arbitrium penitus exſtinctum eſſe per originale peccatum; Catholici docent labefactatum eſſe, quoad ſupernaturalia, integrum verò manſiſſe, quoad naturalia, ſed gratià, tum ſufficiente, tum efficace inſtauratum. Quocirca acutè Tertullianus; *ſemper Eccleſia inter duos hæreticos, ſicut Chriſtus inter duos latrones crucifigitur.* *Mat.20.& 22.*

Scribis te cum Calvino docere, *tametſi etiam in reprobo ſit cauſa damnationis ex peccato, non tamen damnari reprobum propter peccata, ſed propter Dei voluntatem.* O impiam vocem! vereor ne te Deus ex libro viventium expungat; audi, condemnare aliquem ſine cauſâ, eſt inſontem acerbiſſimis, & æternis pœnis addicere ſine culpâ, quod injuſtum eſt, nec de Deo cogitare quidem fas eſt; dicis id fieri per actum præteritionis, ſed condemnationem adjungis, quæ per reprobationem poſitivam fit; & non niſi ex prævifis demeritis, & peccatis decernitur, ut ſupra oſtendi, proinde totus ad Calvinum redis. Scriptura hanc reprobationem poſitivam ſimpliciter ſoli peccato adſcribit Matt.25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*: cauſa refunditur non in Deum, ſed in homines; *Eſurivi enim & non dediſtis mihi manducare &c.* Iſa 59. *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos, & Deum veſtrum.* Oſ. 13.

Perdi-

Perditio tua ex te Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum. S. Ambroſius de Eſau & Jacob in Malach. locum. *Neminem damnat Deus antequam peccet, & nullum coronat, niſi vincat*; ita S. Hieron. in c. I. Iſaiæ. *Liberum ſervat arbitrium, ut in utramque partem, non ex præjudicio Dei, ſed ex meritis ſingulorum, vel præmium vel pœna ſit.* S. Aug. lib. ad art. falsò impoſitos arti. 3. *Omnium quidem hominum creator eſt Deus, ſed nemo ab eo creatus eſt, ut pereat, quia alia eſt cauſa naſcendi, alia pereundi; ut enim naſcantur homines, beneficium eſt, ut autem pereant, prævaricatoris eſt vitium.* Et quis omnia S. Aug. & aliorum PP. teſtimonia percenſeat? ego ut de te cenſeam, tametſi horridam illam Calvini ſententiam tàm explicatis verbis videaris refugere; re tamen ipsâ doces; dum reprobis auxilium ſufficiens negas, dum liberum arbitrium tollis, dum peccandi neceſſitatem injungis, dum legis & fidei impoſſibilitatem reprobo præſcribis. Hinc te his laqueis implicatum fruſtra in omnem partem obvolvis & involvis, ut rectè de te, non minùs quàm de priſcis olim Hæreticis ſcripſerit D. Auguſtinus veriſſimam cenſuram. *Mirum* inquit ille epiſtolâ 105. *Cùm his coarctantur anguſtiis, in quantâ ſe abrupta præcipitent, metuentes retia veritatis.*

Scribis Janſenianos ab Innocentio X. Pontifice damnatos eſſe, partim ex ſimplicitate, partim Jeſuitarum gratiâ, partim aſſentatione occupato, ſcribis eundèm Pontificem exercere Tyrannidem in Janſenianos, ſcribis Janſenianos malè proſcindi convitiis apud plebem, quod ſub integumento Calviniſtarum latere velint; & quibus non Eccleſiam calumniis & innocentes plebeio tuo libello laceras? his mihi reſpondere non libet, quia *nec Deum times, qui in eâdem causâ damnationis es*, hæc paucis & diſtrictè; Theologos primùm Catholicos de prædeſtinatione pervolve; tum ad ipſa controverſa capita

pita de Prædeſtinatione, & Reprobatione ordine a utpone, aut repone, & ſi quid dignum objurgatione reviceris, criminare; Queſtus olim Hieronymus de cavernis cellularum damnari orbem, & in Epiſcopos ferri ſententiam: cui non putidum & inſulſum videtur, à plebeio Prædicante, totius Eccleſiæ, & tot Theologorum eruditorum judicia proſcindi & damnari. *Epiſt. ad Mar. Presbyt.*

Scribis in epilogo de Prædeſtinationis controverſiâ, jactaſque, poſſe te oſtendere omnes Jeſuitas eſſe Pelagianos, & Semi-Pelagianos, ſed parcere te eorum honori, ita me Dii ament Deæque omnes, parſurum te ſi poſſes, *totus cæcus es, & in peccatis natus*, & tu Jeſuitarum Theologos docebis primùm Pelagii hæreſes. Ita verò te judice, nec Suarez, nec Vaſquez, nec Molina, nec Leſſius, neque ex innumeris illis admirandiſque Theologis, quiſquam id adhucdum vidit, ut à te primùm id diſcere neceſſe ſit, à te inquam, qui tantummodò Græculus, ad Theologicas illas Aquilas; videri potes; cui non riſum moves, dum tàm liberaliter inſanis; quantò conſultius, ſi à Jeſuitarum Theologis primùm diſceres, qui Pelagianorum & Semi-Pelagianorum errores controvertantur; id tu ſanè non intelligis, dum ita ſcribis. Lege ſolùm ſeptem Pelagii pronunciata apud S. Aug. Tomo VI. de Hæreſibus, hæreſi 88. videbiſque quàm alieni ab his ſint Catholici, quos acerrimè omnes Theologi Catholici oppugnant, & damnant; Deus te illuminet, *qui illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum.*

F CON-

CONTROVERSIA III.

De Canone Sacræ Scripturæ.

IN hâc Controverſiâ Domine Prædicans omnes tuos nervos, & vires explicas, ut victos à te Emb. Patres, & omnes Catholicos in canone errantes populo proponas: quando de hâc controverſiâ maximam inter te, & Patres in collegio ſcribis habitam concertationem; verùm uti Patres ſcribunt, nihil niſi obſoleta argumenta attuliſti, quibus nihil effeciſti, niſi ut novos fumos ſpargeres; & hæc ipſa tàm perturbatè, ut ex chartâ legeris, ut ad primam propoſitionem negatam hæſeris; ut nec Syllogiſmum à Patribus propoſitum, in formâ repetere potueris, quin tertiùm, quartùm, quintùm tibi regerendus fuerit, ut nihil cohærenter, nihil ſolidè protuleris; quamvis integro anno te paraveris, ut faſſum te ſcribunt Patres. Prætermitto cætera, quæ tu ipſe ſcripſiſſe Patres memoras. Utì verò tu denarras, nihil apud te niſi de Jeſuitis, & omnibus Catholicis explicatiſſimus triumphus; ex quo deinde tanta inſolentia, & calumniæ, quibus Catholicos, Pontificem, Concilia, & PP. Conc. Trid. & Florent. vulneras. Seponamus iſta, tanquam *quieti & modeſti ſpiritus homines*; tùm etiam utriuſque partis plauſum: Tam ego Patribus Emb. credo quàm tibi. Fides tantiſper in medio conſiſtat. Id nunc agendum, ut videamus: *an Catholici in Canone librorum errent? an Reformati?* rectène Cabeljavius, an Patres Emb. reſponderint? totam controverſiam ad tria capita contrahamus, primò, quomodo ex S. Scripturâ probes Canonem: ſecundò, quomodo ex Conciliis: tertiò, quomodo ex Patribus.

1. *Pet.* 3.

C A-

Digitized by Google

CAPUT I.

An D. Prædicans ex Scripturâ ſuum Canonem probet?

CAnon duplex eſt, alii Protocanonici libri, de quibus nulla unquam in Eccleſiâ fuit controverſia: Alii, Deutero-Canonici, de quibus aliqua inter unum, aut aliquos fuit controverſia, ut Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiaſticus, Machabæorum primus & ſecundus, Baruch &c. ſeu quicunque in ſe Prophetici & Apoſtolici fuerunt, ſed illorum auctoritas non ſemper æquè explorata fuit quoad nos: ex novo Teſtamento, Epiſtola ad Hebræos, Apocalypſis, Epiſtola Jacobi &c. Secundò liber aliquis dicitur Canonicus quoad ſe, idque habet à divinâ auctoritate, ſeu à Deo, quo inſpirante ſcriptus eſt. In hoc conveniunt Deutero-Canonici cum Proto-Canonicis. Secundò dicitur Canonicus, quoad nos, idque habet à teſtimonio Eccleſiæ. His poſitis urgent Patres Emb. ex illo clariſſimo D. Aug. teſtimonio lib. contra Epiſt. fundam. c.5. *Ego Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret auctoritas.* Ut primùm ex Fundamentis controverſiam probaret: hunc ictum, ut fatalem declinavit, nec adduci potuit, ut ex certo principiò, id eſt, infallibilis Eccleſiæ judicio primùm procederet; hic communis hominum mos eſt, qui aut non intelligunt, aut ſibi malè fidunt, ut principia tangi nolint; ſed per rapſodiam quandam, obſcura Scripturæ, Conciliorum & Patrum teſtimonia obtrudant, quibus infirmos obruunt, medios percutiunt, ſummos fatigant. Tandem ut ſe expediret ad finem: ſcribit folio 302. *Canonem non ſolùm ex Eccleſiæ judicio, ſed auctoritate Dei, in verbo Dei revelata conſcientiis ipſorum probari poſſe.*

Digitized by Google

Agè nunc D. Prædicans : qui doces cum Reformatis omnes fidei articulos debere & poſſe ex S. Scripturâ probari, ex quibus hic unus eſt, & fundamentalis, potesne jam probare Canonem ex Scripturâ ? id à te fieri non poſſe ita oſtendo.

Primùm. Quia primum principium probandi articulos fidei eſt verbum Dei revelatum, id cùm duplex ſit, ſcriptum, & traditum; & cùm verbum traditum, & traditionem rejiciatis. in ſolo verbo ſcripto vobis ſtandum eſt. Potesne jam Scripturam ex Scripturâ demonſtrare? hoc contra principium naturæ eſt, priori enim non datur prius; aut progreſſus in infinitum admitti debet. Hîc deinde multa movenda reſtant, quæ tu nunquam expedies, ſi quis ex objecto formali, & materiali fidei te conveniat.

Secundò ſi Canon, & certus numerus ſacrorum, & authenticorum librorum eſt in Scripturâ, ubi illum legis? in quo libro V. aut N. Teſtamenti, ſicut Aug. lib. de Doct. Chriſt. enumerat. Id ſi exſtaret, non eſſent controverſiæ inter Catholicos, & Calviniſtas; inter Calviniſtas, & Lutheranos, neque illæ SS Patrum diſcrepantes unquam fuiſſent Sententiæ.

Tertiò. *Dicitis omnes articulos neceſſarios ad ſalutem poſſe clarè demonſtrari ex Scripturâ* : inter hos Scriptura fundamentalis eſt S. Aug. lib. 1. de Doct. Chriſt. c. 37. *Titubavit Fides, ſi divinarum Scripturarum vacillat auctoritas.* Auctoritas uti infallibilis eſt; ita fundamentalis ratio probandi eſt. Jam oſtende, in quibus libris illa auctoritas ſit, in quibus non ſit, idque clarè oſtendere debes, atque id ſi clarè potuiſſet fieri ſine Eccleſiæ judicio, & declaratione, non fuiſſent Patres inter ſe tam diſſentientes.

Quartò Chamierius: tot rationes, tot argumenta conglobat, quibus librum Canonicum â non Canonico

nonico apertè, & evidenter poſſe diſcerni contendit. Sed fruſtra; ea enim omnia vel fallibile argumentum habent, vel infallibile. Non infallibile, quia præter Scripturam non datur aliud infallibile apud vos, ergò fallibile tantùm conficiunt. Et hoc non ſufficit ad articulum Fidei, neque his acquieſcere licet. Dicunt enim ex titulis librorum cognoſci; ſed Apocryphi tam ſuum habent titulum, quàm alii: dicunt ex materiâ diſcerni, ſed & illud fallibile eſt; nam varius eſt ſtylus Spiritus S. Dicunt unum librum citare & allegare alium; ſed etiam illud fallibile. Idem de cæteris judicium eſt argumentis & indiciis Dordrechtanæ Synodi veſtræ Nationalis ſive diviſim, ſive conjunctim ſumas, hinc fallitur Calvinus lib. 1. Inſt. c. 7. §. 2. Scripturam tàm claram eſſe ex ſe, utì ſol eſt, fallitur Chamierius, quando, cùm nihil probaſſet omnibus ſuis argumentis, demum ait Scripturam eſſe principium lumine naturæ notum, utì illud, omne totum majus eſt ſui parte, cur ergò tot controverſiæ? faſcini tantùm ſunt pro phebe; cur tot diſſidia de Apocryphis novi Teſtamenti inter Lutheranos, & Calviniſtas?

Alterum quod reſpondet ad fundamentum probandum; *Spiritum S. id conſcientiis veſtris edicere, quinam libri ſint divini: qui non*; Hoc Anabaptiſtarum & Schuenfeldianorum enthuſiaſma eſt, & devolvitur ad circulum Calviniſticum: de quo inter cæteros Becanus: hîc labyrinthum ingrederis, ex quo nunquam te expedies.

Tertium, quod reſpondes, eſt, *Canonem librorum ſacrorum probandum ſimul eſſe auctoritate Eccleſiæ*, utì Aug. tot locis docet, quos vel in ipſò Chamierio, Bellarmino inquam veſtro legere potes. Serione? credo tantiſper; donec ea, quæ adfers ex Conciliis & Patribus contra Catholicos valere poſſint. Cæterùm notum eſt, quanta ſit Eccleſiæ

auctoritas apud vos, qui ex ſolâ Scripturâ infallibile tantùm argumentum admittere vultis, verbum traditum, & Eccleſiæ auctoritas ſolùm fallibilia vobis ſunt argumenta. At quid jam dicis? ea traditio Eccleſiæ contra Apocryphos libros, eaque Patrum teſtimonia, quæ adfers hîc, ſuntne fallibile, an infallibile contra Catholicos argumentum? ſi fallibile parum probas; ſi infallibile, ergo datur præter Scripturam aliud principium contra vos infallibile, in verbo tradito, Concilio, & authoritate Patrum, quod nullus Calviniſtarum hactenus docere potuit, nec debuit, nec auſus eſt; quia ſola Scriptura unicum infallibile principium à vobis ſtatuitur contra Catholicos.

Interim cùm in has anguſtias compulſi eſſent Kemnitius Lutheranus, Petrus Martyr, & Wittakerus Calviniſtæ, neceſſariò authoritatem Eccleſiæ coacti ſunt admittere, nec aliò perfugium fuit ad probandum Canonem. Verba Petri Martyris in locis com. lib.6. n. 8. ſunt hæc. *Eccleſiæ functionem agnoſcimus, ut cùm ſit prædita divino Spiritu, ſynceros & germanos libros divinarum literarum ab Adulterinis & Apocryphis diſcernat.* Eadem Wittakerus c. 4. 5. 6. 7. Eadem Brentius in Pericope ult. ſcribit, longè alia, & oppoſita alii veſtri Scriptores. Non etiam id docet cautio in Biblia veſtra Leydæ edita, ex decreto Synodi Nationalis anno 1618. & 19. quæ ex tribus argumentis procedit. Primò ex Scripturâ. Secundò ex Indiciis. Tertiò ex teſtimoniis quorundam Patrum & Scriptorum. De infallibili Eccleſiæ judicio nihil.

Quæſo te nunc mi Prædicans, quid eſt Canon Scripturæ? *niſi Scriptura publico judicio Eccleſiæ in certum numerum & regulam redacta*, ergo ante publicum Eccleſiæ judicium Scripturam in Canonem eſſe redactam & pro Canonicâ haberi implicat contradictionem, unde ergo Canon petendus? niſi

ex

Digitized by Google

ex infallibili Eccleſiæ judicio. Hîc Patres Emb. te ad conflictum, & ipſam prælii aciem petierunt, tu tanquam fugitivus miles aciem declinaſti, & tamen quàm glorioſus hic Plauſi miles, imò triumphator.

Qui Ieſuitarum legiones diffiaviſti Spiritu
Quaſi ventus folia, aut peniculum tectorium.
Sed aſſentandum eſt, quiquid hic mentitur.

Verùm nunc videamus quomodo ex Conciliis oppugnet Catholicos.

CAPUT II.

Prædicans fruſtra Canonem ſuum ex Laodiceno Concilio probat.

INter omnia Concilia unum Laodicenum producunt Calviniſtæ, ex quo tale argumentum formatur. Laodicenum Concil. tantùm ponit libros Proto-canonicos, ergo Deutero-canonicos condemnat, quos reformati Apocryphos ſtatuunt. Reſp. primò Laodicenum non tàm definire Canonem, quàm deſignare libros, qui publicè in Eccleſiâ prælegi debeant. patet legenti Canonem 59. Secundò Laod. poſitivè Protocanonicos probat, (ſi quidem definiat:) ergaDeuterocanonicos ſe negativè habet, id eſt nec probat, nec improbat, ſed relinquit ad ulteriorem Concil. Oecumenici deciſionem. Tertiò, ſi Laodicenum ſequi velint Reformati, tum & Baruch admittendus,quem tamen rejiciunt. Deinde Apocalypſis S. Joan. rejicienda eſt, quia Laodicenum bis canonem recenſet Canone 59. & 60. & numquam Apocalypſin ponit in canone, ita Tomi Concil. Coloniæ editi, & per Surium emendati; reformati verò Apocalypſin contra Laodicenum admittunt. Advertiſti hoc Prædicans, qui tàm ſagax es? quare hoc tranſilis? fallax ſi legiſti, Ignorans ſi non legiſti.

Digitized by Google

II. Urget Prædicans: ſexta Synodus Generalis approbat Laodicenum Concil. ergò & Canonem Laodiceni. Hîc follem erroris Prædicans aperit; etehim unde probat, aut ubi ſexta Synodus id dicit. Reſpondet Prædicans Canone ſecundo. Hîc primùm erras? ſexta Synodus nullos Canones fecit. Recita Græcum teſtimonium ex Tomo Concil. *ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ ἕκτη σύνοδος ὅτι μὲν κανόνας οὐκ ἐξέθετο γραικοὶ καὶ λατῖνοι συνομολογοῦσι πάντες.* Unde ergò Canon ſecundus ille à te citatus? dicam ex Trullanâ ſeu quini-ſextâ Synodo, quæ Pſeudo-Synodus habetur.

Hæc valdè Prædicantibus placet; quia ſacerdotibus uxores permitti vult. Quod verò ſexta Synodus non ſit, manifeſtum eſt, nam longè poſt ſextam in Trullo celebrata eſt Anno 4. aut 5. ac tametſi diſt. 16. c. *ut ſancta* Synodus rurſum congregata fuiſſe ſcribatur; ea tantùm ſunt verba. Nicomediæ Epiſcopi & Tharaſii in 7. Synodo. Cæterùm omnes Scriptores antiqui & recentes eam Synodum inter falſas Synodos reputant: nec in eâ præſedit Romanus Pontifex per ſe, nec per legatos; Hinc Græca illa cautio in Tom. Conc. *ἐν εἰς φαίνεται τὸ παράπαν οὐδεὶς τὸ πρόσωπον ἀναπληρῶν τοῦ πάπα.* adeoque ipſe Balsmon id faſſus: lege diſtinct. 17. c. 1. c. 2. c. 4. c. 5. c. 6. nullum Concilium ſubſiſtere ſine auctoritate Romani Pontificis. ℞. ſecundò. Demus Prædicanti Trullanum illud fuiſſe legitimum: quid evincit? nihil. Nam idem Canon Trullani probat etiam Carthaginenſe Concilium, in quo Catholicorum Canon præſcribitur. ergòne contradictoria admiſerit Trullanus Canon, dicendum, & Protocanonicos cum Laodiceno, & Deuterocanonicos cum Carthaginenſi probaſſe. Deinde per regulam juris L. ideò §. de legibus *Quia antiquiores leges ad poſteriores trahi uſitatum eſt.* Carthaginenſis Canon poſte-

poſterior Laodicenum antiquiorem expreſſius poſuit, & correxit.

III. Urget Prædicans ex jure Canonico diſt. 16. c. 6. Verùm jam ſatis ſuperque reſponſum eſt, ut fraudem tuam clarius recognoſcas, recita quod ſequitur diſt. 16. c. 6. ita enim legis. *Cæterùm non fuiſſe omnes illos Canones à Romanâ Eccleſiâ receptos, duo viri rerum Eccleſiaſticarum peritiſſimi teſtantur, Anaſtaſius Bibliothecarius & Humbertus Leonis* IX. *Legatus*. Humbertùs quidem his verbis: *Non miror autem, ſi Agathoni Papæ, & SS. Patribus ſextæ Synodi veſtra imputetis deliramenta, & quæ aut corrupiſtis aut finxiſtis capitula; cùm & ipſo Domino IESV & Apoſtolis ejus imputetis figmenta*. Quomodo jam Canones ſunt, ſi deliramenta & figmenta ſint. Solùm Synodus ad deſtruendam hæreſin Monothelitarum collecta fuit, non ut præſcriberet Canones: inquit Humbertus. Hinc Anaſtaſius, ait, illos Canones fuiſſe Latinis incognitos, neque in Patriarcharum, & Græcorum Archiviis reperiri. Ergò ex Pſeudocanone, & PſeudoSynodo proceſſit Prædicans. Hæc illa firmamenta ſunt falſitatis.

IV. Si tantus es in jure Canonico, quando ſtabas in Bibliothecâ Jeſuitarum, & has citationes tuas ex chartâ legebas (poteras enim omnia à Chamierio ad verbum recitare) jubebaſque auctores explicari, tanquam arcanorum Doctor, ſeu prælector potiùs dubiorum, jam toties ad nauſeam refutatorum; ſi inquam tantus es in jure Canonico, quare non juſſiſti prælegi, ſeu quare non legiſti diſtinct. 19. c. 1. Rom. in quâ Nicolaus Papa Archiepiſcopis & Epiſcopis per Galliam ſcribit, ex S. Papæ Innocentii ſententiâ, Canonem V. & N. Teſtamenti recipiendum & retinendum eſſe. Hìc corruit tuum argumentum, quando objicis Embricenſibus à Gelaſio ad Eugenium magnum temporis eſſe interval-

lum, & nullum ex eo confirmati Canonis teſtimonium proferri poſſe, proinde argumentum tuum figmentum eſt, ut omittam murum perpetuæ traditionis, de quo Trident. ſeſſ. 4. vulgatam ac Latinam editionem retinendam eſſe, quæ longo tot ſæculorum uſu in Eccleſiâ ipſâ probata eſt.

CAPUT III.

Quomodo Catholici ſuum Canonem probent ex Conciliis contra hæreticos.

RESpondent PP. Embricenſes cum Becano libro I. de Scripturâ c. I. quæ. primâ, & cum Serario in Proleg. q. 10. Canonem quem Catholici nunc habent, & profitentur à tempore primitivæ Eccleſiæ ad nos uſque continuâ traditione perveniſſe. De quo canone S. Innocentius Pontifex epiſtolâ 3. ad Exupirium c. 7. Anno Chriſti 405. poſt Innocentium ſequitur Concilium Carthaginenſe, cui & S. Aug. interfuit. Hinc idem Aug. lib. 2. de Doct. Chriſt. c. 8. omnes illos libros, prout Catholici nunc exhibent, in canone recenſet. 3. Gelaſius Papa hunc Canonem, utì ab Aug. & à Conc. Carthag. acceperat, publicâ declaratione tradidit Tomo 2. Conc. in decretis Gelaſii, & quando tantus in jure Canonico vult eſſe Prædicans: Legat diſt. 17. c. I. Sancta Romana Eccleſia. Quin & eadem teſte Baronio librorum ſeries à Damaſo Pontifice in Conc. Rom. Anno 382. propoſita ſcribitur. De hoc Canone Nicolaus Pontifex ad Epiſcopos Galliæ. Diſt. 19. c. I. Ab his ergo Eugenius & Concil. Florentinum hunc acceptum canonem tradiderunt. 5. Demùm PP. Conc. Trid. ſeſſ. 4. hunc ſtatuerunt & declararunt, allegantes perpetuum uſum & traditionem. Hic jam Catholici acquieſcunt, cum oecume-

œcumenicum ſit Concilium, quidquid tandem etiam oblatret Prædicans, & à Spiritu S. infallibilem habeat poteſtatem decidendi.

Contra hunc murum veritatis opponit ſe primò Prædicans & quærit, quando ergò primùm definitio Canonis facta ſit, hîc denuò ſuam ignorantiam allidit Prædicans. Nam uti Bibliorum auctoritas duplex eſt; ita Canoniſmus : primò quoad ſe : ſecundò quoad nos: primum, ut Canonici ſint, à Deo habent, & ſtatim ut dictati fuerunt à Spiritu S. Alterum à teſtimonio & judicio Eccleſiæ habent, utì jam ſatis vidiſti, niſi cæcus ſis in tot Pontificum, & Conciliorum teſtimoniis.

Quærit ſecundò : quare ergò S. Hieronym. in prologo Galeato, & alii quidam Patres ex hoc Canone quoſdam in dubium vocant? aut rejiciunt? ℞. Etſi traditio hujus Canonis, quoad ſe certa fuerit, explorataque etiam manſerit Eccleſiæ; potuit tamen facilè fieri, ut vel in unâ parte, vel apud aliquos ea traditio obſcurata fuerit. Hinc unus Pater aut dubitans, aut errans alium traxit in dubium; aut etiam errorem : utì Serarius advertit. Quid illud novi, aut quid acuminis habet? cùm in tot Eccleſiæ deciſionibus id eveniſſe conſtet : ſiquidem ante publicas œcumenicorum deciſiones in utramque partem ſæpè gravius colliſi ſunt Patres, ut de Cypriano clarum eſt in causâ Baptiſmi Hæreticorum, aliiſque innumeris exemplis.

Opponit 3. Seſſioni Trid. Conc. (in quâ definitio Canonis facta dicitur) paucos tantùm interfuiſſe. Reſpondent Patres Embr. & ſi tum pauci interfuerint; tot tamen poſtea Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos & Epiſcopos, alioſque omnes ſubſcripſiſſe; quot toti Concilio; quàm frivolum hoc argumentum? imò ſi hanc ſeſſionem explores, interfuêre primò Cardinales Legati juſſu Pauli Papæ. ſecundò 9. Archiepiſcopi : tertiò 44. Epiſcopi : in

totâ

totâ veſtrâ Dordrechtanâ Synodo Nationali unus tantùm Epiſcopus Landavenſis ex Angliâ fuit. Ex Galliâ, Germaniâ, Hiſpaniâ, Italiâ, Poloniâ & cæteris Eccleſiis omninò nullus: Præſes ejus Concilii Paſtor tantùm fuit Leoverdienſis Eccleſiæ. Legiſtine unquam Concilium ex uno Epiſcopo collectum & ſubſcriptum? ſi tamen verus Epiſcopus fuit.

Quartò Prædicans cum rationibus nihil proficeret, criminationibus agere cœpit, & ſcribere Florentinum Concilium eſſe ſchiſmaticorum, ex colluvie & factione eorum hominum, qui Eugenio Pontifici hæſerunt. Tridentini verò Concilii Patres omninò futiles fuiſſe homines, eoſque Hiſpanos duntaxat & Italos permixtos paucis Germanis juratos Papæ contra veritatem: proinde Concilii iſtius authoritatem ne teruncii quidem faciendam. Quæſo te, quid majus ad calumniandi libidinem, imò quid minus dicere poteras cùm adeo Papa vobis ſit Antichriſtus. Eccleſia verò Cathalica omnium majorum veſtrorum mater jam vobis ſit Synagoga Diaboli. Ad has tuas calumnias, ex quibus planum eſt, quo ſpiritu hæreſeos feraris, nihil mihi reſpondere libet; res ipſa loquitur. Quòd ſi potiore jure quis te rogaret de Nationali veſtrâ Synodo.

Act. 20. *Cùm Spiritus Sanctus poſuerit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo*, fueritne ullus in eâ verus Epiſcopus, qui ſoli judices ſunt in Conciliis, Catholici id negant. Hîc nodus & finis eſt controverſiarum. Cabeljavius, ſi præſes claſſium ſit, quo jure & titulo ulli concilio ſubſcribet. In omnibus conciliis tot Epiſcopos ſubſcripſiſſe leges. Præſidem claſſium nullibi in ullo Concilio reperies. Et quid illæ novitates vocum, niſi quia rem ſuſtuliſtis, videlicet Epiſcopo poteſtatem ordinis & juris-dictionis. Populo tantùm mantelum erroris obtru-

obtruditur. Patres Emb. pro Conc. Trid. auctoritate tibi totius orbis, & omnium nationum Epiſcopos produxerunt, videlicet tot Pontifices, ſub quibus Synodus illa abſoluta eſt. Julium III. Paulum IV. Leonem X. Hadrianum VI. Clementem VII. Cardinales & Præſidentes 9. Patriarchas 3. Archiepiſcopos 33. Epiſcopos 236. præter Procuratores Epiſcoporum abſentium; Abbates, Generales Ordinum, Theologos, Doctores, Oratores, verbo florem univerſalis Eccleſiæ Catholicæ: quid illa majeſtas ad paucos illos Paſtores Nationalis veſtræ Synodi. Si Hyeron. contra Lucif. dicere licuit: *Eccleſia non eſt, quæ Sacerdotes non habet*, & hi ipſi veſtri Paſtores & Seniores, cùm ne Sacerdotes quidem ſint, utî Catholicos docere noſti, quomodo Eccleſia à vobis repræſentari poteſt? in eâque infallibilis judicandi poteſtas, & Spiritus S. aſſiſtentia? Hæc ſi pro majorum tuorum avitâ fide ſine calumniis tecum expenderes, & populo proponeres, multò mitiùs, atque æquiùs in ſummo negotio ſalutis animarum inter nos ageretur. Ego animarum Paſtor non ſum, nec onus illud Angelicis humeris formidandum mihi imponi cupio. Tu vide quomodo in iſtis calumniis in populum ſparſis coram ſupremo Judice conſiſtas.

CAPUT IV.

Teſtimonia Patrum nihil juvant Prædicantem ad Catholicorum Canonem expugnandum.

TOtum robur Prædicans collocat in Teſtimonio Patrum, apertéque fatetur hanc controverſiam, non niſi auctoritate Patrum decîdi poſſe. Patres autem quos producit, ſunt Hierony. in proleg. Galeato; Gregorius M. lib. 19. mor. c. 17. Melito,

Melito, Origenes, Athanaſius in Synopſi. Nazianz. Epiphan. Cyrillus, Hieron. Ruffinus, à quibus Canonem Catholicorum, adeoque Tobiam, Judith, Sapientiam, Eccleſiaſticum, Machabæorum libros, Buruch, ut Apocryphos rejici, ait: quis hîc non trepidet? ſed fumus ſunt omnes Prædicantis machinæ, imò Crambe toties recocta; ſi modò inter tam innumeros Bellar. Serrarium, Valentiam, Kellerum, Becanum, & Forerum evolveris, quorum hæc propemodum cum Catholicis reſponſio eſt.

Primò Patres à te citatos Canonem in Protocanonicis ſecutos eſſe, nec proinde tamen Deuterocanonicos rejeciſſe, ſed in medio reliquiſſe ad Generalis & Plenarii Concilii deciſionem.

Secundò collocemus ex alterâ parte in æquitatis lance omnes illos Patres, qui cum Auguſtino Canonem Catholicorum ſecuti ſunt; idque per ſingulos libros, quos ut Apocryphos condemnas, tum videbis ubi auctoritas Patrum præponderet; in uno Eccleſiaſtico tibi exemplum dabo c. ultimo. Cæterùm Patres, qui cum Catholicis ſtant: ſunt S. Auguſtinus, Innocentius, Gelaſius, Damaſus, Nicolaus I, Eugenius, aliique Pontifices, Ambroſius, Clemens, Anacletus, Alexander I. Marcellus, Evariſtus, Fabianus, Sixtus, tùm Cyprianus, Hilarius, Baſilius, Iſidorus, Damaſcenus, Epiphanius, Theodoretus, aliique innumeri, quos inter cæteros Coccius recenſet, & alii.

Tertiò in uno Concilio Generali multò plures Patres fuêre, cum Catholicis, quàm illi pauci à te adducti, in iiſque multò plus auctoritatis eſt, imò infallibilitas, quæ in Patribus non ita exploratè extra Concilium eſt, uti præclarè vir eruditiſſimus Niehuſius Calixto reſpondit, & in ſuâ ſerie exhibuit: ipſaque ratio ex infallibilitate Eccleſiæ deducta oſtendit. Deinde pars Patrum à te ſolùm adducitur, in quo infallibilitas ſtatui non poteſt, cùm altera

altera pars PP. contrarium doceat. Hinc œcumenica Concilia, ut per infallibilem Spiritus S. aſſiſtentiam controverſias fidei decidant.

Quartò Patres illi, quos citaſti, etſi aliquos rejiciant, non tamen omnes, nam Hieronymus, in quo exultas, aſſerit librum Judith à Nicænâ Synodo præclarum teſtimonium habere. Sapientiam admittit Melito, libros Machabæorum Gregor. Nazianz. Machabæorum libros rurſum Hieronym. in cap. primo Eccleſ. agnoſcit Canonicos, dum Salomoni adſcribit. Baruch cum Epiſtolâ Jeremiæ recipit Laodicenum Concilium, quàm nunc cæco impetu pugnaſti!

Inter cæteros verò Patres D. Gregorium ſiſtit, ejus teſtimonium hoc eſt de Machabæorum libr. *De quâ re inordinatè agimus, ſi ex libris licet non Canonicis; ſed tamen ad ædificationem Eccleſiæ editis teſtimonium proferamus*; ubi vox illa *licet* hypotheticè à multis ſumitur; poſito, videlicet, quòd non ſit Canonicus, ſatiſque oſtendit, ſe ut privatum Doctorem, nolle quicquam in hoc dubio præcerpere. Hos autem libros ante Pontificatum ſcriptos eſſe, aut ſcribi cœptos ſatis oſtendit auctor vitæ lib. 1. cap. 27. At ſcripſerit Pontifex? quid inde? tantùm ut privatus Doctor erraverit; ſummùm evinces. Quis negat id fieri poſſe? nec enim in libris moralium præſcripſit decreta fidei, & è Cathedrâ promulgavit.

Ut verò Prædicans evidentiſſimum D. Aug. teſtimonium effugiat, lib. 2. de Doct. Chriſti c. 8. ubi hunc ipſum Canonem, recenſitis omnibus libris, Catholicorum enumerat. Tum illud lib. 18. de Civit. Dei c. 36. *Macchabæorum libros non Iudæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet.* Reſpondet D. Auguſtinum lato modo accipere libros Canonicos, prout illos comprehendit, qui in Eccleſiâ legi ſoliti erant, utî Martyrum etiam hiſtoriæ; de quibus in jure Canon.

Digitized by Google

non. diſt. 15. c. 3. Sed illud novum denuò figmentum eſt, ut legenti Auguſtinum planum erit. Ut tamen hoc firmet, adducit ipſum Auguſtinum libr. 1. Retra. c. 10. de libro Eccleſiaſtici ita ſcribentem: *Quia non ſeimus Apellatum eſſe Prophetam.* Verùm quæſtiò eſt Auguſtino de auctore libri, utî libr. 2. Retra. 14. de Sapientiæ libro: ſitne Eccleſiaſtici an Salomonis? Secundò quæſtio eſt de nomine, ſitne Propheta dicendus auctor? id dubium intervenerat; ſanè S. Anacletus, Evariſtus, Chryſ. Optatus Milevit, Cæſarius Arelatenſis, S. Proſper, S. Anſelmus, auctorem libri Prophetam vocant, & tu Canonicum lato modo ſcribis. Vis jam audire ipſum Auguſt. lege Epiſtolam 19. ad Hieronym. tum Epiſtolam ejus 243. lib. 7. de Gen. c. 28. lib. de curâ pro mortuis, & ad Oroſium: ubi librum hunc divinum ſcribit eſſe. lib. 2. de Doct. Chriſtian. c. 8. *Illi libri duo* (inquit) *qui ſapientia Salomonis, & alius, qui Eccleſiaſticus inſcribitur, quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Propheticos numerandi ſunt.* Quomodo jam latiſſimo modo, ut ſcribis accipiendi ſunt? Ecce quot teſtimoniis te obruo.

Quærit deinde D. Prædicans. Quare ergò Eccleſia hunc Canonem, tàm diu indeciſum reliquit, cum tanto conſcientiarum vulnere: perinde eſt, ſi quæras. Quare non omnes controverſiæ in primo Apoſtolorum Concilio, aut in primâ Nicænâ Synodo ſunt deciſæ: ita videlicet, nihil aliis Conciliis Eccleſia eguiſſet. Inſciti quæſtio. *Viſum eſt Spiritui S. & nobis*: utî res, ita & tempus: prout hæreſes ſe moverunt; ita Eccleſia ſe judicem tulit. *Oportet eſſe hæreſes*: ideo & Concilia; ſed non uno ſæculo omnes hæreſes; proinde neque omnes deciſiones. Nullum hîc vulnus conſcientiæ, niſi qui Eccleſiam non audit. Illud magis admirandum eſt potuiſſe Eccleſiam tot ſæculis ſtare, & omnes hæreſes condemnare, ante Generalem hujus Canonis deciſionem:

Digitized by Google

nem: nempe multi Hæretici, & faciliùs, & prudentiùs Eccleſiam audiebant in ſuo Canone per traditionem perpetuam dato, quàm vos novi recenteſque à Concil. Florent. cum Huſſitis, qui omnia turbatis, quæ illi nondum turbata reliquerunt.

CAPUT V.

Fallax probatio Prædicantis ex Gloſſis; & Scriptoribus.

OMnia demùm verſat Prædicans, ut plebi Canonem ſuum probet, atque ubi infallibile Eccleſiæ judicium ſequi debuit; Gloſſas errantium hominum ſequi maluit. Primò ergò profert Gloſſam juris Canonici diſt. 16. c. 1. Can. Relictâ viâ regiâ abit in deviá. Jus Canonicum ait Canones illos, qui falsò ab Hæreticis inter Apoſtolorum Canones ſpargebantur, meritò inter Apocryphos Canones Apoſtolorum numerandos eſſe; ita non ſolùm c. 1. diſtinct. 16. ſed c. 3. exceptis quinquaginta capitulis, itinerarium Petri, & reliquos fictitios Canones Apocryphos eſſe reputandos. Hæc via regia eſt: Acceſſit errans Gloſſator, & per hos Apocryphos Canones intelligi ſcribit Apocryphos libros Sacræ Scripturæ, ut ſapientiam Salomonis, Eccleſiaſticum, librum Judicum: vides quàm imperitus Gloſſator ſit? etiamne liber Judicum Apocryphus? Judith ſcribere voluit. Sed quid addidit? *Hi Apocryphi dicuntur, ſed fortè non generaliter.*

Quare non addis alteram Gloſſam ad marginem hujus? *Quin-imò libri iſti, non Apocryphi, ſed Canonici ſunt, quamvis olim quidam Catholici de iis dubitarunt.* Fallere vobis tàm familiare eſt, quàm ex eâdem fiſtulâ pſallere; modò Populi aures utroque illectæ capiantur.

Poſt Gloſſam juris, varios Scriptores introducit: Radulphum Flaviacenſem, Antoninum, Dyoniſium Carthuſianum, Lyranum, Alphonſum Toſtatum, Franciſcum Ximenium Cardinalem, poſt illos Cardinalem Cajetanum, à quibus omnibus libri hi Apocryphi numerantur: quid hîc novi? quid Catholicos hoc adeò premit? nam ſi SS. Patribus ſuſpenſis eſſe licuit, aut etiam contrariis; quare id aliis Scriptoribus negandum? verùm hi Scriptores, cùm Catholici fuerint, ſemper vel explicitè, vel implicitè ſuum judicium Eccleſiæ judicio ſubmiſerunt, ſecus eſt in hæreticis, qui poſt definitionem Eccleſiæ ſubmittere ſe nolunt; at vehementius urges Cajetanum, quem Pontifex in Germaniam miſit contra Lutheranos. Quid Cajetanus ſcripſerit de Apocryphis, id ſcimus ex præfatione ad Clementem Septimum, & ex Epilogo, libros illos non poſſe legi ad firmanda dogmata fidei; ſed ad ædificationem Fidelium: ita ille Canonicos dici putaverit ab Aug. & Conc. Florentino.

Verùm liber ille Pariſiis jam impreſſus fuit Anno 1546. ante Tridentini Conc. promulgationem. Cujus hæc ſeſſio quarta eodem anno habita, ultimaque Anno 1563. Itaque ante Tridentini Conc. deciſionem, & promulgationem id ſibi licere cenſuit Cajetanus, quod alii ſibi licere cenſuerunt cum Hieronymo, ſiquidem Toſtatus, Carthuſianus, aliique cum Gloſsâ Lyrani prologum Galeatum ſequuntur. Scivit hoc Eccleſia, & permiſit; & quid iſtic piaculi, alteram partem ante deciſionem ſequi? verùm tuum erat aliquem proferre Theologum, vel Catholicum Scriptorem, qui poſt Trident. Concilium id docuerat. Hîc hæres, quia ſolæ id hæreſes faciunt; quòd ſi jam alios Theologos & Scriptores in alterâ lance colloces, qui Canonicos illos ſtatuerunt, videbis omne tuum argumentum eſſe leve momentum. Quin adeò verò Cajetanus Epiſtolæ Judæ auctori-

ctoritatem imminuit, ut Corn. à lap. in procem. cùm tamen à Laodiceno recepta, ſtabiſne hîc cum Cajetano? Synodus veſtra Nationalis eam acceptat, contra Lutherum, Centuriatores, Brentium, Kemnitium: quâ infallibili regulâ compones litem inter Lutheranos & Calviniſtas.

Poſtremùm revolvitur Theologicus iſte diſputator ad ſuas Gloſſas: altera ergò Gloſſa fuit præfatio ad Biblia Lyrani, quam Prædicans ipſius Lyrani eſſe dixit. Reſpondent PP. Embr. non eſſe præfationem Lyrani: Prædicans audacter aſſerit; explicatur codex, & alterius, quàm Lyrani deprehenditur; tum Prædicans convictus publicè errorem revocare debuit. Interim urget Gloſſæ teſtimonium. Quid tum poſtea? Gloſſa id memoret! etiam Prologus Galeatus id memoret! Quis te non rideat Theologum popularem ex Gloſſis argumentantem inter Theologos Jeſuitarum.

Velut anſer inter olores.

Et cùm auctor ille Anonymus ſit & obſcurus; tuum argumentum multò obſcurius in fumos evanuit.

Promiſerunt hactenus Reformati ſe omnes articulos fidei velle clarè ex S. Scripturâ nobis probare. Hîc verò Leidenſis Prædicans nullum argumentum fuit auſus ex S. Scripturâ proferre, ſed ſcribit hanc controverſiam fundamentalem fidei ex ſolâ auctoritate probandam eſſe. Hîc tu primò agis contra tuorum doctrinam & contra Biblia Nationalis Synodi veſtræ, quæ in cautione additâ ex Scripturâ primùm contra Apocryphos procedunt. Secundò agis contra publicas veſtras promiſſiones, qui omnia ex puro, & claro verbo Dei pollicemini nobis, vide nunc quantopere nos & tuos decipias.

☞ Satis id nuper oſtendit toti Hollandiæ infelix illa tua diſputatio, cum Reverendo Domino Chriſtiano

Vermulen, Sacerdote Catholico, quem cùm Leidâ proficiſcens multis civibus, & teſtibus ſtipatus importuniſſimè ad diſputationem adegiſti, ut in ſuo libello queritur, tandem cùm declinare non poſſet, admiſit. Quæſtio erat, ut D. Prædicans probaret Reformatorum Biblia eſſe purum & abſolutum verbum Dei, in quâ luctâ ita Catholicus ſtrinxit, & preſſit Cabeljavium, ut publicè fateri coactus ſit, ſe Principem fidei articulum non poſſe ex Scripturâ demonſtrare. Proinde ad rationem & Chamierium ſuum appellavit & foro ceſſit. Ecce jam bis ad eundem lapidem fœdiſſimè te illiſiſti. Etenim cùm Scripturam tria conſtituant, Canon, verſio & interpretatio, tàm ingenioſus nullus adhuc hæreticus, ut hæc ex Scripturâ probaret, nec à te unquam hoc Jeſuitæ exſpectant. Quomodo enim Canon & Verſio probabitur ex Scripturâ, ubi probatio impoſſibilis eſt, idem eſt de interpretatione, cùm Scriptura ſui Judex eſſe non poſſit. Quapropter rectè D. Aug. lib. de bono perſeu c. 11. *Scripturas ſic accipiunt, ut ſuo quodam privilegio, imò Sacrilegio, quod volunt, ſumant, quod nolunt, rejiciant.*

CAPUT VI.

Prædicantis & Catholici concertatio ex auctoritate PP. Prædicans fallax, & Catholicus verax.

INſolentiſſimè D. Prædicans gloriatur, tam in toto hoc capite, quàm in Epilogo, ſi auctoritate Patrum agatur pro Canone, nihil hîc Catholicos poſſe præſtare, imò omnes Patres erroris arguendos eſſe, ſi Canon Catholicus admittatur; poſſem hanc jactantiam reprimere, procedendo ordine per ſingulos

gulos Apocryphos libros: Tobiam, Judith, Sapientiam probandoque ſingulos Patrum teſtimoniis, ſed brevitatis causâ in uno exemplo conſiſtam, & in uno Eccleſiaſtico planiſſimè oſtendam.

Eccleſiaſticus liber Canonicus eſt, & non Apocryphus.

Probatur primò ex Conciliis. Conc. III. Carth. c. 43. Conc. Epheſ. habito Anno Chriſti 430. Concil. Toletan. VIII. c. 9. Synodo Francofurt. Anno 794. Syn. Alexand. Conc. Rom. ſub Gelaſio, Florent. & Trid.

Secundò ex Patribus Græcis: S. Clemens Epiſtolâ 1. ad Eccleſ. c. 28. S. Ignatius Epiſtolâ ad Heronem. Clemens Alexandr. 1. Præd. c. 8. & lib. 5. Strom. c. 5. Origenes Hom. 8. in Num. Hom. 1. in Jud. Hom. 9. in Ezech. Euſebius lib. 8. præp. c. 2. Baſilius in c. 8. Iſai. S. Ephrem. tract. de pecc. Cyrill. Hieroſol. Catech. 6. Macarius Ægyptius Homil. 10. Nazianz. orat. 2. contra Jul. Nyſſenus Homil. 3. in Eccl. S. Epiphanius in Ancorato. Cryſoſt. Hom. 33. ad populum Antioch. Caſſian. côll. 2. & 6. Palladius de vitâ S. Cryſoſt. Cyrill. Alexand. in Homil. Iſidorus Peluſiota lib. 1. Epiſtol. 106. Joannes Maxentius, Anaſtaſius Antiochenus, Damaſc. orat. 3. Joſephus lib. 2. contra Appionem, teſte Geneb. Epiph. hæreſi Anomæorum S. Anaſtaſius Apolon. 2. contra Arianos.

Tertiò ex Latinis Patribus: Tertull. de exhortatione caſt. c. 2. S. Calixtus Pontifex Ep. 1. Fabianus P. Epiſtolâ 2. S. Cyprianus de opere & Eleem. Euſebius P. S. Hilarius; S. Amb. de bono mortis c. 8. Hieroni. Epiſtolâ 33. Ruffinus. S. Gaudentius tract. 13. S. Auguſt. lib. 2. de Doct. Chriſt. c. 8. vide ſupra, S. Paulinus apud Hieroni. Epiſtolâ 14. c. 1. Maximus Taurinenſis Hom. 1. S. Leo ſerm. 8. de jejunio. S. Proſper. lib. 2. c. 8. Salvianus lib. 3. ad Eccl. Cath. S. Fulgentius. lib. de rem. pecc. c. 12,

Digitized by Google

S. Benedictus in Reg. c. 7. S. Gregorius in Pſalm. Pœnit. 4. Alcuinus c. de pœnis & c. de Caſt. Haymon c. 1. Epiſtolæ ad Rom. & c. 1. ad Corinth. Angelomus in lib. 1. Regum c. 1. Paſchaſius, Ratbertus lib. de corp. & ſang. Domini c. 2. S. Bern. de grad. Hum. His adde Innocentium P. Gelaſium & Nicolaum 1. tum 7. Patres ſupra cit. c. 4. à quibus Propheta dicitur auctor.

Quâ nunc jactantiâ audet Leidenſis ille Prædicans ſcribere? Catholicos non poſſe ex auctoritate PP. ſuos hos libros Canonicos probare, quod in Eccleſiaſtico oſtendi, id in aliis interpretes exhibent: Hîc Prædicans videtur dolium in cerebro verſare, ex quo tot fallacias promat.

Reſtat nunc, ut ego à te exigam, quinam ſint libri Apocryphi? videlicet, quorum auctoritas in Eccleſiâ obſcura fuit, idque dupliciter, vel quia poſitivè improbata & obſcurata; aut quia declarata non eſt, hi verò duplices fuerunt: Apocryphi veteris Teſtamenti & novi: ut Epiſtola Jacobi, Epiſtola ad Hebræos, Apocalypſis S. Joannis &c. Hos autem eodem modo Apocryphos fuiſſe, admittunt ferè omnes interpretes; de Apocalypſi lege Bellar. & Alcazar; ubi Patres invenies, imò Salmeron magnos, & graves viros aſſerit eam inter Apocryphos ſepoſuiſſe, neque in Laodiceno ponitur, imò Hieron. in Epiſtolâ ad Dardanum, ita Græcos de illâ dubitaſſe, utî Latini de Epiſtolâ ad Hebræos memorat. His ita poſitis oſtendat nunc Prædicans; Primò. Quare Veteris Teſtamenti Apocryphos rejiciat cum Lutheranis, & Novi Teſt. cum Catholicis admittat? Secundò quâ regulâ litem inter Lutheranos & Calviniſtas dirimat? illos enim Lutherani rejiciunt, Calviniſtæ admittunt.

3. Calvinus de Apocalypſi interrogatus, reſpondit, ſe neſcire, quid tàm obſcurus auctor velit, quis qualiſve fuerit, non conſtare inter eruditos; Bodinus

Digitized by Google

nus in methodo c.7. Hîc tuam popularem illam jactantiam explica, niſi ad infallibile Eccleſiæ judicium appelles, etiam cum Kemn. Petro Martyre, Wittakero nunquam te expedies: Hinc Catholici toto orbe conſentiunt, & vos à Lutheranis, & à vobis ipſis diſſidetis. Adhæc PP. Emb. tuam argumentationem, & reſponſionem exegerunt, proinde tota diſputatio nihil aliud fuit, quàm ut allata Patrum teſtimonia ex chartâ prælegeres, & in auctores inquiri peteres; quæ non tàm diſputatio, quàm inutilis confabulatio fuit. *Multum loquentiæ* dixit Saluſt. *ſapientiæ parum.* Quare non ſine tædio id, ut par erat, indignéque tulit admodum Reverendus D. Dominus Gerardus à Wildenraedt Decanus collegiatæ Eccleſiæ Emb. qui rogatus diſputationi interfuit, cùm frigidum hunc & perturbatum, plebejumque diſputandi modum audiret, quem idcirco tu ſcripto tuo tàm acerbè traducis, ut furere & inſanire cœpiſſe ſcribas; ille verò te identidem ad formam ſyllogiſticam adſtringi voluit, & probare quod negatum erat; nam is multò profundius & ſolidius Philoſophiam & univerſam Theologiam quadriennio à Patribus excepit; itaque ingenio, judicio, & doctrinâ eminere ſemper judicatus eſt, ut Prædicantis diſputatio parùm digna & methodo & eruditione viſa ſit: idem P. Aloyſius Vilſteren & P. Joannes Stael queſti, nihil ad reſponſiones datas, nihil ad deciſiones reponi. Sed deſultoriâ quâdam levitate Prædicantem ab uno in aliud tranſilire, ut, cùm ubique pugnare vellet, nullibi tamen pugnaret. Id Patribus illis fidendum, quorum alter bis Philoſophiam profeſſus, alter, tametſi junior, acri tamen ingenio Philoſophus & Theologus.

Et verò præter diſputandi deſideratam methodum, quis inſuper non videt, multò magis deſiderata eſſe hujus controverſiæ principia, quæ Cabel-

javius aut neglexit, aut non intellexit. Probandus erat ille Canon Scripturæ, & rejectio Apocryphorum V. T. quibus principiis? ſolâ auctoritate Patoum; ut bis ſcribit cumprimis fol. 290. & in eo pertinaciter conſiſtit. Hoc verò Principium, utî fallat Prædicantem, oſtenſum eſt clariſſimè in adducto exemplo de libro Eccleſiaſtici. Tum in Apocryphis N. Teſtam. deinde in aliis principiis contrariis, & rationibus.

Ergò cùm id fallat. Quid ſupereſt primò Scriptura, ſed & ille aditus tibi à te ipſo intercluſus eſt. Hinc nihil ex Scripturâ movere auſus: ſecundò indicia, de quibus Biblia Nationalis Synodi, ſed & illa fallibilia ſunt. 3. Privatus ille ſpiritus, ſed ille ſomnium eſt, & deliramentum; quartò Traditio; ſed de hâc ipsâ, primùm judicare debet Eccleſia, verane ſit, an falſa; ut in præſenti materiâ. An horum Patrum affirmantium ſit vera; an iſtorum negantium ſit falſa ſententia. Hîc enim inter diſſidentes Patres ſupremus Judex requiritur, & is infallibilis. Quo ergò confugiemus, mi Cabeljavi, in his anguſtiis. Hîc tu nullum exitum invenies, niſi ad infallibile Eccleſiæ judicium confugias, multa quidem in ſpeciem & ad vulgi aures, imò inanem etiam plauſum ferre potes. Sed intelligenti nihil ſolidi adferes, in quo quieſcere poſſit, aut debeat. In hoc D. Auguſt. demùm quievit, & quieſcere docuit.

Ego Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret auctoritas. lib. 28. contra Fauſt. c. 2. rurſum. *Actibus Apoſtolorum neceſſe eſt me credere, ſi credo Evangelio, quoniam utramque Scripturam mihi commendat Eccleſiæ auctoritas. Quisquis falli metuit hujus obſcuritate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illo conſulat, quam ſine ambiguitate ſancta Scriptura demonſtrat.* libr. 1. contra Creſan. c. 33. Hinc exerrantem te in Pſ. 57. deſcripſit,

pſit, *in ventre Eccleſiæ veritas manet, quiſquis ab hoc ventre ſeparatus fuerit, neceſſe eſt, ut falſa loquatur, qui aut concipi noluit, aut quem conceptum mater excuſſit.*

CONTROVERSIA IV.

De Infallibilitate Eccleſiæ.

AGnoſcit hanc Controverſiam Cabeljavius eſſe fundamentum Romanæ Eccleſiæ in decidendis controverſiis; rectè equidem: *Adhuc modicum lumen in vobis eſt*, inquit Chriſtus, *ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.* Joan. 12. Hoc modicum lumen, ſi ſequeretur Cabeljavius; &infallibilitatem Eccleſiæ, & infallibilem controverſiarum judicem inveniret, inventoque judice omnes hujus ſæculi lites, controverſiæ & de fide acerbiſſima prælia deciſa jacerent; adeoque omni hæreſi ſopitâ & bello ſublato, antiqua fides in concordiâ Germaniam poſſideret; eò ne redeat veritas & felicitas, tantis machinis, & furiis Judex & Infallibilitas oppugnatur. Quare omnes illæ de controverſiis diſputationes inter Catholicos & Acatholicos plus laboris, quàm fructus, plus offenſionis, quàm reconciliationis, plus inanis altercationis quàm inventæ veritatis, imò plus vanæ jactantiæ quàm ſolidæ ſapientiæ ſæpè-numerò ſortiuntur.

PP. Embricenſes cùm de Canone ageretur, ad hoc fundamentum provocarunt. Nec ſanè aliter decidi poſſe, per ſe planum eſt. Prædicans, ut Piſcator ictum fugit; nunquam ſe eò trahi voluit, ut tamen aliquid in ſpeciem dixiſſe videri poſſet, hanc controverſiam ſubjunxit belgicâ linguâ; videlicet,

ut judicium ſupremi Judicis ad populum, ut infallibilem Spiritus S. aſſiſtentiam ad fallibilem, privatúmque Spiritum transferat; verùm tàm frigidè, ut nautæ potiùs, quàm Miniſtri verbi Dei, ſit diſputatio, tàm callidè tamen, ut ſuppreſsâ veritate popularibus dubiis plebeium hominem ſuſpenſum teneat.

CAPUT I.

Nebulæ Prædicantis contra infallibilitatem Eccleſiæ.

DUo cumprimìs inter cætera infallibilitas habet, primò quòd fundamentum ſit ad dirimendes omnes controverſias. Secundò, quòd ea infallibilitas clariſſimè nobis in Scripturâ ſit propoſita; hoc poſtremum, ut declinet, tanquam catus aliquis circa calentem pultem circuit, ne linguam & labra præurat.

I. enim ait, *Infallibilitatem Eccleſiæ non eſſe principium per ſe notum*, quod ſine evidenti ratione admittendum non eſt. id benè quidem, quod non ſit principium lumine naturæ notum. Ita enim Gentiles, Pagani, Judæi, & Philoſophi agnoſcerent ſine fidei lumine Infallibilitatem Eccleſiæ: ita vos reformati ſtatuitis Scripturam eſſe principium lumine naturæ notum contra naturæ lumen, cùm priori non detur prius, utî Chamierius; ſed Catholici multo ſolidius, multoque ſapientiùs Eccleſiam ex Scripturâ demonſtrant ſine circulo, & ex eâdem Scripturâ fideli & Scripturæ credenti Infallibilitatem Eccleſiæ, tanquam fundamentum & principium infallibile, utî quamplurima talia ſunt principia, & à vobis recepta. Verbi gratiâ Paſtores & Doctores eſſe audiendos. *Qui vos audit, me audit*: et ſi
Luc. 10. v. 16. hoc principium fallat, falletur tota Eccleſia; quòd quàm

Digitized by Google

quàm abſurdum ſit, ipſe vides, & tamen Infallibilitatem non vides.

II. Quærit *quid Catholici intelligant per Eccleſiam cui infallibilitas data ſit; id enim nec ſe perveſtigare poſſe, nec ipſos ſcire Catholicos.* Itane tot libros à te citatos in indice legiſti? & quid ſit Eccleſia, non legiſſes in Bell. lib. 3. c. 2. de Eccleſ. Milit. in Suarez tract. de Fide d.5. ſect. 6. aliiſque innumeris. Poteras hoc in Caniſii Cathechiſmo legere, quem in totâ Germaniâ pueri & ſtudioſi Jeſuitarum recitant; omnes omnium definitiones eodem recidunt, *ut Eccleſia ſit hominum cœtus ejusdem Chriſtianæ fidei profeſſione, & eorundem ſacramentorum communione colligatus ſub regimine legitimorum Paſtorum, ac præcipuè unius Chriſti, ac in terris vicarii Romani Pontificis.*

Falſiſſimum ergo ſcribis, Catholicos ignorare, quid ſit Eccleſia, quod pueri in Cathechiſmis uno ore profitentur, quorſum ergo tua fallacia, niſi ut populum eâdem involvas. Hîc nunc à Cabeljavio petitur, ut ſuæ reformatæ Eccleſiæ definitionem det, ut eam Catholici poſſint ſequi, maximè aberrantes tibi Jeſuitæ; tum ut talem Eccleſiæ definitionem des, quàm ſibi non eodem jure vendicent Lutherani, Zwingliani, cæterique non reformati, id ſi præſtes magnum hujus ſæculi eris oraculum.

III. *Quærit, in quo illa infallibilitas reſideat, an in Pontifice? an in Concilio œcumenico? an in Concilio œcumenico cum Pontifice?* atque hîc dicit ſummam eſſe confuſionem ſententiarum inter ipſos Catholicos, ut neſciant ubi infallibilitatem reperiant, ὠ πολυκεφαλὴ καὶ κεράνιον οὐκ ἔχει. Hîc nulla Catholicorum confuſio, ubi tàm explicata, & enucleata diſtinctio, niſi in obtuſo & pertuſo cerebro. Recognoſce nunc ſingula. I. *An Pontifex ſit infallibilis Iudex ſine Concilio*, reſpondent Catholi-

ci

ci, hanc aliquorum eſſe opinionem, poſſe errare, alii, non poſſe errare, eſſeque infallibilem, & hæc veriſſima eſt ſententia, ita quoque Kellerus, rationes vide apud Bell. Suarez; & omnes Theologos; non tamen ita de fide, ut ſi quis neget, propriè hæreticus ſit, teſte Bellarmino. II. *An Concilium œcumenicum ſine Pontifice errare poſſit? ſive ante confirmationem Pontificis?* alii ut Pariſienſes & ii, qui docent Concilium eſſe ſupra Papam, docent Concilium non poſſe errare; alii poſſe errare contendunt, & hæc longè probabilior eſt ſententia; tum quia Scriptura id ſatis expreſſit Matth. 16. & Joan. c. ult. tum quia Pontifex eſt caput Eccleſiæ, ut Chalcedonenſe ad Leonem, Lugdunenſe c. ult. tum quia Monarchicum eſt imperium, & regimen Eccleſiæ; tum quia omnia Concilia confirmationem à Pontifice petierunt, tum quia Concilia ſine Papâ errarunt, ut Smirnenſe, Mediolanenſe, Ariminenſe, Epheſinum 2. Conſtantinopolitanum ſub Juſtiniano II. & aliud ſub Leone Iſauro, tum quia Lateranenſe ultimum ſub Leone X. expreſsè definivit Pontificem eſſe ſupra Concilium, tum quia Patrum auctoritas accedit, quos Bell. citat. & alii, hæc paucis brevitatis ſtudio.

III. In quo ſumma rei & cardo verſatur. *An Concilium cum Pontifice errare poſſit*, hîc Catholici uno omnes conſenſu reſpondent, errare non poſſe; & hæc ſententia eſt de fide, quam qui non ſequitur, hereticus tecum eſt, id ut videas lege Bellarmin. Suarez, & alios, meum non eſt hîc tibi integrum volumen contexere, ſed oſtendere, te falſum ſcripſiſſe Catholicos ignorare, aut ſaltem dubitare, ubi infallibilitatem requirant; nec ullam deciſionem adhuc factam, quando hæc tria fœdè confundis, videlicet Articulum fidei cum illis ſententiis, quæ aut non faciunt, articulumi fidei, aut non propriè ſunt hæretici, ſed erronei, damna-

damnatique errores Theologorum ſaniorum judicio.

Poſtremùm Prædicans dicit, *ſe hæc tria non reperire in Scripturâ*, & his argumentis in aciem procedit contra Catholicos, I. Negativè; nam ſi probari poſſet; tum maximè ex Matth. 16: & Luc. 22. atqui ex iis locis Catholici probare non poſſunt; ergo. II. Probat ex errore Concilii Nicæni. III. Ex errore Adriani I. & Leonis VIII. Hæc tela ſunt ex ex pharetrâ Cabeljavii. Ego nihil conſultiùs tibi reperio, quàm ut ad Academiam, vel univerſitatem, in quâ Jeſuitarum Theologi docent, proficiſcaris, & hæc argumenta tua publicè proponas; tantum crede mihi riſum deportabis, quantum plauſum tibi imaginaris.

At cumprimìs videre debes ut in certum ſcopum collimes, ut Articulum fidei impugnes. An videlicet Concilium generale, in quo præſens adeſt Pontifex, ſit infallibilis regula fidei, quod in tertio membro poſitum eſt; nam illæ duæ ſententiæ, quas tu in Catholicorum ſententiâ confundis, cùm illi ſejungant, tantiſper ſeponi debent; verùm tu argumentis tuis omnia impetis, & cùm jaculandum tibi ſit in Orientem, in Auſtrum & Aquilonem jacularis.

CAPUT II.

An Catholici ſuam infallibilem regulam fidei, quam habent in Coucilio cum Pontifice probare poſſint.

ID cumprimìs negat Cabeljavius, & queritur Embric. PP. nihil adferre in ſuo ſcripto ad argumenta ſua: atqui id non erat Embricenſium, ſed tua tantùm verbo refellere, ut videret Illuſt. Comes ſe à te malè informari. Hæc doctrina tot argumentis & ratio-

raionibus firmata eſt à Theologis Catholicis, ut ſupervacaneum ſit repetere ſcripto, quæ multò accuratiùs legere licet in auctoribus, ne tamen queri denuo poſſis apud populum, ſubjungam pauca.

I. *Hæc veritas probatur ex Scripturâ*; ubi infallibilis eſt aſſiſtentia Spiritus S. ibi & infallibilis eſt regula; atqui illa eſt in Eccleſiâ & Concilio legitimo; ergo. Minor probatur, quia Spiritus S. ei datus, eamque regit. Act. 20. Spiritus S. *poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Actor. 15. *Viſum eſt Spiritui S. & nobis.* Joan. 16. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*; illa ſi quidem promiſſio facta eſt, non ſolùm perſonis Apoſtolorum, ſed perpetuitati & conſervationi Eccleſiæ. Matth. 18. *Ubi duo vel tres ſunt congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*, ex quo loco Maldonatus, ſi Chriſtus quibuſcunque adeſt in ſuo nomine congregatis, multò magis Concilio Generali; ita hunc locum accipit Concil. Chalcedonenſe Epiſtolâ ad Leonem, ita ſexta Synodus Act. 17. Ita Toletanum III. ita Innocentius Papa diſt 10. Can. de quibus. Cæleſtinus in Epiſtolâ ad Epheſ. Concl. 1. Cyrillus in expoſit. ſymb. Nicæni; Matth. 16. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Matth. ult. *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi.* 1 Timoth. 3. *Eccleſia Dei vivi columna & firmamentum veritatis.* II. Hanc aſſiſtentiam probat perpetua traditio, & conſenſus Eccleſiæ; nam omnia generalia Concilia hanc agnoſcunt, & ſub anathemate damnant, qui definitiones non recipiunt, III. Eccleſia illis definitionibus paruit, IV. PP. cenſent hoc judicium immutabile. Hinc S. Greg. lib. 1. Epiſt. c. 24. ſe venerari IV. Prima Concilia, ſicut quatuor Evangelia: Athan. ad Epiſcopos Africanos: *Verbum Domini per œcumenicam Nicænæ Synodum manet in æternum.* S. Ambroſ. Epiſtol.

ſtol. 32. *ſequor tractatum Nicæni Concilii: à quo me nec mors nec gladius poterit ſeparare.* S. Hier. de Athanaſio, Hilario, Euſebio agens, *quomodo poterant adverſus Synodum Nicænam facere, propter quam exilia ſuſtinuerunt.* Leo lib. 1. Epiſtol. 61. 62. 150. Negat, decreta illa poſſe in dubium vocari, omitto innumera Conciliorum & PP. teſtimonia. V. Ratione, nam ſi Concilia generalia poſſint errare, 1. Nullum erit judicium firmum, quo controverſiæ decidantur. 2. Poterunt omnes damnatæ hæreſes in dubium vocari. 3. Nulla erit certitudo de multis Sacræ Scripturæ libris. 4. Corruent Symbola fidei, & ſententiæ editæ in Nicæn. Conſtantinop. Epheſ. Chalcedon. 5. Non eſt alia infallibilis regula viva in decidendis Controverſiis, ut eruditè Suarez oſtendit citatâ diſp. præter Concil. Oecumenicum; quæ corruet ſimul. 6. Eſt contra finem Eccleſiæ, cujus eſt paſcere & docere; ut oves ab errore ſerventur, Epheſ. 4. *Dedit Paſtores & Doctores in conſummationem Sanctorum.* Proinde hoc Syllogiſmo complectamur. *ubi principium eſt infallibile ibi doctrina & regula eſt infallibilis; ſed in Eccleſiâ & œcumenico Concilio eſt illud infallibile principium*, videlicet per aſſiſtentiam Spiritus Sancti; *ergo*: Major evidens eſt. Nam uti mobile ſequitur conditionem moventis in motu, ita Concluſio naturam Medii; ita infallibile hoc principium ſequitur regula & doctrina: Minor hîc tibi oſtenſa eſt. Quare generatim inde deducitur Eccleſiam in doctrinâ fidei, & morum eſſe infallibilem. Hinc S. Au. Eccleſiæ fidem vocat *fundatiſſimam*, rurſum *conſuetudinem fundatiſſimam*, rurſum *morem fundatiſſimum*; eâ vi verborum, quâ Apoſtolus ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. *Epiſtol.* 89. *Serm.* 14. *Epiſt.* 28.

His adde tot Scripturæ loca ex N. & V. Teſtamento, tot Concilia, tot rationes, quibus Catholici probant Eccleſiam non poſſe errare, quæ ſi tibi nihil probant, morere in hæreſi tuâ, ut multi, *qui*

ſegre-

ude v.19. *ſegregant ſemetipſos, animales. Spiritum non habentes.* Et verò, ſi Chriſtus æterna ſapientia Phariſæos tot diſputationibus, & tot argumentis convictos non traxit ad fidem: quid Eccleſia Catholica de vobis ſibi pollicebitur, *niſi quod convincere vos poſſit, perſuadere vobis non poſſit.*

CAPUT III.

Prædicantis deliramenta de Infallibilitate Eccleſiæ.

POſtquam Eccleſiæ Catholicæ ſententia audita eſt, audienda etiam erit altera pars, quod videlicet D. Prædicans fundamentum collocet. Chriſtus Eccleſiam ſuam tanquam ſapiens Architectus in ſolidiſſimâ Petrâ fundavit. Matth. 16. &. 7. Prædicans verò ſuam Eccleſiam ita firmat, uti ſtultus ille Matth. 7. qui *ſuper arenam ædificat*: id nunc explorandum eſt, quomodo præſtet. Enimverò, ſi fundamentum Catholicorum non ſubſiſtat, fundamentum Prædicantis tandem, firmum erit.

Primò ergo Cabeljavius ad n. 29. fol. 369. ita ſuam profeſſionem fidei facit, *nos Calviniſtæ nullam particularem Eccleſiam viſibilem, neque Romanam, nec aliam particularem agnoſcimus, cui aſſiſtentia Spiritus S. & perpetuitas promiſſa ſit*; Hæc tua profeſſio & propoſitio partim vera eſt, partim falſa; vera, quia dicis nulli Eccleſiæ particulari factam promiſſionem infallibilitatis & perpetuitatis; hæc enim univerſali facta eſt, cùm multæ particulares errarint & interierint. Falſa eſt, quando Romanam non agnoſcis, hæc enim eadem eſt cum univerſali;
Rom. 1. v. 8. Catholica enim fides & Romana fides una eſt. Hoc primum ergo eſt delirium, nec probatione indiget; quod enim Apoſt. in Epiſt. ad Roman. de Romanâ fide ſcribit: fides veſtra in univerſo mundo annunciatur,

Digitized by Google

ciatur, id orbis & omnium ſæculorum & Scriptorum teſtimonio evidens eſt; ſed his omiſſis, audiamus hunc Prædicantem.

Secundò *Prædicans profitetur, ſe tantùm credere univerſalem Eccleſiam*, rectè, id & nos Catholici credimus, ſed quid ultra? *etiam credimus*, inquit, *eam univerſalem duraturam ad finem mundi*; rurſum bene reſpondiſtis; id & nos credimus; at hæc Eccleſiæ eſt perpetuitas: reſtat nunc infallibilitas, an illa univerſalis Eccleſia errare poſſit: hîc tacet Prædicans, tantùm contorta verba ponit, ut populo illudat, jam rem & infallibilitatem faſſus es, quam toto libello negas, id oſtendo: fateris Eccleſiam univerſalem non poſſe deficere; & ſimul doces eſſe fallibilem; nam ſi fallibilis ſit, etiam defectibilis eſt; non enim Chriſti Eccleſia manet, quæ in fide errat, cum Chriſto ut ſponſa in fide deſponſata ſit in æternum Oſe.c.2. Si verò indefectibilis ſit, etiam infallibilis erit; & ſi perpetuitas permittatur, etiam infallibilitas admitti debet. Hoc illud eſt, quod toties urgent Catholici, & nullus Prædicantum adhuc nodum ſolvit: vides ergo manifeſtam contradictionem tuam: Dicis ſuprà, œcumenicam Eccleſiam eſſe fallibilem; hîc dicis eſſe infallibilem: eſſe fallibilem & infallibilem contradictoria ſunt: hoc ſecundum eſt delirium.

Tertiò *fatetur & profitetur Prædicans, ſi Eccleſia ſequatur doctrinam & ſcripta Apoſtolorum, tum Eccleſiæ ſatis eſt, quia Apoſtoli habuerint aſſiſtentiam Spiritus S. & eorum ſcripta ſunt infallibilia.* Hîc rurſum delirare incipis; non enim quæritur, an Apoſtoli, & Apoſtolorum ſcripta ſint infallibilia, hoc enim clarum eſt; ſed an Eccleſia univerſalis ab illâ infallibilitate deficere poſſit, id tu in primâ parte hujus libelli concedis poſſe fieri, eò omnes nervos intendis, ſed falsò; nam uti Apoſtoli per aſſiſtentiam Spiritus S. fuere infallibiles, ita & Eccleſia per

eandem aſſiſtentiam infallibilis eſt, ut ab Apoſtolorum infallibilitate & Scripturæ veritate deficere non poſſit.

Quartò hæc communis Lutheranorum & reformatorum reſponſio eſt, *Eccleſiam non poſſe errare, ſi verbum Dei ſequatur*, hæc inquam reſponſio frivola & delira eſt, quæ nullibi in Scripturâ eſt. Quæritur enim, quid ſit prius, an ut Chriſtus deſerat Eccleſiem, an ut Eccleſia Chriſtum deſerat, primum fieri non poteſt, aliàs Chriſtus mendax eſſet, qui perpetuam aſſiſtentiam Spiritus S. promiſit, & fidelis eſt, ut ſervet; ergo ſupereſt alterum, ut Eccleſia prius Chriſtum deſerat, ſed nec illud poſſibile eſt; quamdiu enim ſponſus ſponſam ſervat & regit, & quamdiu Chriſtus ut caput Eccleſiæ, Eccleſiam ſuam regit, tamdiu errare non poteſt, ſed prius veriſſimum eſt, ergo & poſterius.

Quintò cùm infallibilitas ſe habeat ad aſſiſtentiam Spiritus S. ut effectus ad cauſam, mobile ad movens, & neceſſaria connexio ſit inter hanc cauſam, & effectum, utî inter ortum ſolis & diem; quomodo tu rimam & rupturam introducis ut infallibilitatem ſepares à causâ neceſſariâ & inſeparabili, quæ eſt aſſiſtentia Spiritus S. Fruſtra hîc conditionata ponitur, cùm Chriſtus abſolutam propoſitionem fecerit, ſicut *volo abſolutè ortum ſolis uſque ad mundi exitum, ergo & diem abſolutè volo.* Non dicit Deus, ſi ortus ſit ſolis, tum dies eſt: ita hîc, volo & promitto abſolutè aſſiſtentiam Spiritus S. ergo & abſolutè volo infallibilitatem. Hoc ex Dialecticâ tyro ſcire poteſt.

Quæritur hîc porro, an nationalis illa Synodus Dordrechtana infallibilis fuerit, an fallibilis in ſuis pronuntiatis: ſi fallibilis, ergo Remonſtrantes non tenentur ſequi ſententiam & auctoritatem, quam ſe habere pronuntiat ex verbo Dei & decreto ſuo

poſt

Digitized by Google

poſt V. capitulum. Si infallibilis eſt, ergo datur in viſibili Eccleſiâ infallibilitas, quod Cabeljavius pernegat: eadem quæſtio eſt de totâ Reformatorum Eccleſiâ; ſi fallibilis ſit in doctrinâ & verbi Dei interpretatione contra Catholicos & Lutheranos, nemo illis ſalutem committere poteſt; ſi infallibilis ſit, ergo datur infallibilis auctoritas, quod Prædicans pernegat. Demùm quænam ſit illa Eccleſia univerſalis duratura ad finem mundi, an viſibilis, an inviſibilis? an ejus perpetuitas in univerſali illâ Catholicâque Romanâ, an in aliâ certâ Huſſitarum, Albigenſium, ac Waldenſium, ut in poſtremo capite inſinuat, ſit etiam requirenda; id Cabeljavius non fuit auſus apertè ſcribere: cùm continua illa & perpetua ſucceſſio Pontificum, Epiſcoporum, ac Sacerdotum, quæ in poteſtate ordinis ac juriſdictionis collocata eſt, in ſolâ Romanâ ac Catholicâ Eccleſiâ reperiatur, cui infallibilitas innexa eſt.

CAPUT IV.

Argumenta Prædicantis ex Scripturâ contra infallibilitatem Eccleſiæ.

CUm hæc infallibilitas Eccleſiæ fundamentum ſit Catholicorum, ut ipſe Cabeljavius fatetur ad omnes controverſias decidendas, & ad hæreſes profligandas, exigebat cauſa rei tam gravis, ut Cabeljavius eam ex Scripturis refelleret, uti omnia ſe ex clariſſimis Scripturæ locis demonſtraturos pollicentur, verùm nullum Scripturæ locum produxit tam celebris Doctor & Scriptor, & verbi Dei præco; tantùm negativè procedit, adducendo duo loca Matth. 16. Luc. 22. ex quibus negat Catholicos poſſe ſuam infallibilitatem oſtendere, tuum erat poſitivè procedere, & ex Scripturâ probare, vel formaliter, vel per infallibilem conſequentiam,

Digitized by Google

ut inferres aliquo Syllogiſmo : ergo non datur infallibilitas Eccleſiæ. Hîc hæret ille magnus Jeſuitarum & Catholicorum triumphator: at nunc videamus, quomodo Catholici probent infallibilitatem.

Inter cætera proferunt illud Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*; Ut hæc tua dubia expediam, primò ſunt veteres interpretes; qui per Petram accipiunt fidem, quaſi dicat Chriſtus; ſuper hanc fidei confeſſionem ædificabo Eccleſiam meam. Ita Hilar. Gregor. Nyſſ. Chryſ. Ambroſ. Cyrill. Alexand. Hanc ſententiam arripiunt multi hæretici uti magnum patrocinium ſuæ cauſæ contra Pontificem, ſed fruſtra; nam hi PP. non accipiunt fidem abſtractè, ſed ut erat in Petro, & Petrus erat Petra Eccleſiæ; Eccleſia enim non ex ſolâ fide, ſed ex ipſis fidelibus, quaſi partibus integratur, inter quos Petrus eſt caput: fides enim ratio fundandi eſt, fundamentum verò Petrus: ita Chryſ. Cyril. & Ambroſ. illud ſimul intelligunt; ſeu ut Suarez. diſp. 10. ſect. 1. num. 14. fides fundamentum eſt, ut quo, Petrus, ut quod Secundò S. Aug. tract. 27. in Joan. & lib. 1. retract. c. 1. per Petram dicit accipi Chriſtum, perinde ſi dicat, ſuper me ipſum ædificabo Eccleſiam meam: ergo inquiunt hæretici, non eſt Eccleſia ſuper Petrum ædificata: ita Calvinus lib. 4. Inſtit. c. 6. & cæteri ferè omnes, hos ſecutus Cabel. hîc ſuum plauſum erigit, ſed vanum. Nam primò alii reſpondent Auguſtinum deceptum fuiſſe ignoratione linguæ Hebraicæ, & Syriacæ, in quibus illa differentia inter Petram & Petrum non eſt, quam latina habet. Quin adeo πέτρα & πέτρος Græcè petram ſignificat, in Heb. utrobique eſt סֶלַע in Syriaco כֵּפָא perinde ſi dicat, tu es Petra, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Secundò S. Aug. alteram etiam ſententiam

tiam probabilem admittit, ſerm. de Cath. Petri, & ſerm. 16. de ſanctis. Tertiò admiſsâ illâ Auguſtini ſententiâ, quæ tam genuina non eſt, non tamen aliter ab eo Chriſtus poteſt dici Petra, quàm Chriſtus dicitur fundamentum. 1 Cor. 3. & lapis angularis, quo oſtenditur in Eccleſiâ, ſicut in ædificiis multos eſſe lapides, inter quos Chriſtus primarius & angularis, Apoſtoli verò & Prophetæ ſecundarii, utî ad Eph. c. 2. *Ædificati eſtis ſuper fundamentum Apoſtolorum*; rurſum in Apocalyp. c. 21. *fundamenta duodecim, ſunt duodecim nomina Apoſtolorum*, quid hîc jam adeo Catholicorum ſententiam labefactat, ut non magis ſolidet. Illud enim primarium fundamentum non tollit ſecundarium, ſed firmat.

Quartò Sententia communiſſima eſt, quam omnium adeo ſcribit Maldonatus; *tu es Petrus*, id eſt Petra Eccleſiæ, ſuper te quaſi Petram firmiſſimam ædificabo Eccleſiam meam, hanc docent Clem. Rom. Hyppolytus, Dionyſ. Tertull. Cypri. Orig. Epiph. Gregor. Nazian. Baſil. Ambroſ. Hieronym. S. Leo. Hil. Chryſ. Aug. & alii; poſtremum Concilium Chalcedonenſe; rationes hujus veriſſimæ ſententiæ invenies apud interpretes & Doctores Catholicos, falſiſſimùm ergo ſcribis maximam partem cum Auguſt. ſentire, ut Petrus excludatur à fundamento ſecundario, hoc nec ipſe Aug. nec ullus S.S. PP. docuit.

Urges *ſaltem nihil Petrus habet peculiare in ratione fundamenti Eccleſiæ præ reliquis Apoſtolis, qui etiam fundamenta dicuntur.* Imò multum habet peculiare, ſicut & illud quod ſequitur: tibi dabo claves regni cœlorum, videlicet ſummam poteſtatem, jurisdictionem, gubernationem ſupremam Eccleſiæ, utî & Joan. 21. *Paſce oves meas*, quòd ordinarius ſit Paſtor; nam etſi reliqui Apoſtoli ſint fundamenta, quòd primi Eccleſias fundarint, quòd im-

Digitized by Google

mediatè revelationem acceperint, quòd ampliſſimam poteſtatem nacti, inter eos tamen caput & Princeps & ordinarius Paſtor erat Petrus, utî vicarius Chriſti, & ſucceſſor Petri. Hæc omnia fuſiſſimè reperies apud Bellar. lib. 1. de Pœnit. Valent. Becan. Suarez. diſp. x. n. 25. ſect. 1. tot inſuper SS. PP. teſtimoniis roborata, ut mirum ſit poſſe oculos veſtros in illâ claritate teſtium caligare.

Urget Secundò *Petrus non fuit Romæ, ergo illi Eccleſia non eſt commiſſa*: Hoc extremum aſylum eſt: itane verò? tota igitur cauſa in hoc cardine verſatur? quot libris ea res confutata; quot teſtimoniis confirmata, imò templa, ſaxa, ligna teſtantur & totus orbis, *pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos*: pergit, non eſt in Scripturâ, Petrum fuiſſe Romæ, quid tum poſtea? imò verò lege Maldonat. in c. 21. Joan. & Bellarminum, alioſque.

Sapient. 5.

Urget tertiò *portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, nihil juvat Catholicos*, inquit, quare? *quia portæ inferorum*, inquit Prædicans, *ſignificant mortem non prævalituram contra fideles & credentes in Chriſto*. Ergo Prædicans & omnes Reformati ſunt immortales. Contrarium quotidiana funera & hujus anni peſtilentia docet Hollandiam, neque de morte animæ intelligi poteſt, nam multi fideles & à fide excidunt, & in peccatis moriuntur, & pereunt, quid ergo illud Matthæi citati? *Omnium*, inquit Maldonatus, *ſententia extra dubium eſt, per portas inferi omnem Diaboli potentiam ſignificari*, quâ per Judæos, Tyrannos, Hæreticos & hoſtes Eccleſiæ fruſtra Eccleſiam oppugnat; at verò Prædicans, quem novæ ſuæ ſententiæ auctorem citat? nullum prorſus; unde ergo illa interpretandi libertas? ex privato ſpiritu & cerebro.

Urget quartò *nullibi Scriptura expreſſo verbo, vel ſigno*

Digitized by Google

ſigno exprimit, Petrum eſſe caput Eccleſiæ principem Apoſtolorum, Paſtorem Ordinarium & ſucceſſorem Petri, cum ſupremâ illâ poteſtate. Reſpondit jam dudum Becanus in Apologiâ pro judice controv. Gardio, etſi expreſſo ſigno ſcripti verbi non ſit ſignificatum, id non requiri, addo tamen rem ipſam ſatis ſignificari, quàm multa ejus rei ſunt exempla? V.G. Baptiſmus & Cœna propriè vobis Sacramentum ſunt, ubi verò Chriſtus, vel Apoſtoli expreſsè Baptiſmum & Cœnam vocant Sacramentum propriè dictum, ſi de ſigno & verbo tradito quæratur, nihil expreſſius, quàm Pontificem eſſe vicarium Chriſti, caput Eccleſiæ, caput fidelium & Paſtorem Gregis Dominici, cæteraque privilegia ſucceſſoris Petri, id perpetua traditio, & teſtimonia PP. exhibent; vide Becan. citato loco, Bell. & alios; verùm ſapienter Becanus, non ſingulis adverſariis omnia regerenda eſſe, niſi quid novi adferant, aut jam toties dicta ſolidiùs impugnent, quidquid hîc adfert Prædicans merces ſunt, quæ longum ſitum ſapiunt: continuò in iſtis obſoletis & plebeis hæret & multas chartas implet; rem verò ipſam & principia tranſilit.

CAPUT V.

Recténe Catholici, an malè Prædicans ex Luc. 22. procedant.

INter cætera, Catholici illud proferunt Luc. 22. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua,* atque hac oratione docent plerique, Chriſtum duo inſignia privilegia poſtulaſſe, primum Perſonale, ut ſcilicet ipſe Petrus nunquam fidem amitteret, inter tentationes Sathanæ petentis cribrare Petrum; ſecundum idque certum privilegium fuit commune Petro cum omnibus Succeſſoribus, ut videlicet ipſe,

& cæteri Pontifices nunquam publicè à fide deficerent, ita ut hæreſin docerent, vel errorem contra fidem. De primo privilegio non adeo contendit, de ſecundo totus eſt in armis: ſed quibus auctoribus, quibus patribus probat? rurſum nullis: Unica auctoritas, denuo interpretandi libertas.

Id ut videas Catholici hoſce PP. pro ſe habent, qui ex citato loco Luc. 22. docent Romanum Pontificem ex cathedrâ docentem errare non poſſe. S. Bernardus Epiſt. 90. ad Innocent. ante hunc Lucius I. Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniarum, Felix I. in Epiſt. ad Benignum, Marcus in Epiſt. ad Athanaſium, Leo I. ſerm. 3. de aſſumptione ſuâ ad Pontif. Leo IX. Epiſt. ad Petrum Antioch. Agatho in Epiſt. ad Conſt. Imp. Synodus deinde VI. act. 4. in quâ Agathonis Epiſtola lecta, & deinde à totâ Synodo approbata, in quâ ita ſcribit Pontifex M. Agatho. *Hæc eſt veræ fidei regula quam & in proſperis, & in adverſis vivaciter tenuit Chriſti Eccleſia, quæ per Dei gratiam Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticis novitatibus unquam depravata ſuccubuit, quia dictum eſt Petro. Simon Simon ecce Sathanas* &c. *Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua:* ita deinde Paſchalis II. in Concil. Rom. S. Leo ſerm. 2. de Nat. SS. Petri & Pauli. S. Cyprian. lib. 1. Epiſt. 3. Nicolaus I. Quibus nunc credendum? uni Cabeljavio? an omnium horum teſtimonio? atqui jus Canonicum toties citat Cabeljavius nobis, cur non & illud Innocentii III. C. Majores de Baptiſmo. *Majores Eccleſiæ cauſas præſertim articulos fidei contingentes, ad Petri ſedem referendas intelliget, qui quærenti Domino, quem Diſcipuli dicerent ipſum eſſe, reſpondiſſe notabit, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi, & pro eo Dominum exoraſſe, ne deficiat fides ejus.* Poteraſne clarius teſtimonium deſiderare? quare & quartæ Synodi Patres ita definiunt:

ita

ἵνα μακαριώτατος ἐπίσκοπος τῆς ῥωμαίων πόλεως, οὗ τὴν ἱεροσύνην κατὰ πάντων ἡ ἀρχαιότης παρέχει χώραν καὶ εὐπορίαν ἔχει περὶ πίστεως καὶ ἱερέων ἀνακρίνειν. *Ut beatiſſimus Epiſcopus Romanæ Civitatis, cujus ſacerdotium contra omnes Antiquitas poſſe prodit, locum & poteſtatem habeat de fide & Sacerdotibus judicandi.*

Quare Maldonatus in hunc locum ſcribit, ita Chriſtum dixiſſe, *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*; perinde uti dixit Matth. 28. *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi*; eò refert, & illud: *Et tu aliquando converſus, confirma fratres tuos*, ex quibus manifeſtum eſſe vult, Chriſtum de omnibus Petri ſucceſſoribus loqui, quæ communis interpretum ſententia eſt.

De primo privilegio Petrum negando fidem non amiſiſſe eam, Maldonatus acriter tuetur ex S. Ambroſii ſententiâ, ore negaſſe, animo retinuiſſe; tum hoc loco, tum Matth. 26. eadem Adami Contzen. & aliorum ſententia cum Chryſ. Hom. 38. in Matt. S. Auguſt. lib. de corrept. & grat. c. 8. Theophil. Quanquam Franciſcus Lucas, velit tàm fidem, quàm charitatem dimiſiſſe, ſed ad modicum tempus, ut vivacius reſurgeret; verùm nec tum Petrus Pontifex erat, nec ea promiſſio Joan. 21. completa erat, neque aſſiſtentia illa per Spirit. S. feſto pentecoſtes in eâ plenitudine, confirmationeque data, ut id parum prędicantem juvet, utrumvis perſequatur, nec illud, quod tam operosè ex Æneâ Sylvio profert. Sed nunc paucis rationes Prædicantis exploremus.

Primò ergo opponit, *in illâ oratione Chriſti pro Petro, non fit mentio Romani Pontificis, neque Conciliorum, ergo eò non poteſt extendi*; frivolum hoc denuo, benè PP. Emb. Quod hîc de Petro dicitur, dici etiam de officio & ſucceſſore, neque magis hîc expreſſa mentio requiritur, quàm ad illud Matth.

 ſupra,

Digitized by Google

ſupra, ad quos ſatis reſponſum. Illud adjice, & ſatis erit, *Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Hoc loco non ponuntur expreſsè Prædicantes, Superintendentes, Præſides claſſium, ſequiturne jam? ergo faceſſant ex Eccleſiâ Dei? ô miſerum te, ſi hoc ſequitur.

Act. 20.

Secundò opponit ex Bell. lib. 4. de Pontif. c. 3. *Aliquos ex recentioribus docere Chriſtum oraſſe pro perſeverantiâ Apoſtolorum*, verùm quid reſpondeat Bell. utique legeris, & ſi legiſti, refutandum tibi erat, id, quod tribus rationibus convincit, non hîc perſeverantiam oraſſe Chriſtum, ſed ſpeciale Petri privilegium, ejuſque Succeſſorum. Hinc cùm in plurali dixiſſet, *expetivit vos Sathanas*: mox convertit ſermonem ad ſingularem numerum, & ait, *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, quanquam quod Petro oravit, etiam in totius Eccleſiæ utilitatem ceſſerit, oravit igitur pro perſeverantiâ fidei Petri & Succeſſorum.

Tertiò opponit Joan. 17. *Pater ſancte ſerva eos in nomine tuo quos dediſti mihi*, ex his ita argumentatur. Chriſtus Joan. 17. oravit pro omnibus Apoſtolis, ergo Luc. 22. nihil peculiare & ſpeciale pro Petro orat: quàm puerili conſequentiâ ipſe vides. Iterum Chriſtus Joan. 17. oravit pro Apoſtolis ut ſint unum in charitate & concordiâ, ergo Lucæ 22. non oravit pro fide Petri. Qualis cohærentia? ita quidlibet ex quolibet inferre tam promptum vobis, quàm abſurdum.

Quartò Cabeljavius denuo D. Auguſt. introducit, in qq. N. & V. Teſtamenti, ſed non integrum, nec integrâ ut ſolet fide. ergo q. 79. ſic habet Aug. *Quid ambigitur, pro Petro rogabat, & pro Iacobo & Ioanne non rogabat? ut cæteros taceam. Manifeſtum eſt in Petro, omnes contineri, rogans enim pro Petro, pro omnibus rogaſſe dignoſcitur; ſemper enim in præpoſito populus aut corripitur aut laudatur;* Hoc poſtremum

ſtremum quam callidè, ſi tamen legit, Leidenſis Prædicans, ſuppreſſit, ſed jugulum erat; audi nunc M. Leonem, ſerm. 3. de die annim. ad hunc Luc. 22. locum. *Specialis à Domino Petri cura ſuſcipitur, & pro fide Petri propriè ſupplicatur, tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit, juſtè in Ducis noſtri meritis & dignitate lætamur, gratias agentes Redemptori noſtro, qui tantam potentiam dedit, quem totius Eccleſiæ Principem fecit.* His adde teſtimonium D. Ambroſ. in Pſal. 43. *Petrus Eccleſiæ præponitur, poſteaquam eum elegit Dominici gregis Paſtorem, nam huic dixit; tu autem converſus, confirma fratres tuos.* Eadem Theophyl. ad hunc locum; nondum recognoſcis D. Prædicans? quę perſona Petro in Eccleſiâ ſit data: *Præpoſiti: Principis, Ducis, Paſtoris Dominici gregis.* quid cætera, vel elogia, vel teſtimonia SS. PP. attexam? Ambroſius ſcribit Petrum *à Chriſto omnibus prælatum fuiſſe, & tanquam vicarium in terris relictum.* Hieron. *Caput omnium Apoſtolorum*: Auguſtinus. *Primatum in Diſcipulis habuiſſe.* Gregorius. *Cunctis Evangelium legentibus liquêre, voce Dominicâ, Petro Apoſtolorum Principi totius Eccleſiæ curam commiſſam eſſe.* Hîc denuo habes quatuor Doctorum Eccleſiæ judicium, idem cæteri latini Patres docent *a* Hilarius *b* Cyprianus *c* Optatus *d* Proſper *e* Maximus *f* Arnobius *g* Beda *h* Bernardus. Quid nunc Græci Patres pronuntiant? *i* Dionyſius Areopagita. *Summum & verticalem appellat.* *k* Baſilius *omnibus diſcipulis prælatum ſcribit.* *l* Gregor. Nazianz. *unum ex omnibus diſcipulis electum, cujus curæ fundamenta fidei commiſſa fuêre*: *m* Chryſoſtomus: *Paſtorem & Caput & univerſo terrarum orbi Præpoſitum.* *n* Cyrillus Alexandrinus. *Principem & caput cæterorum*: *o* Cyrillus Hieroſolymita-

lib. 10. in Luc. c. 24
lib. 1. contra Iovin
in Pſa. 1c
lib. 4. Regiſt. Ep. 3

a *Can. 6. Matth.*
b *lib. de unit. Eccl*
c *lib. 2. contra Parm*
d *lib. ſen & lib. 2. vocat. ge c. 9.* e *ſer 3. de Na Petri & Pauli* f
pſ. 138. g *in c. 1 Ioan.* h *lib. 2. de conſid. ad Eug* i *c. 3. Eccl. Hier* k *in præf de Dei jud. tom. 3.* l *orat de modo in diſp.* m *Hom. 55. in Matth.* n *lib. 12. Ioan. c. 64.* o *Catech. 2. 17. 21.*

nus.

nus. *Principem Diſcipulorum, & regni cœlorum Clavigerum.* p Epiph. *Ducem Diſcipulorum.* q Euſebius. *Chriſtianorum Pontificem primum.* Eadem Origenes, Theophyl. Euthym. œcum. Quanta teſtium nubes? ut ipſa Pontificum & Conciliorum teſtimonia prætermittam, de quibus Bell. Suarez, Becan. Valent. Raynaudus. Quid nunc dices ad hæc teſtimonia? quibus convictus teneris, ut fatearis Petro & ſucceſſoribus ſummum in Eccleſiâ Pontificis & Paſtoris munus à Chriſto datum. Hoc illud peculiare eſt in Petro, pro quo Chriſtus oravit, ut non deficeret fides ejus, ut perpetuitatem & infallibilitatem, de quâ agimus, recognoſceres. Quid inquam dices? credo, quod de Jeſuitis & Catholicis Doctoribus, nempe omnes illos Patres, tàm Græcos, quàm Latinos Pontificis aſſentatores fuiſſe, ut tu inter criminatores eſſe poſſis. Hæc ſubtilia illius Prædicantis, non tàm argumenta ſunt, quàm hæreſis ſemel hauſtæ integumenta; quibus Jeſuitarum Theologos provocare auſus eſt. Aliquid ingenioſius ex illâ celebri Academiâ exſpectant Jeſuitæ; quæ tu attuliſti, nautis ſubſerviunt, & iis, qui in navi imperitis de fide colloquiis horas fallunt, Molinæus non es, neque Bergius, ſed ex inferioribus ſubſelliis. Hinc cùm vir eruditus tuæ diſputationi interfuiſſet, poſt pro concione publicè dixit, Cabeljavii diſputationem non aliter fœtere, quàm alieno tempore piſces, à quibus nomen trahit. Interim Catholicos & PP. Embric. ad libros à te ſcriptos, remittis. Ego illos ſemel duntaxat inter telas Aranearum reperi; quis illa phlegmata tua, & ſcommata contra ſponſam Chriſti toties reſorbeat? magno tu quidem labore eos libros conſcripſiſti, ſed minore labore poſſes ad infernum ire.

tr. 51. b.2. hiſt. 1.

Quærit poſtremùm Cabeljavius: *Quid ſit decretum fidei; hunc enim terminum à P.P. Emb, datum*

ſibi

ſibi perquàm obſcurum eſſe queritur; quis hîc Prædicantis inſcitiam, juxta & audaciam non miretur: inſcitiam quòd terminos non intelligat, eoſque vulgatiſſimos in materiâ fidei: audaciam, quod Jeſuitas tamen ad diſputandum provocare non deſiſtat; citaſti tot Theologos, legiſti Concilium Conſtantienſe, & nondum capis, quid ſit propoſitio fidei, quid decretum fidei, & definitum, quid articulus fidei, inter alios Suarez in opere de triplici virtute Theol. tract. de fide diſp. 19. ſ. 2. Explicatiſſimè tradit gradus damnabilium propoſitionum, inter quas alia eſt hæretica, quæ veritati expreſsè revelatæ, aut in œcumenico Concilio definitæ opponitur, & hujus oppoſito decretum fidei eſt. Alia eſt propoſitio ſapiens hæreſin; alia eſt erronea, ut in Conſtantienſi legis contra propoſitiones Wicleffi; alia malè ſonans, alia temeraria, alia ſcandaloſa, alia injurioſa & blaſphema: hæc ubi legeris & expenderis, quomodo tam hebes eris, ut non intelligas, qui Jeſuitarum Theologos ultra provocas: hæc eadem ad calamum dictari ſolent, in tractatu de fide, & vulgata ſunt terminorum rudimenta.

CAPUT VI.

Infallibilitas Eccleſiæ falsò oppugnatur à Cabeljavio ex Conciliorum erroribus & contrariis decretis.

HActenus vanus labor & irritum negotium fuit Prædicantis duo tantummodò Scripturæ teſtimonia velle eludere, quibus Catholici infallibilitatem probant. Quid jam ſupereſt Prædicanti? ſcilicet ut Eccleſiam doceat eſſe fallibilem. Nam ſi ex Catholicorum ſententiâ Eccleſia non ſit infallibilis, utî vult Prædicans, reſtat ut ex Reformatorum ſententiâ

tentiâ ſit fallibilis; hîc enim non datur medium; atqui hoc probandum erat Prædicanti, & quidem ex Scripturâ, utî promittunt, ſe omnia ex verbo Dei docere poſſe. Quæ ergo Scripturæ teſtimonia adducit? prorſus nulla: ſcribatur ergo; *Prædicans fundamentalem fidei articulum ex nullâ Scripturâ, neque directè, neque indirectè probare poteſt.* Exigis à PP. Emb. Hieron. & Baſil. teſtimonio, ut ex Scripturis ſua probent, id tot ſcriptis præſtitêre Catholici, ſed quâ Scripturâ tu probas fallibilitatem? nullâ: hoc à te primùm exigere debebas. Ego ut rem edicam, ita cenſeo Prædicantem ipſum nondum exploratê ſcire, primò, ſitne Eccleſia infallibilis, eo modo, quo ipſe ſtatuit, an fallibilis. Secundò, in quâ Eccleſiâ, viſibili, an inviſibili certitudo fidei quærenda ſit. Tertiò, qualis illa ſit infallibilitas, an abſoluta, an conditionata. Quartò, an in Concilio, ſeu nationali Synodo Dordrechtanâ ſit collocanda infallibilitas an non. Quintò, an in Calviniſtarum Synodo Dordrechtanâ major fuerit infallibilitas, quàm Lutheranorum Concilio Wittenbergenſi trecentorum Paſtorum, præſide ipſo Luthero, Anno M. D. XXXVI. Cochlęus in act. Luth. Surius ad hunc annum; cùm in Dordrechtanâ Synodo, ne centum quidem Poſtores cenſeantur. Ad hæc te reſolve prius, ſiquidem tantus Doctor. Vanellus avis illa, quam capram dicimus, totum rus propugnat ſuis clamoribus, ſed nullis viribus, cùm nidum ſuum tueri non poſſit, ut eſt in proverbio. Glorioſus es Prædicans, totam Romanam Eccleſiam oppugnas, atque ita quidem, veluti ſcribis num. 30. *ut contra tuas exceptiones nihil reponi poſſit, nec ab ulla Catholicorum fundamenta tua ſubverti poſſint*, ſcio utî ventoſus es, ita ventoſa hîc ova ponis, quæ nullo unquam calore, nec ſitu excludi poterunt; at in quo, ille triumphus tuus? videlicet in Conſiliis malè conſultis, ut malæ cauſæ quæſitum ſit patroci-

Digitized by Google

trocinium. Poſtquam ex Scripturâ infallibilitatem expugnare non poteras, ad Conciliorum quæſita errata te convertis, atque hoc modo impugnas.

Multa Concilia prorſus contraria decrevêre, quæque ab uno Concilio ſunt approbata, ab alio ſunt reprobata & damnata; ergò non eſt infallibilitas in Eccleſiâ. antecedens probas uno exemplo de conjugio Sacerdotum, quod à Conſtantinopolitano, & Nicæno ſcribis approbatum; à Romano verò & Tridentino reprobatum ac damnatum eſt. Quid hîc reſpondebunt Catholici? ex tuâ cenſurâ hîc nemo evadet, ita ſtrinxiſti: quæramus primùm fundamentum à Prædicante, in hoc enim ſemper allidit frontem.

Primò Continentia Sacerdotum eſtne juris divini an poſitivi? poſtremum D. Thom 22. q. 88. Bell. & Catholici docent paucis exceptis, atque in hoc jure poſitivo dari poteſt diſpenſatio ac variatio, non verò in jure divino, quid ergo abſurdi? ſi ab uno Concilio laxatio, ab alio reſtrictio fuit data; nunquid liberum manet Eccleſiæ? poteſtate & jure ſuo uti, prout res & cauſæ tulerint, ut cum græcâ Eccleſiâ actum eſt in hac ipsâ causâ; quàm multa in ſimilibus exempla? hîc jam totam ſolutionem habes ut nullâ aliâ ſit opus; attamen audiamus cætera tua.

Igitur ſecundò producit Concilium Nicænum, at quo Canone illud Concilium Sacerdotum conjugia probat? hunc tu non citas, quia non invenis inter XX. Canones Nicæni Conc. citaſſes verò, ſi reperiſſes, præſertim in negotio conjugali, in quo tàm facundi, quàm fœcundi, eſtis. Quare non citaſti Canonem 3. in quo prorſus contrarium legis, is ſic habet; *ἀπηγόρευσε καθόλου ἡ μεγάλη σύνοδος, μήτε ἐπισκόπῳ, μήτε πρεσβυτέρῳ, μήτε Διακόνῳ,*

κόνῳ, μήτε ὅλως τινὶ τῶν ἐν τῷ κλήρῳ ἐξεῖναι συνείσακτον ἔχειν, πλὴν εἰ μὴ ἄρα μητέρα, καὶ ἀδελφὴν, καὶ θείαν, καὶ ἃ μόνα πρόσωπα πᾶσαν ὑποψίαν διαπέφευγε: *Interdicit per omnia magna Synodus non Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omninò, qui in clero eſt, introductam habere mulierem, niſi fortè aut matrem, aut ſororem, aut amitam, vel eas tantùm perſonas, quæ ſuſpicionem omnem effugiunt.* Quomodo jam Nicænum Concil. potuit uxores permittere Sacerdotibus, & ſimul hanc regulam præſcribere, deinde ut præter uxorem nulla alia fœmina ſit domi, præter has conſanguineas, ne ancilla quidem, quis Prædicans in totâ Hollandiâ ſibi hanc legem præſcribi feret? quid ergo ſupereſt? niſi ut prohibitâ per Nicænum uxore, exceptio firmet regulam.

Tertiò Prædicans *hoc Nicæni Concilii decretum probat ex diſtinctione* 31. c. 13. potero addere c. 12. in quo ad Paphnutii diſſuaſionem ſe refert, res trita eſt de Paphnutio, & à Calvino dudum mota; auctoritas ejus hiſtoriæ pendet ex Socrate & Sozomeno, ex quibus Nicæphorus hauſit, ſed quid ex capite 12. quid ex Nicæphoro lib. 8. c. 19. additur? *Et hæc quidem Paphnutius expoſuit, Synoduſque laudavit ſententiam ejus, & nihil ex hac parte ſancivit, & hoc in uniuſcujuſque voluntate, non in neceſſitate permiſit.* Quomodo ergo Prædicans Concilii Nicæni decretum allegat, quod jus Canonicum, & Nicæphorus negat; ſi quid de hoc conjugio decretum fuiſſet, id ex Euſebio, Ruffino, Epiphanio & Athanaſio petendum potius eſſet at apud hos nulla mentio; maximè Athanaſium, qui Concilio interfuit Arii acerrimus hoſtis. Sanè Epiph. hær. 59. ait *eſſe contra Canones Eccleſiaſticos, quod Sacerdos, vel Diaconus filios gignat.* Nihil de hoc decreto Legati

gati Romani; cùm tamen & Concilio interfuerint, & Romana Eccleſia, & occidentalis ſemper connubio illi reſtiterit. Quare Sozomeni & Socratis teſtimonium Bellarmino, per quam ſuſpectum eſt, cumprimis, quòd Sozomenij hiſtoria jam dudum etiam S. Gregorio mendaciis obnoxia ſit viſa. *lib. 6. Epiſt. 31.*

Quartò, ſi quod tale decretum fuerit, id nihil juvat Prædicantes; nam Paphnutius ſolùm voluit, ut ſecundùm antiquos Canones prohibeatur Clericis, ne poſt ordinationem uxores ducant; ſed permittatur uti uxoribus, quas ante ordinationem duxerant, ſi qui cælibes conjugium ſuſceperint; ii poſtea conjugio ſe contineant, & hoc ipſum tantùm Græcis Sacerdotibus permiſſum eſt, ut patet ex cap. cùm olim de Cler. ex Greg. lib. Epiſt. 42. Quod tamen Calvinianum dogma non probat; ubi Prædicantes nunc id ſervant; aut ſervandum docent? cum obtento miniſterio, ſuſceptâque larvatâ ſuâ ordinatione contra hanc legem illicò in Matrimonium ruant. Quòd ſi concilia requiras pro cœlibatu Sacerdotum; habes teſtimonia Conciliorum antiquorum totius Eccleſiæ, Ancyranum Can. 10. Carth. 2. Can. 2. Rom. ſub Sylveſtro c. 8. Arelatenſe 2. Can. 2. Turonenſe Can. 1. & 2. Agathenſe c. 9. Aurelianenſe III. Can. 2. Elibertinum can. 33. Tolet. II. cap. 1. Tolet. IV. cap. 26. Tolet. VIII. c. 6. Aquiſgranenſe c. 6. Wormatienſe c. 9. Moguntinum c. 10. habes Canonem Apoſtol. 27. qui lectoribus & Cantoribus è clero uxores tantùm permittit. Quòd ſi jus Canonicum conſulas præter diſt. 31. à te citatam, legenda tibi, addendaque erat diſtinctio 32. &c. 2. c. 3. c. 4. c. 10. c. 11. c. 12. c. 13. c. 14. Quàm præclara illic decreta & teſtimonia Leonis Pontificis. Gregorii ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, Nicolai, Urbani II. Leonis IX. aliorumque Pontificum de continentiâ Sacerdo-

 tum.

Digitized by Google

tum. Prætermitto SS. PP. teſtimonia, & perpetuam hujus Apoſtolicæ legis traditionem; quid ergo Conc. Rom. & Trident. tibi contrarium docet, quod omnibus Conciliis, Patribus & ſæculorum traditione confirmatum legis.

Addis Concil. Conſtantinopolitanum VI. c. 14. at non videris Concilium illud inſpexiſſe; nam primò Synodus illa capita non habet, niſi in act. 13. novem tantùm actiones; quod ergo adferre vis, petere debes ex quini-ſextâ Synodo, quæ in Trullo diu poſt habita eſt, eaque profana Synodus eſt, nec Capita habet, ſed Canones, idque, quod ſpectas, legitur Can. 13. non cap. 14. quid de hac Synodo ſentiendum ſit, ſupra audiviſtis, nec Canones, illi vim habent, & auctoritatem, niſi quantum à Romanâ Eccleſiâ probantur; quorum alii rejecti, alii recepti; id enim publicè Humbertus Legatus edixit, *ab hac Pſeudo-Synodo Trullanâ nihil Eccleſiæ præſcribi.* Rectè Bell. lib. 1. de Clericis c. 19. duos errores ponit, quorum alter Græcorum, alter hæreticorum hujus ſæculi: Græcorum error erat, oportere Clericos, antequam ordines ſuſciperent uxores ducere, hunc errorem docuit expreſsè Vigilantius, de quo Hieron. *prô nefas! Epiſcopus ſi ſceleris dicitur habere conſortes, qui non ordinant Diaconos, niſi prius uxores duxerint, nulli cœlibi credentes pudicitiam*: hunc deinde errorem arripuerunt Trullanæ Synodi auctores, ab hac deinde Synodo cæpit mos Græcorum. Alter error eſt Lutheranorum & Calviniſtarum, aliorumque auctore Wiclef, multoque gravior eſt, licere videlicet, non ſolùm ante ordinationem, ſed etiam poſt ordinationem uxores ducere: hunc vero errorem Trullana Synodus non probavit, ſed damnavit, quando Canones prohibet, ne Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, aut ſub-Diaconi poſt ordinationem ſuam uxorem ducant, imò Canone 48.

lib. contra Vig.

ne 48. prohibet ne Epiſcopus cohabitet uxori: imò μετὰ τὴν ἐπ' αὐτῷ τῆς ἐπισκοπῆς χειροτονίαν ἐν μοναστηρίῳ εἰσίτω, πόῤῥω τῆς τοῦ ἐπισκόπου καταγωγῆς ᾠκοδομημένῳ: *Poſtquam Epiſcopus conſecratus eſt, Monaſterium ingrediatur procul ab Epiſcopi habitatione exſtructum.* Vides ergò D. Prædicans, quam falsò ſcripſeris nihil à Catholicis contra tuas frivolas, & fumoſas exceptiones reponi poſſe; cùm his ipſis, quibus Catholicos oppugnas, te ipſum expugnes, ut audacia tua & inſcitia pari ſemper gradu procedant. Par omnino ratio eſt, par falſitas in omnibus illis calumniis, & criminationibus, quibus Romanam, & Catholicam Eccleſiam in tuis libris proſcindis, & quid quæſo in tuis illis plebeis chartis adferes? quod non multò ſpecioſius à Lutheranis allatum ſit, & multò dilucidius à tot Catholicorum Doctoribus ſit diſſolutum, & veluti in mortario ad pulveres uſque contuſum.

CAPUT VII.

Infallibilitas Eccleſiæ eâdem falſitate oppugnatur à Prædicante ex Pontificum erroribus.

ATque ut hîc paucis Prædicantem expediamus, duo cumprimis nota illi ſtatuenda ſunt, alterum eſt, Pontificem quatuor modis conſiderari poſſe: primò, *ut perſona particularis eſt* & privatus Doctor, atq; ita non poſſe errare pia, & probabilis ſententia eſt, præſertim Alberti Pilſtii noſtri lib. 4. Hier. c. 8. Secundò *conſideratur ut Pontifex, ac ſolus*; atque ita poſſe errare, & prolabi in hæreſin prorſus erronea, & hæreſi proxima ſententia eſt, quantumvis id qui-

dam ſentire viſi, ut Gerſon, Almainus, Alphonſus à Caſtro, adeoque Adrianus Papa in Quæſt. de Conf. Tertio *conſideratur ut Pontifex cum privato Concilio*, hîc eadem à fortiori, quæ in ſecundo membro, ratio eſt infallibilitatis, adeoque Suarez tract. de fide diſp. v. ſect. 8. cenſet de fide Pontificem è Cathedrâ definientem errare non poſſe; quam deinde ſolidis argumentis firmat ſententiam: hîc communiſſima exploratiſſimaque Catholicorum intervenit ſententia; ſive Pontifex errare poſſit in fide, & in hæreſin prolabi, ſive non; nunquam tamen poſſe ullo modo aliquid hæreticum definire à totâ Eccleſiâ credendum, maximè ſi conſultis viris doctis & Epiſcopis maturè procedat. Quartò *Pontifex conſideratur ut cum Generali Concilio unum Eccleſiæ corpus integrat*, atque ita infallibilitatem habet pro articulo fidei; & ſi quis neget, uti Cabeljavius facit cum Luthero lib. de Concil. & cum ſuo Calvino lib. 4. inſtitut. cap. 9. propriè hæreticus eſt.

Alterum, quod huic Prædicanti ſtatuendum eſt, ne ſe denuo confundat, eſt, Pontificem cum Concilio generali non poſſe errare in condendis fidei decretis, & generalibus morum præceptis quoad ſubſtantiam; ſecundò Pontificem, ſeu cum privatò Concilio, ſeu etiam cum Generali errare poſſe in controverſiis facti particularibus, quæ ex informatione & teſtimoniis hominum pendent.

His poſitis videamus, quid Cabeljavius contra moveat. Exſpectabant utique Jeſuitæ aliqua plauſibilia argumenta, quibus ſolidas illas rationes impugnet, quibus Suarez, Bellarmin. Valentia, cæterique Theologi Pontificis infallibilitatem validiſſimè confirmant; verùm pro ſuo ingenio, & genio ad plebeias magis fabulas deflectit, quibus, ſi rem ponderes, nihil ad quæſtionem propoſitam impugnat.

Ait

Ait ergo, *Hadrianus I. cum ſuo Concilio decrevit, ut Romanus Imperator habeat Electionem Romani Pontificis, & ab eo petant omnes Epiſcopi inveſtituram diſt.* 63. c. Had. atque Hadrian. III. hanc electionem ſuſtulit: quid infert? ergo Romanus Pontifex eſt fallibilis in rebus fidei & morum. Ubi quæſo es? domi an foris? humine an ſublimè pendes? Electio illa Cæſari data, & inveſtitura, eſtne decretum fidei? eſtne præceptum morum quoad ſubſtantiam? ut præcipiat hîc Pontifex vitium, aut prohibeat neceſſariam virtutem ad ſalutem; minimè ſanè: nihil ad rem dicis, quia non intelligis. Modus ille eligendi Pontificem, ne quidem à Chriſto præſcriptus fuit, ſed Eccleſiæ, & Pontifici commiſſus. Hinc alius atque alius eſſe poteſt, uti fuit, ut à Theologis citatis diſcere te par primùm erat, antequam Jeſuitarum Theologos provocares. Quantùm verò ad Electionem Cæſari conceſſam, exſpectabatur olim conſenſus populi, non ad ſuffragium, ſed ad teſtimonium vitæ. C. cùm longè d. 63. cap. Elect. d. 79. Cypr. lib. 1. Epiſt. 4. lib. 2. Ep. 5. Poſt etiam Imperatoris, maximè ad patrocinium. Id verò privilegium interdum fuit per Tyrannidem uſurpatum, ut ab Henrico V. tempore Paſchalis; interdum confictum, ut de Othone refertur, cap. in Synodo diſt. 63. ſub Leone VIII. de quo ſcribis, atque is Leo Pſeudopontifex fuit, teſte Baronio, Spondano, aliiſque, quamvis à pleriſque inter Pontifices numeretur, Scriptorum enim teſtimonium nullum veritati præjudicium ferre poteſt: pari modo judicium illud Synodale ſpurium fuit, & ſacrilegum, contra Joannem XII. quo vivo, Leo intruſus eſt, quo mortuo Joanne, Benedictus V. ſubrogatus eſt. Quid jam mirum ab intruſo per Othonem Pſeudopontifice, fictitium illud privilegium obrepſiſſe Othoni datum; cùm & alia à Leone illo contra Eccleſiæ auctoritatem tentata ſint, quæ ab ipſo Joanne XII.

ne XII. in publico Concilio ſtatim reſciſſa ſunt, lege Hiſtoriam Eccleſiaſticam; Gratianum decretorum collectorem verò cum quibuſdam errare, nihil novi eſt; interdum idem Privilegium re ipsâ datum fuit ab ipſis Pontificibus, ut de Carolo M. & Pipino habetur: cap. Adrianus eâdem diſt. 63. At Ludovicus id privilegium renunciavit, ut ibidem leges cap. Ego Ludovicus &c. Quapropter multi tentarunt illud repetere, de quâ Repighius lib. 3. Eccl. Hier. Præpoſitus Ultrajectinus c. 13. Palud. lib. de rep. Eccl. c. 1. Turrecremata, & alii. Tandem Adrianus ſecundus diſt. 63. cap. cum Hadria. illam electionem ſuſtulit, ex causâ, quam addit, *ne videlicet Legatis Principum exſpectandi in Electione Romanorum Præſulum mos, per hujusmodi fomitem inoleſceret.* Acquievêre poſtea Legati Imper. Ludovici, & ad ſalutandum electum etiam ipſi humiliter acceſſerunt, cap. 39. Hadrianum II. ſecutus in hoc inſtituto Adrianus III. de quo tu memoras teſte Platina, miraculo illuſtris, hos Pontifices imitatus Gregorius VII. murus ille in domo Dei, & ſudes in hæreticorum oculis, quanquam idem privilegium, ut in gloſsâ legis, quæ magni te eſt, Imperatores per abuſum perdiderint, tum etiam quia ex causâ datum fuit, quâ ceſſante, ceſſavit Privilegium.

Vide nunc, & recognoſce D. Prædicans: poteſtne Privilegium illud eſſe decretum fidei aut morúm, in quo infallibilitas ſe Pontificum collidat, quod utî ex causâ datum eſt, ita ex causâ tolli poteſt, eâdem dantis & tollentis poteſtate, & libertate, ut vel inde ſupremam cognoſcas Pontficis poteſtatem. Quis ſanæ mentis unquam immobile decretum fidei cum mobili privilegio confudit? quantus es Theologus, tantus Canoniſta, ita verò omnia privilegia Regum, ac Principum, & Comitum ab Eccleſiâ data illicò eſſent articuli Fidei, iique immu-

immutabiles, ubi jam denuò fuiſti? quæſo te, ſi tam neceſſarius eſt conſenſus Imperatoris ad Electionem Papæ, ut tu tibi fingis; quis Romanorum Imperatorum conſenſus ad electionem Pontificis, eſſe potuit trecentis illis annis? quando ſub Tyrannis ſanctiſſimi illi Pontifices, & Martyres ſunt electi, quis conſenſus ſub Juliano, Valente, cæteriſque tam gentilibus, quàm hæreticis Imperatoribus Eccleſiæ hoſtibns? quis in interregno? vacabitne idcirco ſedes Petri, dum vacat Cæſaris; apage cum iſtis deliriis.

Cæterùm Laicorum conſenſum non eſſe neceſſarium (in quo veſtra hæreſis ſe collidit) ad electionem Pontificis, diſces ex Concilio Romano, ſub Symmacho P. diſces ex ſextâ Synodo generali, & multis, quæ Gratianus diſt. 63. & 64. congeſſit, diſces ex diſt. 23. cap. in nomine Domini; electio illa ſub Gregorio VII. & Urbano Cardinalibus commiſſa; lege deinde c. 1. diſt. 77. & cap. licet exemplo, cap. ubi periculum, eodem titulo in ſextâ Clementinâ. Ne Romani, demum ex Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. Ad Canones appellaſti. Hìc tibi Canones ſiſtimus; at tu mihi totus videris Canonicus irregularis. Quid nunc inveſtitura tibi importabit? credo equidem, ſi Pontifex, aut Epiſcopus alicui Nobili aut Comiti ex juſtâ causâ jus patronatus auferat, continuò articulum Fidei ſuſtulit ex Eccleſiâ; ſanè verò tum vos Prædicantes multos fidei articulos ſuſtuliſtis, qui tot beneficia Eccleſiaſtica, cum jure Patronatus Catholicis ſubtraxiſtis. Quæ de Eleuthero, Liberio, Felice, Anaſtaſio, Honorio in alio tuo libro ſcribis, ad quem hìc lectorem remittis, tantum habent momenti, quantum hæc ipſa; ais te ejuſmodi lacimas & ſegmenta explorandi panni multa habere, utque quàm plurima habeas, non niſi ad centonem tuæ hæreſis ſpectant, & aniles fabulas.

Digitized by Google

II. Erraverint aliqui Pontifices, oſtendendum tibi erat in materiâ fidei, & morum, decretiſque ad univerſam Eccleſiam id contigiſſe. Quod non præſtas, nec unquam præſtabis.

III. Demus tibi ultrò Pontifices erraſſe etiam in materiâ fidei, & in hæreſin adeo prolapſos fuiſſe, ſed quomodo oſtendes eos, ut Pontifices erraſſe, & non potiùs ut privatos Doctores, quod Joanni XXII. accidiſſe volunt, dum animas beatorum voluit ante reſurrectionem non viſuras Deum, quanquam id tum ſentire licuit, cùm nondum definitum eſſet; imò Villanus lib. 2. Hiſt. ait Pontificem ſolùm ad inveſtigandam veritatem, hanc quæſtionem propoſuiſſe, id & D. Gregorio circa libros Machabæorum evenire potuit, de quo adeo exultas.

IV. Ut porrò erraverint in materiâ fidei, quomodo oſtendes, Pontifices illos pertinaces fuiſſe in errore; id enim Valentia negat de ullo Pontifice oſtendi poſſe, neque ullus formaliter hæreticus dicendus, niſi cum pertinaciâ errorem defendat, ut omnes Theologi ex Auguſtino oſtendunt, tum ex ratione & fundamentis Theologiæ, in quâ reſponſione inter materialem & formalem hæreticum multi Calviniſtæ & Lutherani, aliique Acatholici magnum patrocinium habent, ne continuò exiſtimes omnes Acatholicos damnationis ſententiâ à Catholicis percelli, lege Becanum. tract. de hæreſ. q. 2. & cap. 13. de Matrimon. cum Hæret. lib. 5. Map.

V. Largiamur tibi omnia fanda & infanda, poteriſne probare totam Eccleſiam cum ſuo capite & Pontifice erraſſe: hîc enim articulus tibi, dum infallibilitatem Eccleſiæ oppugnas, evertendus erat: at tu hîc oberras, & peregrinaris, ſolùmque contra ſolum Pontificem, ut Actæonis canis lacerandum occupatus es, Jeſuitaſque iteratò ſcribis Pontificis aſſentatores eſſe, cæteros Doctores Catholicos

creaturas

Digitized by Google

creituras eſſe Papæ, adeoque omnes Patres, quorum teſtimoniis ſe muniunt Catholici, omniaque Concilia, omnem denique antiquitatem & conſenſum orbis in idem aſſentationis & falſitatis crimen trahis, ut tu ſolus ſapere, imò deſipere videaris.

CAPUT VIII.

Prædicans falsò Auguſtinum introducit cum Africanâ Eccleſiâ contra infallibilitatem Eccleſiæ.

TAndem ut contra Emb. reſponſa, & contra infallibilitatem Eccleſiæ, extremum ſcenæ tuæ umbratilis plauſum aperias, *producis D. Auguſt. & Concil. Africanum cum Synodali Epiſtolâ, cui Aug. ſubſcripſerit, in hac verò Epiſtolâ accuſari Cæleſtinum Papam falſorum actorum, tum ſupremum ei judicium à PP. Africanis abjudicari, adeoque publicè explodi.* Magnum teſtimonium ſi verum eſt! ſed perquàm vereor ne hîc more tuo, non tantùm extra orbitam proſilias, ſed etiam extra horizontem ipſum peregrinari incipias.

Primò ſcribis Africanum illud Concil. fuiſſe generale; ſeptimum enim eſt: verùm erras: nam nullum ex his VII. Generale fuit, ſed nationale ſummùm, niſi per æquivocationem nationale confundas cum œcumenico; fatetur enim Bell. lib. I. c. 4. de Conc. Nationalia impropriè dici Generalia ſubinde à quibuſdam: res ipſa te convincit, ſi enim Patrum ſit tantùm Africanorum, quomodo PP. & Epiſcoporum totius orbis? quod Oecumenicum poſcit.

Secundò ſcribis Pontificem hîc acerbè perſtringi, rideri, incuſari falſitatis, demum damnari ſupremam ejus poteſtatem. Reſpondeo, omnis motus in fine velocior, ita tua inſcitia & malitia tanquam

moritura vipera extremum virus effundit; nam primò Epiſtola illa modeſtiſſima eſt, & omnis ſubmiſſionis, & reverentiæ plena erga Romanam ſedem, perinde ut S. Aug. ad cæleſtinum Papam Ep. 261. Si modò utramque legeris, appello ad ipſas Epiſtolas, quas longum eſſet inſerere. Secundò tota controverſia inter PP. Africanos & Cœleſtinum Papam non eſt de Articulo fidei, ſed de modo appellationis ad ſedem Romanam, ne videlicet Romanus Pontifex Epiſcopos & Sacerdotes à ſe judicatos, excommunicatos, & loco motos ob manifeſta crimina tam facilè admittat & reponat, *per vim aliquam, per executores clericos & typhum ſæculi*; nec ea tam prima querela fuit, quàm admonitio & informatio plenior, cum Cypriano idem obvenerit lib. 1. Ep. 3. in eadem causâ ad Stephanum Papam, præclarè verò Cypri. reſpondet Ep. 4. *Non hîc tam culpandum Pontificem, cui negligenter obreptum ſit, quàm illos ipſos Epiſcopos, & Sacerdotes, qui per malam informationem fraudulenter obrepſere.* Cæterùm ipſam appellationem nunquam oppugnarunt PP. Africani, quippe quæ in Concilio Sardicenſi ab ipſis 35. Epiſcopis Africanis cum Cæciliano Carthaginenſium Epiſcopo conditâ lege confirmata fuerat; tum ante in Concil. Nicæno, tametſi Canon ille cum aliis hæreticorum fraude, ut queritur Felix II. ſubtractus fuerit, ita Julius I. teſtatur, Athanaſius, Epiſcopi Thebaidis & Libyæ; Julii verò Epiſtolæ, teſte Lerinenſi, in Conc. Epheſino receptæ ſunt; atque id eſt, quod PP. Africani à Cæleſtino deſiderarunt; illud certum; Canonem illum in Sardicenſi reperiri, quod cùm Nicæni auctoritate celebratum ſit, hinc alii Nicænum pro Sardicenſi acceptum voluerunt. Quid igitur illa Synodi Epiſtola urget? jam dixi, modum appellationis mitigari petit; is duplex erat, vel per Legatos à latere, de quibus eadem Epiſtola meminit, & hunc Patres recu-

recuſarunt ob cauſas, vel ut Romanus Pontifex cognitionem cauſæ committeret finitimis Epiſcopis, tum ob alia; tum ut Epiſtola refert, ne teſtes per mare neceſſe ſit evocari. Quâ ſuper re, & queſti non cum Cœleſtino tantùm, ſed cum Bonifacio & Zoſimo Papâ: ad id allegant in Epiſtolâ illud: *unicuique provinciæ non defuturam gratiam Spiritus S. quâ æquitas à Chriſti Sacerdotibus, & prudenter videatur, & conſtantiſſimè retineatur*, maximè quia unicuique conceſſum eſt, ſi judicio offenſus fuerit cognitorum, ad Concilia ſuæ provinciæ, vel etiam univerſale provocare. Ubi jam falſiſſima tua proclamatio? PP. Africanos contendiſſe de aſſiſtentiâ Spiritus S. inter Romanam & Africanam Eccleſiam? cùm ſolùm dixerint confidere ſe non defuturam ſibi Spiritus S. gratiam in cognitione illarum cauſarum; atque hæc tota illa Controverſia eſt: quid jam aliud agis? niſi ut cum araneâ virus denuo exſugas, uti ex dulciſſimâ D. Aug. Epiſtolâ, quem viciſſim tantoperè Cæleſtinus dilaudat in decretis ſuis cap. 2. dummodo totum illud Concilium legas; nec aliud S. Aug. egit contra Fuſſalenſem Epiſcopum, quàm quod Africani Patres, nec aliâ modeſtiâ petiit, ne Pontifex Epiſcopi partes contra querelas civium exciperet, id nunc cuilibet Epiſcopo in Germaniâ, Galliâ, Italiâ, Hiſpaniâ, & totâ Eccleſiâ tam liberum eſt, quàm laudabile informationes dare. Cæterùm ad ipſam appellationem ad ſedem Romanam ex totâ Eccleſiâ, quod attinet, invenies in Bell. cæteriſque Scriptoribus lib. 2. de Pontif. c. 21. ex quâ ſuprema Romani Pontificis poteſtas oſtenditur manifeſtiſſimè. Igitur hæc tua quæſita criminandi cauſa & libido fuit, quæ ſi in ullâ Eccleſiæ parte ſe fatiget, tum maximè in Eccleſiæ capite, quo turbato, nullâ propiore ruinâ Eccleſia non erit Eccleſia ſuper Petram collocata: advertêre id PP. cumprimis Cyp. *Diaboli voce conſictis mendaciis*

Valent. l. 7. Anal. c. 11.

ciis adverſus ſacerdotes Dei Catholicæ unitatis concordiam rumpere conantur.

Quâ verò veritatis ſpecie S. Auguſtinum contra hanc ſedem Petri producere auſus ſis, & ab Eccleſiâ Romanâ hoc loco Africanam illam Eccleſiam avellere, ego ſanè non video; niſi ego & omnes Catholici nihil videant. Lege quæ ſcribit lib. 2. contra literas Petil. c. 51. *Cathedra quid tibi fecit Eccleſiæ Romanæ, in quâ Petrus ſedit, & in quâ hodie Anaſtaſius ſedet, quibus nos in Catholicâ unitate connectimus, & a quâ vos nefario furore ſeparaſtis. Quare appellas Cathedram peſtilentiæ, Cathedram Apoſtolicam? ſi propter homines, quos putas legem loqui, & non facere; nunquid Dominus IESUS CHRISTUS propter Phariſæos, de quibus dixit: dicunt & non faciunt; Cathedræ, in quâ ſedebant, ullam injuriam fecit? nonne illam Cathedram Moyſi commendavit? & illos tamen ſervato Cathedræ honore redarguit? ait enim ſuper Cathedram Moyſis ſedent, quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Hæc ſi cogitaretis, non propter homines, quos infamatis, blaſphemaretis Cathedram Apoſtolicam, cui non communicatis. Quare vos propter eos, quos iſtis ſive juſtè, ſive injuſtè comparatis, Cathedram Apoſtolicam blaſphematis.* Hæc Auguſt. & ita Auguſtinus, ut neſciam, quomodo te, & tuos cum antiquis hæreticis Pontificis errores & vitia criminantes, vivo magis colore repræſentare poſſit.

Quæ in Epiſt. 165. memorat, eòdem ſpectant; *Si enim ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium obſervandus eſt, quanto certius & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait; ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non prævalebunt adverſus eam: Petro enim ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus &c.* atque ita omnes ordine Pontifices percenſet ad Anaſtaſium ſui tum temporis.

Subjun-

Subjungit ad calumnias veſtras occupandas; *In illum ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro, uſque ad Anaſtaſium, qui nunc eandem Cathedram ſedet, etiamſi quiſquam traditor per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil præjudicaret Eccleſiæ, & innocentibus Chriſtianis.* Quæ in Auguſtino legis de Anaſtaſio, eadem legis de Innocentio Anaſtaſii ſucceſſore, & Zoſimo, de Bonifacio, de Cæleſtino Pontifice, ſub quibus vixit, aut certè parum in Auguſtino verſatus es. Eadem PP. Africanorum cum Pontifice conſenſio fuit. Lege ex Aug. Epiſtolas PP. Carthaginenſium ad Innocentium & Innocentii reſponſiones tom. 2. Aug. Lege Epiſt. 92. in quâ Aug. cum Epiſcopis Milevetani Conc. ad Innocentii ſubſidium & patrocinium ſubmiſsè appellat. Eadem ferè de Zoſimo & Bonifacio Papâ, cui lib. inſcripſit contra 2. Epiſtolas Pelag. & quid in toto Auguſtino aliud legitur? quàm cum Romanâ Eccleſiâ & Pontifice, eadem fides, & conſpiratio; ut mirum ſit, quid tibi in mentem venire potuerit Auguſtinum & Africanam Eccleſiam ab Romanâ ſeparare, aut quem non tædeat in illâ veritatis luce cum caliginoſo aut maligno Prædicante luctari velle; id ſi tu in civibus tuis Leidenſibus perſuadere poſſis, etiam Hieronymum, Ambroſium, Optatum Milevitanum, & omnes ſuperiorum ſæculorum Patres extra omnem Eccleſiam in imaginariâ aliquâ Eccleſiâ collocare poteris, cùm omnes illi Patres & Concilia Africana, contra Donatiſtas & Pelagianos, & tot hæreſes ad unicam Romanam Eccleſiam, ut ſupremum & infallibile judicium, & aſylum appellarint. Quæ cauſa fuit quare PP. Embric. tibi illud S. Auguſtini lib. 1. de Symb. c. 6. ante oculos conſtituerint.

Ipſa eſt Eccleſia ſancta, Eccleſia Catholica, contra omnes hæreſes pugnans, pugnari poteſt, expugnari non poteſt. Hæreſes omnes de illâ exierunt tanquam ſar-

ſarmenta inutilia de vite præciſa, ipſa autem manet in radice ſuâ, in vite ſuâ, in caritate ſuâ; portæ inferorum non vincent eam.

Quid hîc Cabeljavius reſpondet Embricenſibus, Aug. inquit, non loquitur de Eccleſiâ Romanâ. ô te ignorantem; aut impoſterem populi! Dic tu ergo Prædicans, de quá Eccleſiâ loquitur, quæ præter Romanam ab illo Catholica ſit appellata, non Donatiſtarum, non Pelagianorum, non Manichæorum, non Arianorum, non aliorum Hæreticorum, nam illas nefas illi erat Catholicas nominare, etſi nomen illud ſibi vendicare vellent, ut in poſtremo teſtimonio advertes. Quænam ergo alia ſupereſt? aut ſupereſſe fingi poteſt? nunquidnam de illâ Eccleſiâ loquitur, in quâ recenſet Pontifices Romanos in Romanâ Cathedrâ à Petro, Lino, Clemente, Anacleto, Evariſto, Alexandro, Sixto, Theleſphoro, Igino, Aniceto, ad Damaſum uſque Siricium & Anaſtaſium Ep. 165. in quâ deinde ejus ætate conſecutus Innocentius, Zoſimus, Bonifacius, Cæleſtinus Papa, ad quos tot libros & epiſtolas deſtinavit, & appellationes. Poteriſne ullum Epiſcopum, aut Sacerdotem alterius Eccleſiæ nominare vel ſomniare, quorum communionem fidei coluerit, cùm omnes ejus ſæculi hæreſes oppugnarit; ita proinde ſentias, & profitearis neceſſe eſt, in eâ Catholicâ & Romanâ Eccleſiâ, & hæreſes oppugnaſſe S. Auguſtinum, & fidem ſuam cum tanto totius orbis ſplendore explicuiſſe; in quâ ab Ambroſio baptizatus, in què conſecratus Sacerdos, & Epiſcopus; in quâ cum Hieronymo, & omnibus illius fulgidi ſæculi Patribus hæreſes expugnavit. Recollige te igitur paululum ex profundo illo ſomno, quando ſcribis Auguſtinum nec ſtetiſſe, nec ſenſiſſe cum Romano Pontifice & Romanâ Eccleſiâ. Quæ in Auguſtino tibi monſtrant Catholici, eadem reperies in Cypriano, Optato Milevitano, & totius Africæ Epiſcopis Catholicis & Con-

& Conciliis. Audi denuo Auguſtinum lib. contra Epiſt. Fund. c. 4. de Catholicâ Eccleſiâ & Romanâ differentem. *Multa ſunt, quæ in ejus gremio me tenent, tenet conſenſio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, caritate aucta, vetuſtate firmata, tenet ab ipsâ ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit uſque ad præſentem Epiſcopatum, ſucceſſio Sacerdotum: tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſâ inter multas hæreſes, ſic iſta ſola obtinet, ut cum omnes hæretici ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Caoholicam conveniatur, nullus hæreticorum, vel Baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere.* Quid hîc denuo legis, niſi Catholicam Eccleſiam & Petri ſedem, eandem eſſe Eccleſiam in ſucceſſione Romanorum Pontificum; de quâ Cathedrâ Petri ſupra Auguſtinus cum ſuis inquit: *Cui nos in unitate connectimur.* Quid jam exſpectabimus hîc à Cabeljavio in evidentiſſimis illis teſtimoniis? videlicet nihil tàm evidens adferri poſſe, quod aut negari, aut torqueri aliò non poſſit, ut ipſum Auguſtinum dicat, non ſciſſe, in quâ Eccleſiâ fuerit & docuerit, ipſumque Auguſtinum extra Auguſtinum quæramus in Cabeljavio. Scripſit Chryſoſtomus. *Convinci poſſe hæreticos, ſed non ſanari*: Nihil aliud hîc exſpectandum; ſcripſit idem Chryſoſtomus. *Facilius Solem obſcurari poſſe quàm Eccleſiam*; nihil hoc ſæculo magis deplorandum, quàm Catholicam Eccleſiam, in illo Solis fulgore tot populorum, atque gentium lumine, ita modo interfuſis Prædicantum nebulis obſcurari poſſe, ut à multis populis nec videri, nec inveniri poſſit. *Cæteram turbam* (inquit Auguſt. c. 3. contra Epiſt. fund.) *non intelligendi vivacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimam facit.* Modò in Catholicâ ſint

de

de quâ loquitur Eccleſiâ. De Prædicantibus verò quid ſtatues? His à Nazianz. reſponſum eſt Oratione 21. *Plebeis hominibus, qui per errorem id admiſerint, ignoſcendum fortaſſe fuerit; at Doctori quo modo id concedemus? ſi enim Leges Romanas in Repub. Rom. nemini ita ignorare licuit, ut ſi delinqueret contra eas, quin publicæ pœnæ & ſupplicio obnoxius eſſet. Chriſti legem & Eccleſiam quomodo ignorare licebit?*

Laertius. Gellius. Animadverto in hac tuâ controverſiâ, perinde ut in aliis, non tàm Theologum te agere, quàm ſcepticum Philoſophum, qui omnia quærunt, & nihil inveniunt, qui omnia in dubium vocant, & nihil reſolvunt. Hę atheiſmi proluſiones ſunt, quales in Angliâ partus excluſi, & jam multorum Libertinorum ſpiritus per mare demigrare viſus eſt; eòque multi per veſtram illam agitationem adducti ſunt, ut nec Catholici ſint, nec Lutherani, nec Reformati, nec ulli certæ ſectæ hærere poſſint, rati ſatis ſibi eſſe ad ſalutem, utî ajunt, modò unum Deum credant. Cætera eſſe myſteria tot Prædicantum & Scriptorum ſcrupulis & dubiis percuſſa implicataque ut humano ingenio nemo evolvere poſſit, & ſublato judice Controverſiarum, quilibet privatum ſpiritum ſuum Judicem omnium ſubrogare poſſit. Hunc accedit quod ubi, & apud quos vera Eccleſia in tanta ſectarum varietate, & novitate invenienda ſit, nulla ſecta præ aliis certius & evidentius oſtendere poſſit: *Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes, homines corrupti mente, reprobi circa fidem; ſed ultra non proficient; inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus.* Tim. c. 3.

Atque hæc tota illa diſputatio eſt cum PP. Emb. quam tàm inani, falſoque triumpho tui libelli per Hollandiam & Cliviam ultrò ſparſiſti; ex quibus tres tantùm delibaſti, videlicet de Lege Canone & in-

& infallibilitate, uno alterove elumbi Syllogiſmo, tàm frigide & perturbatè, ut non tàm diſputationis quàm plebei colloquii nomen mereatur. De Prædeſtinatione ac cæteris Controverſiis ne verbum quidem moviſti, ſed ſcripto ad quæſita, ut ais Gen. Comitis. & proinde reliqua utì hîc ordine ſunt digeſta à me, ad literas & reſcriptum P. Embricenſis adjeciſti, & quoquo modo potuiſti, ita veſtiviſti, ut ſpecies aliqua diſputationis tandem appareret, ad popularem jactantiam magis quæſita, quàm veritatis cognitionem.

CONTROVERSIA V.

De Præſentiâ Chriſti in Euchariſtiâ & Tranſubſtantiatione.

CAPUT I.

Incerta Calvini, & certa Catholici profeſſio, de præſentiâ Chriſti in Euchariſtiâ.

VUlgatiſſima hujus ſæculi controverſia de pręſentiâ Corporis Chriſti in Euchariſtiâ, tàm inter Sacram. & Catholicos, quàm inter Calviniſtas & Lutheranos; quos poſtremos multi, inter quos Bergius, conciliare conati. Verùm tàm ἀδύνατον illud concordiæ opus aggreſſus eſt, quàm ineluctabilis ἀντιλογία eſt, Chriſtum eſſe præſentem verè, realiter, & ſubſtantialiter, & non eſſe ita præſentem. Contradictoria enim ſunt, quæ inviolabili naturæ lege nec ſimul vera, nec ſimul falſa eſſe poſſunt. *lib. de verâ & ſalvif. commun.*

Facilis Lutheranos inter & Catholicos concordia coaleſceret, quoad hoc ſacramentum, ſi de communione ſub utrâq; tranſigeretur, quæ modum tantùm diſpenſandi ſacramentum, non ipſam ſubſtantiam ſacramenti attingit; utî omnes Catholicorum Theologi fatentur. Jam verò inter Sacramentarios, & Calviniſtas ex unâ parte; interque Catholicos & Lutheranos ex alterâ parte, inſanabile vulnus eſt, niſi pars altera omiſſo errore alteri accedat. Calvinus ut hoc vulnus obtegeret totus lubricus, & quinque palliis involutus oberrat, antequam ad Cœnam accedat. Primùm enim docet in hoc Sacramento nuda ſymbola eſſe & ſigna corporis & ſanguinis ſui; utî imago Avorum, & Proavorum, pro ipſis Avis & Proavis collocatur. Atque illud Sacramentariorum eſt pallium.

Secundò quaſi totus à ſe rurſum abiret, veram & realem præſentiam docet c. 26. in Matth. *Verè in cœnâ datur nobis corpus Chriſti, ut ſit animis noſtris in cibum ſalutarem; hoc eſt: Subſtantiâ corporis paſcuntur animæ noſtræ.* infra. *Non ergo vacuum & inane ſignum nobis proponitur. Sed verè Carnis & Sanguinis Chriſti fiunt participes.* Eadem ſcribit lib. 4. Inſtit. c. 17. §. 5. planiſſimè §. 32. *In ſacrâ ſuâ cœnâ jubet me ſub ſpeciebus panis, & vini corpus & ſanguinem ſuum ſumere*, in c. 11. ad Corinth. 1. *Chriſtus viſibile illud ſignum nobis porrigendo, unà dat etiam nobis ſuum corpus.* In lib. de Cœnâ Domini: *Neceſſe eſt nos in cœnâ verê corpus & ſanguinem Chriſti recipere.* infra verò.

Intelligimus nobis Chriſtum in cœnâ veram, propriamque corporis & ſanguinis ſui ſubſtantiam donare. Atque hoc Catholicum eſt pallium, & quis in illâ profeſſione Calvinum, non Catholicum juraret.

Tertiò rurſus aliud ſchema ſumit, lib. 4. Inſtit. c. 17. §. 7. §. 10. §. 32. ait enim, *non poſſe ingenio humano comprehendi, quomodo illa conjunctio fiat in Eucha-*

Euchariſtiâ. Solâque fide credendum. Hoc verò ſcepticum eſt pallium & dubitantium involucrum. Eadem Beza de re ſacr. q. 9.

Quartò in eodem lib. Inſt. c. 17. §. 12. & 32. *Non ipſum corpus, ſed vim quandam ſubſtantialem ex Chriſti carne ad nos demanare, veluti per influentem canalem.* Hoc Philoſophicum & Pythagoricum eſt indumentum, per ingenii luſum, perinde ſi particula divinæ auræ abſiſteret.

Quintò docet lib. 4. Inſt. c. 17. §. 5. & 31. *Communicationem illam, ſive corporis, ſive virtutis ſit, per ſolam fidem apprehendi; ſicuti apprehenditur Chriſtus in cœlo exiſtens:* atque hîc nullum myſterium nullum miraculum, nulla intelligendi difficultas. Quid illud niſi profanum plebis eſt pallium? hic te Cabeljavi primùm fluctuantem Calvinum in certo aliquo portu, aut anchorâ oportebat collocare, antequam ex Catholicis Catholicos oppugnares. Quòd ſi ab ortu hujus hæreſis, & ſæculi omnes inter ſe diſcrepantes ſententias percenſeas ſuper his ſolùm planiſſimis Chriſti verbis: *Hoc eſt corpus meum*; ſupra octoginta quatuor invenies apud Claud. de Sainctes Epiſcopum Eboracenſem, quas in tabulâ exhibet Adamus Contz. q. 5. in c. 26. Matt. Anno Chriſti 1577. prodiit libellus, in quo ducentæ hæreticorum pugnantes ſententiæ numerantur, ſuper his paucis verbis: *Hoc eſt corpus meum*: è quibus Lutherum ſuo ævo decem jam tum ſe diſcerpentes deprehendit. Quomodo nunc Prædicans ex tantâ hæreſis diſcordiâ Catholicos cumprimis Jeſuitarum Theologos ad ſuæ ſectæ concordiam invitare audet, ibique polliceri quietem, ubi extrema perturbatio eſt, ibi ſalutis velle portum oſtendere, ubi tot animarum in hoc unico Euripo conſpicimus naufragia. Philaſtrio nobis, aut Damaſceno opus eſſet, qui de centum hæreſibus rurſum ſcriberet. Et verò quis prudens, ſepoſitis etiam tan-

Digitized by Google

tiſper Fidei principiis, uni ex centum illis veſtris hæreſibus ſe committere poſſet, quas ex tantâ hujus ſæculi novitate, varietate & inſaniendi libidine recens denuò notas, & olim in antiquis hæreticis per publica Conciliorum, & totius Eccleſiæ decreta, & anathemata damnatas videt.

Quàm longè alia ratio & facies eſt, ſi quis Catholicam doctrinam de veritate & præſentiâ Chriſti in Euchariſtiâ aſpiciat, in illâ tot gentium & populorum antiquitate, concordiâ, & judicio planiſſimo ex planiſſimis Chriſti verbis: *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus:* & ne cuiquam dubium ſit Chriſtum loqui de vero corpore & ſanguine, addit, *Quod pro vobis datur, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum*, ex quo tale argumentum emergit:

Luc. 22. Matt. 26. Mar. 14. Cor. 11.

Quidquid hîc pro vobis effuſum dicitur in remiſſionem peccatorum fuit verus ſanguis Chriſti & non vinum:

Sed illud exiſtens in calice fuit illud effuſum in remiſſionem peccatorum: Ergo illud exiſtens in calice fuit verus Chriſti ſanguis, & non vinum.

Major per ſe clara eſt; non enim vinum potuit pro nobis fundi in remiſſionem peccatorum; ſed Chriſti ſanguis. Quò & illud referas 1 Pet. 1. v. 19. Rom. 3. v. 14. Joan. 1. c. 1. v. 7. Apoc. 1. v. 5. aliaque plura loca. Minor probatur ex verbis Lucæ 22. *Hic eſt calix novum Teſtamentum in Sanguine meo, qui pro vobis effundetur,* nempe in remiſſionem peccatorum, ut Matth. dicit; agi enim hîc de effuſione, quâ ſanguis Chriſti in pretium redemptionis effuſus eſt, per ſe clarum eſt, nec hæretici negant. Vide nunc Cabeljavi, quid concluſio importet. Secundò ſicut pronomen hoc non aliud hîc demonſtrat, quàm corpus Chriſti non panem, ut præter omnes Theologos oſtendit Vaſquez, Suarez, Bell. in quo evidentiſſima, & inconcuſſa Catholicorum veri-

Digitized by Google

veritatis ratio eſt: ita pronomen hic non vinum, ſed ſanguinem demonſtrat, utî ex Græco textu apertiſſimum eſt τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. ubi participium ἐκχυνόμενον non jungitur cum ſanguine ſed calice, ita ut S. Lucas dicat Calicem pro nobis effuſum eſſe, non vas ipſum, aut vinum; neutrum enim potuit pro ſalute noſtrâ effundi; ſed ſanguinem Chriſti; ſed queritur Cabeljavius hoc argumentum, tàm obſcurè poni à Catholicis, ut nemo vim argumenti percipere poſſit. Illuminemus ergo Prædicantem, vel ex ſuis conceſſis. Docet enim calicem accipi figuratè; at quæ alia figura quàm Metonymia? id eſt continens pro contento: vel ergo contentum fuit vinum effuſum, vel ſanguis: non vinum; id enim blaſphemum eſt, ergo ſanguis, quod Catholicum eſt; hinc & additur calix in ſanguine meo, ſeu calix ſanguinis mei. Repeto igitur ſyllogiſmum, ſed expoſitorium, ut clarius videat: *Effuſum in remiſſionem peccatorum fuit ſanguis Chriſti, & non vinum, effuſum illud fuit contentum in calice.* Ergo *contentum in calice fuit ſanguis Chriſti, & non vinum.* Beza cùm acutius vim argumenti penetraret quàm Cabeljavius, videretque deinde in omnibus antiquis codicibus ita ſcriptum, nihil aliud habuit, quod reſponderet, quam textum eſſe corruptum, aut non integrum, atqui ipſe primùm corrupit, ſcribendo ἐν τῷ αἵματί μου τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ. Ad citata loca adde Joannis 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Cibus, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vitâ.* Quis non videt hîc promitti, quod in cœnâ poſt dedit, *Accipite & comedite. Hoc eſt corpus meum.* Ex hoc eodem cap. Joan. 6. Veritatem hanc probat. Conc. Eph. VII. Synod. Concil. Cabilonenſe. II. c. 46. & Trident. ſeſſ. 13. tum

Digitized by Google

SS. PP. quos citat Suarez longo ſerie, demum Eccleſia, quæ hoc Evangelium legit feſto corporis Chriſti.

Ad hanc verborum claritatem accedit regula S. Auguſtini, in hac etiam propoſitione ab omnibus Theologis, & totius judicio Eccleſiæ Catholicæ recepta; ſcripturam in proprio ſenſu accipiendam eſſe, niſi aut alius locus, aut manifeſta abſurditas nos ad aliud cogat.

Hîc, ut Cabeljavius ictum & judicium orbis declinet, opponit Cajetanum, fatetur Suarez, diſputat. 46. ſect. 3. Köning q. 75. art. 1. Cajetanum docuiſſe, non poſſe ex verbis: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*, manifeſtè ſatis realem præſentiam demonſtrari; verùm reſpondet verba hæc Cajetani à Pio V. in Romanâ editione expuncta eſſe; ut verò aliis Evangeliſtis ejus explicatio utcunque accommodari poſſit (quod tamen falſum eſt) apertè tamen adductis Lucæ verbis repugnare. Sed dixerit hoc Cajetanus, nihil id nos movet; ſunt alia Cajetani, quæ cenſuram experta ſunt, inter quæ, nullum eſſe præceptum præmittendi confeſſionem mortalis ante Euchariſtiam, qui error à Tridentino damnatus, cætera expedit Vaſq. diſput. 207. non ſine graviſſimâ cenſurâ. Cæterùm Cajetanus nunquam præſentiam Chriſti in Euchariſtiâ negavit, neque tranſubſtantiationem.

Id ut videas, recitabo tibi verba Cajetani ex venetâ editione Anni 1593. ad q. 75. D. Thom. articul 1. *Habemus igitur* (inquit Cajetanus) *ex veritate verborum Domini in ſenſu proprio Corpus Chriſti veraciter in Euchariſtiâ, & hoc eſt primum, quod ex Evangelio habemus, circa hoc Sacramentum; alterum autem, quod Evangelium non explicavit, expreſſè ab Eccleſiâ accepimus, ſcilicet converſionem panis in corpus Chriſti: Hanc enim non ſolùm à priſcis Doctoribus Eccleſiæ habuimus, quos habes de conſec. diſt. 2.*

copioſè

copioſè, *& à Magiſtro ſententiarum in tract. de Eucharistiâ diffuſè; ſed à Concilio Lateranenſi, ſub Innocentio III. ut patet de ſummâ Trinitat. ubi utrumque ſimul dicitur ſub his verbis: videlicet præſentia & converſio*, quas duas novitates perquàm mirabiles appellat & perſequitur, ut nullum Cabeljavio dubium de Cajetano Catholico relinqui poſſit; ſi modò ipſe legat, nec ab aliis ſcribentibus falli ſe ultrò ſinat, ut alios ultra fallat.

Cæterùm ad explicatiſſima Chriſti verba accedit infallibilis Eccleſiæ auctoritas, & antiquitas ab ipſo exordio Eccleſiæ; figurarum ex agno Paſchali & mannâ multò eminentius impleta veritas; Conciliorum decreta, quibus Berengarius, aliique Hæretici toties condemnati ſunt: Miraculorum teſtimonia, de quibus Suarez ſect. v. Bellarm. & tot Scriptores: Patrum tàm Græcorum, quàm Latinorum conſenſus, perpetua Eccleſiæ traditio; praxis omnium Eccleſiarum, orbis conſenſus, jus Canonicum; ratio evidens ex ſapientiâ, bonitate, potentiâ Dei; & caritate, quam Theologi & Aſcetici proſequuntur; demùm omnia fidei & antiquitatis monumenta; quid enim Paſtophoria, & tabernacula? quid ciboria? quid lumina noctedieque ardentia? quid altaria? ſacrificia & ſacerdotium, veſtes & vaſa? quid ſupremus Religionis & Adorationis cultus huic Sacramento ſemper ab Epiſcopis, Sacerdotibus, religioſis Imperatoribus, Regibus, & toto populo Chriſtianorum delatus, verbo, omnia quæ fidem Chriſtiano homini facere poſſunt, ad hujus myſterii veritatem concurrunt. Interim Prædicans clamat, nihil in mundo reperiri poſſe, quod hanc veritatem ulli vel in ſpeciem perſuadere poſſit, nos cum S. Ambroſio dicimus, *Quantis exemplis utimur, ut probemus, non hoc eſſe, quod natura formavit, ſed quod benedictio conſecravit*; ut nemo jam aliud judicare poſſit, vel Prædicantem inſa-

lib. 4. de i qu. init. c.

Digitized by Google

inſanire, vel totum orbem Chriſtianum inſaniiſſe, quando ab unâ idololatriâ multò fœdius ad aliam idololatriam & artolatriam ſe converti ſivit. Quid enim intereſt, ſive Solem cum Perſis adorem? ſive panem cum Catholicis pro Deo adorem; ſi merus
n 697. ſit panis quod adoratur. Supereſt hodie dum Embricæ arca, ſive Hierotheca ab ipſo Sergio Pontifice S. Willebrordo donata, & inauratis laminis obducta, cùm Epiſcopus Romæ conſecraretur, & primus Apoſtolus ad veſtras Provincias ultrajectum deſtinaretur; in eâ poſt conſecrata à S. Willebrordo Hoſtia ad noſtra uſque tempora incorrupta permanſit, donec hæreſi veſtra urbem ingreſsâ, cœpit videri corruptioni obnoxia; quæ res Saſboudum Archiepiſcopum movit, ut eam ſumendo injuriis ſubtraheret; perinde ſi veritas falſitatem, & Chriſti in Eccleſiâ præſentia veſtram ſimul ferre non poſſet.

Eò jam nos fidem noſtram, majorumque veſtrorum referimus; vos ſi in veſtrâ fide appelletis ad majorum teſtimonia, & patronos hujus doctrinæ, non ad alios nos remittitis, quàm ad *Ioannem quendam, Erigenam Scotum* in Concilio Vercellenſi damnatum. Deinde ad *Bertramum*, tempore Caroli Craſſi Anno 880. à Paſchaſio egregiè confutatum; tum ad *Berengarium* ab Anno Chriſti M L. in tot Conciliis damnatum, qui primò hæreſin hanc è latibulis in publicum protraxit. Ad hos præcipuos hæreticos Cabeljavius in Mantiſsâ ſuâ ſe revocat. Pręclara antiquitas! quis ante illos? in latinâ Eccleſiâ nullus. In Græcâ ii, qui negatâ incarnatione, non niſi indirectè hanc veritatem negarunt, de quibus S. Ignati dictum apud Theodoretum; *Eucharistias & oblationes non admittunt, eò quòd non confiteantur Eucharistiam eſſe Carnem Salvatoris.* Ergo benè Hilar. lib. 6. de Trinit. *Tardè mihi hos Doctores ætas ſæculi hujus protulit.* Quos nec Cyprianus, nec

Auguſt,

Auguſt. nec Ambr. nec Hieronym. nec ullus ex priſcis illis Patribus inter quinque prima ſæcula noſſe potuit: ex hac tamen periodo ſæculorum pura & intaminata fides judice Cabeljavio poſtulanda eſt, nullus Doctor Reformatus apparuit, niſi Marcion exagitatus à Tertulliano, Berengarium, qui vivus convictuſque hanc hæreſin toties ejuravit, & demùm mortuus deploravit; ſecuti ſunt Petro-Druſiani, Albigenſes, Flagellantes, Waldenſes, Wiclefiſtæ, & pars Huſſitarum, poſtremùm Carolſtadius Lutheri primus Diſcipulus, Oecolampadius & Zwinglius Sacramentariorum Principes. Hæc illa demum veſtra Genialogia interrupta, imò toties rupta ſucceſſio, hæc falſitatis in causâ veritatis quæſita appellatio, & mundi deceptio, ut in magno pietatis myſterio, magnum iniquitatis operetur miniſterium, donec veniat juge aboliturus Sacrificium. *1 Tim. 3. Dan. 8. 11. 12.* At quis non ingemiſcat tàm nobilem Hollandiæ populum ab avitâ fide Majorum, & Catholicâ Eccleſiâ à ſæculo abductum, remitti ad damnatos Hæreticos, üt ibi fidem quærant & Eccleſiam, ubi nunquam vera fides & Eccleſia fuit; quot enim nomina legis, Huſſitarum, Wiclefiſtarum, Waldenſium, Flagellantium, Albigenſium, Berengarianorum, tot ſectas in ſe Eccleſias legis, ut nulla ſit Eccleſia, in multis Eccleſiis, quia ſolùm una eſt Catholica Eccleſia. Quæ ergo Prædicantis dementia? Eccleſiam ab ortu Solis uſque ad occaſum ſemper fulgentiſſimam deſerere, & in his ſectis populo veritatem Euchariſtiæ oſtendere velle.

CAPUT II.

De Tranſubſtantatione ſeu Converſione Panis & Vini in corpus & ſanguinem Chriſti.

HÆc altera, & ſecundaria Controverſia eſt de Euchariſtiá longè diverſa à primâ, ut res ipſa loquitur. Siquidem Lutherani præſentiam Chriſti in hoc Sacramento cum Catholicis contra Sacramentarios docent, ipſam tamen converſionem cum Catholicis non tenent. Deinde Catholici, qui ſe in hac converſione citra fidei jacturam colliſerunt, nunquam tamen ipſam Præſentiam negarunt, atque adeò ipſam tranſubſtantiationem: & quomodo negarent, tanti vini cum Eccleſiæ definitionem ſcirent; ſed id diſputarunt, an ex verbis Chriſti ea Converſio expreſsè deduci poſſet, qui veritatem nihilominus verborum de præſentiâ Chriſti, & demonſtrationem per pronomen conſiſtere poſſe ſenſerunt, etſi illa tranſmutatio non fieret, quæ fit, & nunc ſatis eſt ab Eccleſiâ declarata. Quocirca aut callidè aut imperitè Prædicans Leidenſis hæc ita populo miſcet, perinde ſi negato uno, directè alterius negatio ſequeretur, quod eſt falſum ut oſtendi. Hinc Sanctus Thomas, & omnes Theologi has queſtiones ita ordine ponunt. Primò an Chriſtus verè ſit præſens; Secundò an in hoc Sacramento maneat ſubſtantia panis & vini, tum alias ordine; ac tametſi hæc Controverſia communis ſit Lutheranis cum Calviniſtis, cum utrique ſubſtantiam panis manere aſtruant; à Cabeljavio tamen, tanquam Sacramentario, & Calviniſtâ exſpectarunt Embricenſes, ut apertè in pugnam de præſentiá Chriſti (quæ propria eſt Sacramentariornm) prodiret: verùm in hâc ſecundâ Controverſiâ aliquid in ſpeciem

ciem fortè plauſibilius invenit, quod populo proponeret; perinde, utî Diſcipuli Berengarii convicti in primâ Controverſiâ ad hanc ſecundam confugére, aſſerentes hanc ſubtiliorem Berengarii fuiſſe Doctrinam. Interim omnia argumenta ex figuris, ratione & ſenſuum experimento ad hanc Controverſiam Prædicans devolvit, quibus præſentia ipſa oppugnari ſolet.

Secundò Prædicans proclamat, hîc nihil opus eſſe loqui de terminis, & de ipſo Tranſubſtantiationis nomine, hæc enim nota & clara eſſe: ita verò id Civibus, nautis & opificibus, quibus ſcribis, clarum eſt: fruſtra ergo Theologi tàm multa de Converſione diſputant & explanant: utî Suarez hîc ſect. 2. fruſtra Jeſuitarum Doctores ea nobis ad calamum dictant, diſputanda & diſquirenda primùm, antequam rem ipſam aggrediamur. Itane apud vos naſcuntur Philoſophi & Theologi in Sutorum officinis, ac mercatorum tabernis? ego ut veriùs loquar, credo te ipſum non intelligere, quid Converſio requirat.

Tertiò. Prædicans ſuum judicium pronunciat in reſponſione ad PP. Embr. doctrinam de Tranſubſtantiatione eſſe novam, incognitam antiquis Patribus rectè ſentientibus, ac per fraudes, violentiam & mentiendi libidinem introductam & obtruſam; nec ſe poſſe comprehendere, quomodo in hanc dementiam quiſquam abripi poſſit. Cùm totus Bellarminus hîc à Reformatorum Scriptoribus ſit confutatus: de D. Thomâ & priſcis Theologis, de Vaſquez, Suarez, Valentiâ; cæteriſque nihil: ſed Bellarminus eſt refutatus. Quomodo? ſicut Cabeljavius ſomniat. Bellarminum, crede, nulla hæreſis refutabit, quem ipſa veritas tuetur. Si Bell. non ſufficit, lege innumeros alios.

Audax ergo & inſanum judicium plebei Prædicantis, quod non magis Theologos movet, quàm

Joannis

Digitized by Google

Joannis Leidenſis Sartorculi, Anabaptiſtarum inſanientis Reguli, qui ab eodem Berengario Pædobaptiſmi hæreſin ſuam hauſit, à quo ſuam de cœnâ Cabeljavius: rem paucis delibemus.

Origo hæreſis contra Tranſubſtantiationem.

Berengarius omnium harum ſectarum parens, quatuor errores docuit: primò parvulos non eſſe baptizandos, utî Guitmundus ſcribit lib. 1. contra Berengarium, & in hoc errore Anabaptiſtarum Patriarcha fuit. Secundò docuit corpus Chriſti non aliter eſſe in Euchariſtiâ, quàm ut res ſignificata in ſigno. utî Guitmundus, Landfrancus, Algerus, & Scriptores ejus ſæculi teſtantur, ob quam hæreſin in tot Conciliis damnatus tertiùm etiam Palinodiam cecinit, atque in hoc Sacramentariorum & tuus Pater fuit. Tertiò docuit corpus Chriſti eſſe quidem verè in Euchariſtiâ, ſed ſimul cum pane & vino, & in hoc Lutheranorum auctor fuit; verùm & hanc hæreſin convictus in Conc. Romano, ſub Gregorio VII. retractavit, & tranſubſtantiationem panis in corpus Chriſti admiſit. Quartò docuit legitima matrimonia poſſe diſſolvi. Hoc dogma omnibus hujus ſæculi hæreticis commune fecit. Cæteris omiſſis, quantùm ad Tranſubſtantiationem, de quâ nunc agimus; etſi ab ipſo retractata ſit. Diſcipuli tamen ejus convicti de negatâ præſentiâ hanc alterani doctrinam de Tranſubſtantiatione excepêre ac diſtulêre, unde *Impanatores* dicti ſunt, teſte Guitmundo: aſſerentes hanc ſubtiliorem Berengarii fuiſſe mentem, & minus incommodam. Hos ſecutus Valerianus, de quo Waldenſis tom. 2. de Sacram. c. 65. Demùm Lutherani: inde *Impanatio* Lutheranorum, qui ajunt, Chriſtum eſſe ſub pane, cum pane, & in pane. Quomodo jam nova, & obtruſa Catholicorum doctrina, quam Eccleſia illicò, ubi hæc hæreſis orta fuit, per tot Concilia, Epiſcopos, Doctores, & Scriptores defendit ex antiquâ

tiquâ Eccleſiæ doctrinâ, & SS. PP. ſcriptis, & in ſuâ poſſeſſione antiquitatis, & traditione inviolatam relinqui voluit, & ſanxit. Noſtra ergo doctrina ab Apoſtolis traducta veriſſima & vetuſtiſſima eſt: veſtra in reſuſcitato Berengario nova, inſolens & incredibilis; utî in hac Berengarii hæreſi, ita in reliquis; cumprimis de negatâ præſentiâ Chriſti in Euchariſtiâ multò deteſtabilior, etiam ipſis Lutheranis nobiſcum ſentientibus, quorum conſcientia integrior nunquam ſe eò abripi ſivit, adeoque in ipsâ Auguſtanâ Confeſſione Carolo V. Imperatori oblata, tranſubſtantiationem non excluſerunt. Teſtantur id Andræas Fabricius & Lindanus ex Germanico autographo; Chriſtumque ſub ſpeciebus panis & vini præſentem aſſeruerunt, aut certè diſſimularunt: quo factum eſt, ut Catholici hanc propoſitionem admiſerint, ſolùmque clariorem explanationem deſiderarint, idque à Lutheranis admiſſum agnovére Heshuſius Lutheranus & Zanchius Calviniſta. Quamvis Melanthon poſtea in apologiâ per fraudem ſcripſerit Catholicos approbaſſe cum pane & vino exhiberi corpus & ſanguinem Chriſti: ſed nunc paucis.

Quibus argumentis & firmamentis ſua cauſa Catholici probent Tranſubſtantiationem.

Cabeljavius, poſtquam hoc ipſum Catholicorum dogma, ut novum, ut priſcis incognitum, ut per vim obtruſum & per mundi inſaniam nobis perſuaſum falſiſſimè ſcripſerat, probationem poſcit; cui non inſolens illud ab inſolente homine videri poteſt? Itane inter tot ſæculi hujus Scriptores, & Doctores; interque innumerabiles libros id demùm ab Embricenſibus expetitur? quis adeò Theologus cum D. Thomâ Euchariſtiam tractat, ut id non pertractet? & verò quæ probatio, ſeu quo potius jure ea à Catholicis poſcitur, cùm illi continuam poſ-

[illegible] tot à Chriſto & Apoſtolis ſæculorum [illegible], ex quâ Berengarius primùm exturbare Eccleſiam voluit, homo indoctus, ſed gloriæ cupidiſſimus; ad hujus machinas tota Eccleſia cum tot conciliis [illegible], & murum ſe oppoſuit.

I. Ergo [illegible] avitæ fidei dilucidè oſtendunt ex Conciliis. Quorum primum eſt Vercellenſe contra Berengarium; II. Turonenſe [illegible] in quo loco Victoris [illegible] Apoſt. Sedis Legatus. [illegible] Anno Chriſti MLX. [illegible] Concilio interfuit, lib. de [illegible] qui eidem viſus Bel- [illegible] *Panem & vinum al-* [illegible] *Chriſti tranſub-* [illegible] *Berengarius.* [illegible] epiſtol. de [illegible] *Dominici cor-* [illegible] *abhor-* [illegible] *Beren-* [illegible] Novitium hæc ſat [illegible] Concilium Roma- [illegible] Chriſti MLXXIX. [illegible] congregatis in Eccle- [illegible] Epiſcopis & religioſis [illegible] legis; *Pa-* [illegible] *& Sacer-* [illegible] *operante* [illegible] *Dominicum de vir-* [illegible] eodem Concilio [illegible], & doctrinâ tam [illegible] confirmatum, leges [illegible] Quercius cent. XI. Bell. [illegible] de Sacram. c. 43. O- [illegible] Anno Chriſti 1040. [illegible] Gare- [illegible] Lanfranco &

Guitmundo referuntur. V. Conc. Lateranenſe ſub Innocentio III. quod non immeritò magnum appellatum eſt; quippe 1200. PP. ex utrâque Eccleſiâ Græcâ & Latinâ; interfuêre, duo Patriarchæ, Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus, tum 70. Archiepiſcopi, Metropolitani: quibus Cabeljavius cum ſuis Neotericis Paniſtis ſapientior eſt. Quomodo verò legis in Can. 1. ita ſcilicet. *Verum Chriſti corpus & ſanguis in Sacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini continetur, Tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem, poteſtate divinâ*. VI. Romanum Generale Anno M.CDXIII. In quo & hi duo articuli Wiclef damnati. Primus *Subſtantia panis materialis, & ſimiliter ſubſtantia vini materialis manet in Sacramento altaris*: Secundus: *Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in eodem Sacramento.* VII. Conſtantienſe Generale ſeſſ. 8. in quo ſententia Roman. Concil. confirmatur. VIII. Conc. Florentinum Generale ex conſenſu Græcorum & Latinorum ſeſſ. ult. ſic habet. *Subſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem convertuntur.* IX. Trident. ſeſſ. 13. Hæc Conciliorum teſtimonia ſunt, & prudenti, opinor, ſatis erunt. Etenim ſi prius ſe hæreſes contra hoc dogma commoviſſent, etiam prius Eccleſia & Concilia ſe in ſu[illegible] poſſeſſione propugnandâ commoviſſent; nih[illegible] novitatem incuſes, ubi antiquitatem habes, ni[illegible]iam, ubi orbis legis ſapientiam; nihil per [illegible]audes obtruſum, ubi juſtiſſima[illegible] fidei & av[illegible]ſſionis vides defenſionem. nunc unu[illegible] pro tuâ hæreſi contra no[illegible] ſi potes, id [illegible] proferes, quia nullibi in[illegible]

Poſtrem[illegible] Cabeljavi tibi præſidiu[illegible] quod, aut [illegible] Græcâ Eccleſiâ? ſanè n[illegible] quam Græ[illegible] Conc. definitionem rejece[illegible]runt, ſed ſ[illegible]re, teſtantur op[illegible]ula Nicolai Meth[illegible]one Garenſis [illegible] Caba-[illegible]ſilæ,

Facilis Lutheranos inter & Catholicos concordia coaleſceret, quoad hoc ſacramentum, ſi de communione ſub utrâq; tranſigeretur, quæ modum tantùm diſpenſandi ſacramentum, non ipſam ſubſtantiam ſacramenti attingit; utî omnes Catholicorum Theologi fatentur. Jam verò inter Sacramentarios, & Calviniſtas ex unâ parte; interque Catholicos & Lutheranos ex alterâ parte, inſanabile vulnus eſt, niſi pars altera omiſſo errore alteri accedat. Calvinus ut hoc vulnus obtegeret totus lubricus, & quinque palliis involutus oberrat, antequam ad Cœnam accedat. Primùm enim docet in hoc Sacramento nuda ſymbola eſſe & ſigna corporis & ſanguinis ſui; utî imago Avorum, & Proavorum, pro ipſis Avis & Proavis collocatur. Atque illud Sacramentariorum eſt pallium.

Secundò quaſi totus à ſe rurſum abiret, veram & realem præſentiam docet c. 26. in Matth. *Verè in cœnâ datur nobis corpus Chriſti, ut ſit animis noſtris in cibum ſalutarem; hoc eſt: Subſtantiâ corporis paſcuntur animæ noſtræ.* infra. *Non ergo vacuum & inane ſignum nobis proponitur. Sed verè Carnis & Sanguinis Chriſti fiunt participes.* Eadem ſcribit lib. 4. Inſtit. c. 17. §. 5. planiſſimè §. 32. *In ſacrâ ſuâ cœnâ jubet me ſub ſpeciebus panis, & vini corpus & ſanguinem ſuum ſumere*, in c. 11. ad Corinth. 1. *Chriſtus viſibile illud ſignum nobis porrigendo, unà dat etiam nobis ſuum corpus.* In lib. de Cœnâ Domini: *Neceſſe eſt nos in cœnâ verê corpus & ſanguinem Chriſti recipere.* infra verò.

Intelligimus nobis Chriſtum in cœnâ veram, propriamque corporis & ſanguinis ſui ſubſtantiam donare. Atque hoc Catholicum eſt pallium, & quis in illâ profeſſione Calvinum, non Catholicum juraret.

Tertiò rurſus aliud ſchema ſumit, lib. 4. Inſtit. c. 17. §. 7. §. 10. §. 32. ait enim, *non poſſe ingenio humano comprehendi, quomodo illa conjunctio fiat in Eucha-*

Eucharistiâ. Solâque fide credendum. Hoc verò ſcepticum eſt pallium & dubitantium involucrum. Eadem Beza de re ſacr. q. 9.

Quartò in eodem lib. Inſt. c. 17. §. 12. & 32. *Non ipſum corpus, ſed vim quandam ſubſtantialem ex Chriſti carne ad nos demanare, veluti per influentem canalem.* Hoc Philoſophicum & Pythagoricum eſt indumentum, per ingenii luſum, perinde ſi particula divinæ auræ abſiſteret.

Quintò docet lib. 4. Inſt. c. 17. §. 5. & 31. *Communicationem illam, ſive corporis, ſive virtutis ſit, per ſolam fidem apprehendi; ſicuti apprehenditur Chriſtus in cœlo exiſtens:* atque hîc nullum myſterium nullum miraculum, nulla intelligendi difficultas. Quid illud niſi profanum plebis eſt pallium? hic te Cabeljavi primùm fluctuantem Calvinum in certo aliquo portu, aut anchorâ oportebat collocare, antequam ex Catholicis Catholicos oppugnares. Quòd ſi ab ortu hujus hæreſis, & ſæculi omnes inter ſe diſcrepantes ſententias percenſeas ſuper his ſolùm planiſſimis Chriſti verbis: *Hoc eſt corpus meum*; ſupra octoginta quatuor invenies apud Claud. de Sainctes Epiſcopum Eboracenſem, quas in tabulâ exhibet Adamus Contz. q. 5. in c. 26. Matt. Anno Chriſti 1577. prodiit libellus, in quo ducentæ hæreticorum pugnantes ſententiæ numerantur, ſuper his paucis verbis: *Hoc eſt corpus meum*: è quibus Lutherum ſuo ævo decem jam tum ſe diſcerpentes deprehendit. Quomodo nunc Prædicans ex tantâ hæreſis diſcordiâ Catholicos cumprimis Jeſuitarum Theologos ad ſuæ ſectæ concordiam invitare audet, ibique polliceri quietem, ubi extrema perturbatio eſt, ibi ſalutis velle portum oſtendere, ubi tot animarum in hoc unico Euripo conſpicimus naufragia. Philaſtrio nobis, aut Damaſceno opus eſſet, qui de centum hæreſibus rurſum ſcriberet. Et verò quis prudens, ſepoſitis etiam tan-

Digitized by Google

tiſper Fidei principiis, uni ex centum illiş veſtris hæreſibus ſe committere poſſet, quas ex tantâ hujus ſæculi novitate, varietate & inſaniendi libidine recens denuò notas, & olim in antiquis hæreticis per publica Conciliorum, & totius Eccleſiæ decreta, & anathemata damnatas videt.

Quàm longè alia ratio & facies eſt, ſi quis Catholicam doctrinam de veritate & præſentiâ Chriſti in Euchariſtiâ aſpiciat, in illâ tot gentium & populorum antiquitate, concordiâ, & judicio planiſſimo ex planiſſimis Chriſti verbis: *Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus*: & ne cuiquam dubium

Luc. 22. *Matt.* 26. *Mar.* 14. *Cor.* 11.

ſit Chriſtum loqui de vero corpore & ſanguine, addit, *Quod pro vobis datur, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum*, ex quo tale argumentum emergit:

Quidquid hîc pro vobis effuſum dicitur in remiſſionem peccatorum fuit verus ſanguis Chriſti & non vinum:

Sed illud exiſtens in calice fuit illud effuſum in remiſſionem peccatorum: Ergo illud exiſtens in calice fuit verus Chriſti ſanguis, & non vinum.

Major per ſe clara eſt; non enim vinum potuit pro nobis fundi in remiſſionem peccatorum; ſed Chriſti ſanguis. Quò & illud referas 1 Pet. 1. v. 19. Rom. 3. v. 14. Joan. 1. c. 1. v. 7. Apoc. 1. v. 5. aliaque plura loca. Minor probatur ex verbis Lucæ 22. *Hic eſt calix novum Teſtamentum in Sanguine meo, qui pro vobis effundetur*, nempe in remiſſionem peccatorum, ut Matth. dicit; agi enim hîc de effuſione, quâ ſanguis Chriſti in pretium redemptionis effuſus eſt, per ſe clarum eſt, nec hæretici negant. Vide nunc Cabeljavi, quid concluſio importet. Secundò ſicut pronomen hoc non aliud hîc demonſtrat, quàm corpus Chriſti non panem, ut præter omnes Theologos oſtendit Vaſquez, Suarez, Bell. in quo evidentiſſima, & inconcuſſa Catholicorum veri-

Digitized by Google

veritatis ratio eſt: ita pronomen hic non vinum, ſed ſanguinem demonſtrat, utî ex Græco textu apertiſſimum eſt τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. ubi participium ἐκχυνόμενον non jungitur cum ſanguine ſed calice, ita ut S. Lucas dicat Calicem pro nobis effuſum eſſe, non vas ipſum, aut vinum; neutrum enim potuit pro ſalute noſtrá effundi; ſed ſanguinem Chriſti; ſed queritur Cabeljavius hoc argumentum, tàm obſcurè poni à Catholicis, ut nemo vim argumenti percipere poſſit. Illuminemus ergo Prædicantem, vel ex ſuis conceſſis. Docet enim calicem accipi figuratè; at quæ alia figura quàm Metonymia? id eſt continens pro contento: vel ergo contentum fuit vinum effuſum, vel ſanguis: non vinum; id enim blaſphemum eſt, ergo ſanguis, quod Catholicum eſt; hinc & additur calix in ſanguine meo, ſeu calix ſanguinis mei. Repeto igitur ſyllogiſmum, ſed expoſitorium, ut clarius videat: *Effuſum in remiſſionem peccatorum fuit ſanguis Chriſti, & non vinum, effuſum illud fuit contentum in calice.* Ergo *contentum in calice fuit ſanguis Chriſti, & non vinum.* Beza cùm acutius vim argumenti penetraret quàm Cabeljavius, videretque deinde in omnibus antiquis codicibus ita ſcriptum, nihil aliud habuit, quod reſponderet, quam textum eſſe corruptum, aut non integrum, atqui ipſe primùm corrupit, ſcribendo ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ. Ad citata loca adde Joannis 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Cibus, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vitâ.* Quis non videt hîc promitti, quod in cœnâ poſt dedit, *Accipite & comedite. Hoc eſt corpus meum.* Ex hoc eodem cap. Joan. 6. Veritatem hanc probat. Conc. Eph. VII. Synod. Concil. Cabilonenſe. II. c. 46. & Trident. ſeſſ. 13. tum

SS. PP. quos citat Suarez longo ſerie, demum Eccleſia, quæ hoc Evangelium legit feſto corporis Chriſti.

Ad hanc verborum claritatem accedit regula S. Auguſtini, in hac etiam propoſitione ab omnibus Theologis, & totius judicio Eccleſiæ Catholicæ recepta; ſcripturam in proprio ſenſu accipiendam eſſe, niſi aut alius locus, aut manifeſta abſurditas nos ad aliud cogat.

Hîc, ut Cabeljavius ictum & judicium orbis declinet, opponit Cajetanum, fatetur Suarez, diſputat. 46. ſect. 3. Köning q. 75. art. 1. Cajetanum docuiſſe, non poſſe ex verbis: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*, manifeſtè ſatis realem præſentiam demonſtrari; verùm reſpondet verba hæc Cajetani à Pio V. in Romanâ editione expuncta eſſe; ut verò aliis Evangeliſtis ejus explicatio utcunque accommodari poſſit (quod tamen falſum eſt) apertè tamen adductis Lucæ verbis repugnare. Sed dixerit hoc Cajetanus, nihil id nos movet; ſunt alia Cajetani, quæ cenſuram experta ſunt, inter quæ, nullum eſſe præceptum præmittendi confeſſionem mortalis ante Euchariſtiam, qui error à Tridentino damnatus, cætera expedit Vaſq. diſput. 207. non ſine graviſſimâ cenſurâ. Cæterùm Cajetanus nunquam præſentiam Chriſti in Euchariſtiâ negavit, neque tranſubſtantiationem.

Id ut videas, recitabo tibi verba Cajetani ex venetâ editione Anni 1593. ad q. 75. D. Thom. articul 1. *Habemus igitur* (inquit Cajetanus) *ex veritate verborum Domini in ſenſu proprio Corpus Chriſti veraciter in Euchariſtiâ, & hoc eſt primum, quod ex Evangelio habemus, circa hoc Sacramentum; alterum autem, quod Evangelium non explicavit, expreſſè ab Eccleſiâ accepimus, ſcilicet converſionem panis in corpus Chriſti: Hanc enim non ſolùm à priſcis Doctoribus Eccleſiæ habuimus, quos habes de conſec. diſt. 2.*

copioſè

Digitized by Google

copioſè, & à Magiſtro ſententiarum in tract. de Eucharistiâ diffuſè; ſed à Concilio Lateranenſi, ſub Innocentio III. ut patet de ſummâ Trinitat. ubi utrumque ſimul dicitur ſub his verbis: videlicet præſentia & & converſio, quas duas novitates perquàm mirabiles appellat & perſequitur, ut nullum Cabeljavio dubium de Cajetano Catholico relinqui poſſit; ſi modò ipſe legat, nec ab aliis ſcribentibus falli ſe ultrò ſinat, ut alios ultra fallat.

Cæterùm ad explicatiſſima Chriſti verba accedit infallibilis Eccleſiæ auctoritas, & antiquitas ab ipſo exordio Eccleſiæ; figurarum ex agno Paſchali & mannâ multò eminentius impleta veritas; Conciliorum decreta, quibus Berengarius, aliique Hæretici toties condemnati ſunt: Miraculorum teſtimonia, de quibus Suarez ſect. v. Bellarm. & tot Scriptores: Patrum tàm Græcorum, quàm Latinorum conſenſus, perpetua Eccleſiæ traditio; praxis omnium Eccleſiarum, orbis conſenſus, jus Canonicum; ratio evidens ex ſapientiâ, bonitate, potentiâ Dei; & caritate, quam Theologi & Aſcetici proſequuntur; demùm omnia fidei & antiquitatis monumenta; quid enim Paſtophoria, & tabernacula? quid ciboria? quid lumina nocte dieque ardentia? quid altaria? ſacrificia & ſacerdotium, veſtes & vaſa? quid ſupremus Religionis & Adorationis cultus huic Sacramento ſemper ab Epiſcopis, Sacerdotibus, religioſis Imperatoribus, Regibus, & toto populo Chriſtianorum delatus, verbo, omnia quæ fidem Chriſtiano homini facere poſſunt, ad hujus myſterii veritatem concurrunt. Interim Prædicans clamat, nihil in mundo reperiri poſſe, quod hanc veritatem ulli vel in ſpeciem perſuadere poſſit, nos cum S. Ambroſio dicimus, *Quantis exemplis utimur, ut probemus, non hoc eſſe, quod natura formavit, ſed quod benedictio conſecravit*; ut nemo jam aliud judicare poſſit, vel Prædicantem inſa- *lib. 4. de i qu. init. c.*

inſanire, vel totum orbem Chriſtianum inſaniiſſe, quando ab unâ idololatriâ multò fœdius ad aliam idololatriam & artolatriam ſe converti ſivit. Quid enim intereſt, ſive Solem cum Perſis adorem? ſive panem cum Catholicis pro Deo adorem; ſi merus ſit panis quod adoratur. Supereſt hodie dum Embricæ arca, ſive Hierotheca ab ipſo Sergio Pontifice S. Willebrordo donata, & inauratis laminis obducta, cùm Epiſcopus Romæ conſecraretur, & primus Apoſtolus ad veſtras Provincias ultrajectum deſtinaretur; in eâ poſt conſecrata à S. Willebrordo Hoſtia ad noſtra uſque tempora incorrupta permanſit, donec hæreſi veſtra urbem ingreſsâ, cœpit videri corruptioni obnoxia; quæ res Sasboudum Archiepiſcopum movit, ut eam ſumendo injuriis ſubtraheret; perinde ſi veritas falſitatem, & Chriſti in Eccleſiâ præſentia veſtram ſimul ferre non poſſet.

Anno 697.

Eò jam nos fidem noſtram, majorumque veſtrorum referimus; vos ſi in veſtrâ fide appelletis ad majorum teſtimonia, & patronos hujus doctrinæ, non ad alios nos remittitis, quàm ad *Ioannem quendam, Erigenam Scotum* in Concilio Vercellenſi damnatum. Deinde ad *Bertramum*, tempore Caroli Craſſi Anno 880. à Paſchaſio egregiè confutatum; tum ad *Berengarium* ab Anno Chriſti M L. in tot Conciliis damnatum, qui primò hæreſin hanc è latibulis in publicum protraxit. Ad hos præcipuos hæreticos Cabeljavius in Mantiſsâ ſuâ ſe revocat. Præclara antiquitas! quis ante illos? in latinâ Eccleſiâ nullus. In Græcâ ii, qui negatâ incarnatione, non niſi indirectè hanc veritatem negarunt, de quibus S. Ignati dictum apud Theodoretum; *Euchariſtias & oblationes non admittunt, eò quòd non confiteantur Euchariſtiam eſſe Carnem Salvatoris.* Ergo benè Hilar. lib. 6. de Trinit. *Tardè mihi hos Doctores ætas ſæculi hujus protulit.* Quos nec Cyprianus, nec

Auguſt,

Auguſt. nec Ambr. nec Hieronym. nec ullus ex priſcis illis Patribus inter quinque prima ſæcula noſſe potuit: ex hac tamen periodo ſæculorum pura & intaminata fides judice Cabeljavio poſtulanda eſt, nullus Doctor Reformatus apparuit, niſi Marcion exagitatus à Tertulliano, Berengarium, qui vivus convictuſque hanc hæreſin toties ejuravit, & demùm mortuus deploravit; ſecuti ſunt Petro-Druſiani, Albigenſes, Flagellantes, Waldenſes, Wiclefiſtæ, & pars Huſſitarum, poſtremùm Carolſtadius Lutheri primus Diſcipulus, Oecolampadius & Zwinglius Sacramentariorum Principes. Hæc illa demum veſtra Genialogia interrupta, imò toties rupta ſucceſſio, hæc falſitatis in causâ veritatis quæſita appellatio, & mundi deceptio, ut in magno pietatis myſterio, magnum iniquitatis operetur miniſterium, donec veniat juge aboliturus Sa- *I Tim. 3.*
crificium. At quis non ingemiſcat tàm nobilem Hol- *Dan. 8. 11. 12.*
landiæ populum ab avitâ fide Majorum, & Catholicâ Eccleſiâ à ſæculo abductum, remitti ad damnatos Hæreticos, üt ibi fidem quærant & Eccleſiam, ubi nunquam vera fides & Eccleſia fuit; quot enim nomina legis, Huſſitarum, Wiclefiſtarum, Waldenſium, Flagellantium, Albigenſium, Berengarianorum, tot ſectas in ſe Eccleſias legis, ut nulla ſit Eccleſia, in multis Eccleſiis, quia ſolùm una eſt Catholica Eccleſia. Quæ ergo Prædicantis dementia? Eccleſiam ab ortu Solis uſque ad occaſum ſemper fulgentiſſimam deſerere, & in his ſectis populo veritatem Euchariſtiæ oſtendere velle.

CAPUT II.

De Tranſubſtantatione ſeu Converſione Panis & Vini in corpus & ſanguinem Chriſti.

HÆc altera, & ſecundaria Controverſia eſt de Euchariſtiâ longè diverſa à primâ, ut res ipſa loquitur. Siquidem Lutherani præſentiam Chriſti in hoc Sacramento cum Catholicis contra Sacramentarios docent, ipſam tamen converſionem cum Catholicis non tenent. Deinde Catholici, qui ſe in hac converſione citra fidei jacturam colliſerunt, nunquam tamen ipſam Præſentiam negarunt, atque adeò ipſam tranſubſtantiationem: & quomodo negarent, tanti vini cum Eccleſiæ definitionem ſcirent; ſed id diſputarunt, an ex verbis Chriſti ea Converſio expreſsè deduci poſſet, qui veritatem nihilominus verborum de præſentiâ Chriſti, & demonſtrationem per pronomen conſiſtere poſſe ſenſerunt, etſi illa tranſmutatio non fieret, quæ fit, & nunc ſatis eſt ab Eccleſiâ declarata. Quocirca aut callidè aut imperitè Prædicans Leidenſis hæc ita populo miſcet, perinde ſi negato uno, directè alterius negatio ſequeretur, quod eſt falſum ut oſtendi. Hinc Sanctus Thomas, & omnes Theologi has quęſtiones ita ordine ponunt. Primò an Chriſtus verè ſit præſens; Secundò an in hoc Sacramento maneat ſubſtantia panis & vini, tum alias ordine; ac tametſi hæc Controverſia communis ſit Lutheranis cum Calviniſtis, cum utrique ſubſtantiam panis manere aſtruant; à Cabeljavio tamen, tanquam Sacramentario, & Calviniſtâ exſpectarunt Embricenſes, ut apertè in pugnam de præſentiâ Chriſti (quæ propria eſt Sacramentariornm) prodiret: verùm in hâc ſecundâ Controverſiâ aliquid in ſpeciem

ciem fortè plauſibilius invenit, quod populo proponeret; perinde, utî Diſcipuli Berengarii convicti in primâ Controverſiâ ad hanc ſecundam confugére, aſſerentes hanc ſubtiliorem Berengarii fuiſſe Doctrinam. Interim omnia argumenta ex figuris, ratione & ſenſuum experimento ad hanc Controverſiam Prædicans devolvit, quibus præſentia ipſa oppugnari ſolet.

Secundò Prædicans proclamat, hîc nihil opus eſſe loqui de terminis, & de ipſo Tranſubſtantiationis nomine, hæc enim nota & clara eſſe: ita verò id Civibus, nautis & opificibus, quibus ſcribis, clarum eſt: fruſtra ergo Theologi tàm multa de Converſione diſputant & explanant: utî Suarez hîc ſect. 2. fruſtra Jeſuitarum Doctores ea nobis ad calamum dictant, diſputanda & diſquirenda primùm, antequam rem ipſam aggrediamur. Itane apud vos naſcuntur Philoſophi & Theologi in Sutorum officinis, ac mercatorum tabernis? ego ut veriùs loquar, credo te ipſum non intelligere, quid Converſio requirat.

Tertiò. Prædicans ſuum judicium pronunciat in reſponſione ad PP. Embr. doctrinam de Tranſubſtantiatione eſſe novam, incognitam antiquis Patribus rectè ſentientibus, ac per fraudes, violentiam & mentiendi libidinem introductam & obtruſam; nec ſe poſſe comprehendere, quomodo in hanc dementiam quiſquam abripi poſſit. Cùm totus Bellarminus hîc à Reformatorum Scriptoribus ſit confutatus: de D. Thomâ & priſcis Theologis, de Vaſquez, Suarez, Valentiâ; cæteriſque nihil: ſed Bellarminus eſt refutatus. Quomodo? ſicut Cabeljavius ſomniat. Bellarminum, crede, nulla hæreſis refutabit, quem ipſa veritas tuetur. Si Bell. non ſufficit, lege innumeros alios.

Audax ergo & inſanum judicium plebei Prædicantis, quod non magis Theologos movet, quàm

Joannis

Joannis Leidenſis Sartorculi, Anabaptiſtarum inſanientis Reguli, qui ab eodem Berengario Pædobaptiſmi hæreſin ſuam hauſit, à quo ſuam de cœnâ Cabeljavius: rem paucis delibemus.

Origo hæreſis contra Tranſubſtantiationem.

Berengarius omnium harum ſectarum parens, quatuor errores docuit: primò parvulos non eſſe baptizandos, utî Guitmundus ſcribit lib. 1. contra Berengarium, & in hoc errore Anabaptiſtarum Patriarcha fuit. Secundò docuit corpus Chriſti non aliter eſſe in Euchariſtiâ, quàm ut res ſignificata in ſigno. utî Guitmundus, Landfrancus, Algerus, & Scriptores ejus ſæculi teſtantur, ob quam hæreſin in tot Conciliis damnatus tertiùm etiam Palinodiam cecinit, atque in hoc Sacramentariorum & tuus Pater fuit. Tertiò docuit corpus Chriſti eſſe quidem verè in Euchariſtiâ, ſed ſimul cum pane & vino, & in hoc Lutheranorum auctor fuit; verùm & hanc hæreſin convictus in Conc. Romano, ſub Gregorio VII. retractavit, & tranſubſtantiationem panis in corpus Chriſti admiſit. Quartò docuit legitima matrimonia poſſe diſſolvi. Hoc dogma omnibus hujus ſæculi hæreticis commune fecit. Cæteris omiſſis, quantùm ad Tranſubſtantiationem, de quâ nunc agimus; etſi ab ipſo retractata ſit. Diſcipuli tamen ejus convicti de negatâ præſentiâ hanc alteram doctrinam de Tranſubſtantiatione excepêre ac diſtulêre, unde *Impanatores* dicti ſunt, teſte Guitmundo: aſſerentes hanc ſubtiliorem Berengarii fuiſſe mentem, & minus incommodam. Hos ſecutus Valerianus, de quo Waldenſis tom. 2. de Sacram. c. 65. Demùm Lutherani: inde *Impanatio* Lutheranorum, qui ajunt, Chriſtum eſſe ſub pane, cum pane, & in pane. Quomodo jam nova, & obtruſa Catholicorum doctrina, quam Eccleſia illicò, ubi hæc hæreſis orta fuit, per tot Concilia, Epiſcopos, Doctores, & Scriptores defendit ex antiquâ

tiquâ Eccleſiæ doctrinâ, & SS. PP. ſcriptis, & in ſuâ poſſeſſione antiquitatis, & traditione inviolatam relinqui voluit, & ſanxit. Noſtra ergo doctrina ab Apoſtolis traducta veriſſima & vetuſtiſſima eſt: veſtra in reſuſcitato Berengario nova, inſolens & incredibilis; utî in hac Berengarii hæreſi, ita in reliquis; cumprimis de negatâ præſentiâ Chriſti in Euchariſtiâ multò deteſtabilior, etiam ipſis Lutheranis nobiſcum ſentientibus, quorum conſcientia integrior nunquam ſe eò abripi ſivit, adeoque in ipsâ Auguſtanâ Confeſſione Carolo V. Imperatori oblata, tranſubſtantiationem non excluſerunt. Teſtantur id Andræas Fabricius & Lindanus ex Germanico autographo; Chriſtumque ſub ſpeciebus panis & vini præſentem aſſeruerunt, aut certè diſſimularunt: quo factum eſt, ut Catholici hanc propoſitionem admiſerint, ſolùmque clariorem explanationem deſiderarint, idque à Lutheranis admiſſum agnovére Heshuſius Lutheranus & Zanchius Calviniſta. Quamvis Melanthon poſtea in apologiâ per fraudem ſcripſerit Catholicos approbaſſe cum pane & vino exhiberi corpus & ſanguinem Chriſti: ſed nunc paucis.

Quibus argumentis & firmamentis ſuæ cauſæ Catholici probent Tranſubſtantiationem.

Cabeljavius, poſtquam hoc ipſum Catholicorum dogma, ut novum, ut priſcis incognitum, ut per vim obtruſum & per mundi inſaniam nobis perſuaſum falſiſſimè ſcripſerat, probationem poſcit; cui non inſolens illud ab inſolente homine videri poteſt? Itane inter tot ſæculi hujus Scriptores, & Doctores; interque innumerabiles libros id demùm ab Embricenſibus expetitur? quis adeò Theologus cum D. Thomâ Euchariſtiam tractat, ut id non pertractet? & verò quæ probatio, ſeu quo potius jure ea à Catholicis poſcitur, cùm illi continuam poſ-

poſſeſſionem tot à Chriſto & Apoſtolis ſæculorum obtendant, ex quâ Berengarius primùm exturbare Eccleſiam voluit, homo indoctus, ſed gloriæ cupidiſſimus; ad hujus machinas tota Eccleſia cum tot conciliis ſe erexit, & murum ſe oppoſuit.

I. Ergo hanc doctrinam avitæ fidei dilucidè oſtendunt ex Conciliis. Quorum primum eſt Vercellenſe contra Berengarium; II. Turonenſe contra Berengarium; in quo loco Victoris. 2. præſedit Hildebrandus Apoſt. Sedis Legatus. III. Romanum ſub Nicolao 2. Anno Chriſti MLX. de quo Landfrancus, qui Concilio interfuit, lib. de corp. Domini; Guitmundus, qui eidem viſus Bellarmino interfuiſſe his verbis: *Panem & vinum altaris Domini in corpus & ſanguinem Chriſti tranſubſtantialiter converti, non ſicut delirat Berengarius.* S. Anſelmus, qui eodem tempore vixit epiſtol. de corp. Domini. *Panis ſubſtantiam poſt Dominici corporis conſecrationem in altari ſupereſſe ſemper abhorruit pietas Chriſtiana, nuperque damnavit in Berengario Turonenſi ejuſque ſequacibus.* Nondum hæc ſat clara D. Cabeljavi & vetuſta? IV. Concilium Romanum ſub Gregorio VII. Anno Chriſti MLXXIX. menſe Febr. indict. Secundâ: congregatis in Eccleſiâ Salvatoris Archiepiſcopis, Epiſcopis & religioſis perſonis, ita in Concilio pronunciatum legis: *Panem & vinum per ſacræ orationis verba, & Sacerdotis conſecrationem Spiritu S. inviſibiliter operante converti ſubſtantialiter in corpus Dominicum de virgine natum*; Inſuper hoc dogma in eodem Concilio Orthodoxorum PP. ſententiâ, & doctrinâ tam Græcorum, quàm Latinorum confirmatum, leges & Berengarii Palinodiam: Garetius cent. XI. Bell. Thom. Waldenſis Tom. 2. de Sacram. c. 43. Omitto Romanum ſub Leone IX. Anno Chriſti 1040. contra Berengarium, cujus acta non videntur Garetio & aliis extare, niſi quantum ex Landfranco &

Guit-

Digitized by Google

Guitmundo referuntur. V. Conc. Lateranenſe ſub Innocentio III. quod non immeritò magnum appellatum eſt; quippe 1200. PP. ex utrâque Eccleſiâ Græcâ & Latinâ; interfuêre, duo Patriarchæ, Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus, tum 70. Archiepiſcopi, Metropolitani: quibus Cabeljavius cum ſuis Neotericis Paniſtis ſapientior eſt. Quomodo verò legis in Can. 1. ita ſcilicet. *Verum Chriſti corpus & ſanguis in Sacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini continetur, Tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem, poteſtate divinâ*. VI. Romanum Generale Anno M.CDXIII. In quo & hi duo articuli Wiclef damnati. Primus *Subſtantia panis materialis, & ſimiliter ſubſtantia vini materialis manet in Sacramento altaris*: Secundus: *Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in eodem Sacramento.* VII. Conſtantienſe Generale ſeſſ. 8. in quo ſententia Roman. Concil. confirmatur. VIII. Conc. Florentinum Generale ex conſenſu Græcorum & Latinorum ſeſſ. ult. ſic habet. *Subſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem convertuntur.* IX. Trident. ſeſſ. 13. Hæc Conciliorum teſtimonia ſunt, & prudenti, opinor, ſatis erunt. Etenim ſi prius ſe hæreſes contra hoc dogma commoviſſent, etiam prius Eccleſia & Concilia ſe in ſuâ poſſeſſione propugnandâ commoviſſent; nihil jam novitatem incuſes, ubi antiquitatem habes, nihil inſaniam, ubi orbis legis ſapientiam; nihil per vim & fraudes obtruſum, ubi juſtiſſimam fidei & avitæ poſſeſſionis vides defenſionem. Tu nunc unum Concil. pro tuâ hæreſi contra nos ſiſte, ſi potes, id nunquam proferes, quia nullibi invenies.

Poſtremò eſtne D. Cabeljavi tibi præſidium aliquod, aut effugium in Græcâ Eccleſiâ? ſanè nunquam Græci Florentini Conc. definitionem rejecerunt, ſed ſuam agnovêre, teſtantur opuſcula Nicolai Methonenſis, Samone Garenſis, Nicolai Cabaſilæ,

ſilæ, Marci Epheſii, Beſarionis, demùm Jeremiæ Patriarchæ in cenſurâ orientali contra Auguſtanam Confeſſionem, plura ſi voles, lege exquiſitiſſimum Garetii librum, cui nihil ſimile in teſtimoniis Patrum & Conciliorum pro veritate Euchariſtiæ ulla hæreſis datura eſt.

II. Catholici probant ex perpetuâ Eccleſiæ traditione, quam ab Apoſtolis manaſſe omnes Conciliorum illorum Epiſcopi & Judices cenſuerunt, eò ſe referunt Concilia memorata, & poſtremò Tridentinum: *Quoniam*, inquit, *Chriſtus corpus ſuum id, quod ſub ſpeciebus panis offerebat, verè eſſe dixit, ideo perſuaſum ſemper in Eccleſiâ Dei fuit, idque nunc denuo ſancta Synodus declarat, poſt conſecrationem panis & vini converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis ejus.*

III. Probant Catholici ex Antiquiſſimis Patribus, qui id æquivolentibus verbis ſcripſerunt, quod à Lateranenſi & Tridentino propriiſſimo & accommodatiſſimo *Tranſubſtantiationis* nomine expreſſum eſt. Nam primò *Converſionis* nomine uſi S. Ambr. lib. 4. de Sacramentis c. 5. lib. 6. c. 1. lib. verò de imitand myſt. c.9. utitur nomine *Tranſmutationis*. Cyp. de Cœnâ Domini. *Non effigie, ſed naturâ mutatus* Idem à Damaſceno dictum lib.4.c.14. Chryſoſt. Hom. de proditi: Judæ. & Hom. 83. in Matth. Cyrillus Alex. Epiſtolâ ad Caloſirium. Greg. Nyſſ. orat. Catech. c. 37. Heſychio lib. 6. in Levit. c. 22. Origenes dixit; *Panem fieri corpus ſanctum per precationem.* Amb. lib.4. de Sacr. c.4. *ubi acceſſerit conſecratio, de Pane fit corpus Chriſti.* Huc ſpectant, quæ ſubjungit, & toties repetit. Ipſe dixit, & factum eſt: ita Tertull. lib. 4. contra Mar. 40. S. Aug. diſt. 2. *Corpus & ſanguinem Chriſti virtute Spiritus Sancti ex panis & vini ſubſtantiâ effici.* S. Gaudentius

tius tract. 2. in Exod. *De pane effici corpus & de vino ſanguinem.* Emiſſenus Homil. 5. de Paſch. *Panem tranſire in naturam Domin. corporis.* Voce *Tranſitus* uſus S. Remigius 1 Cor. 10. Anſelmus Epiſtolâ de corpore & ſanguine Domini: *Panem migrare in corpus Domini.* Fulbertus *Transfundi* Epiſtolâ ad Berengarium. Algerus *Trajici & transferri.* Theophylactus in Matth. & Mar. & Joan. *transelementari & transformari*; eadem in Ruperto legis lib. 5. in Joan. Quare Tridentinum: *Quæ Converſio convenienter & propriè à Sanctâ Catholicâ Eccleſiâ Tranſubſtantiatio appellata eſt.* Omitto alia quàm plurima. Vides igitur, quàm falsò ſcripſeris, nihil priſcis Patribus hac ſuper re cognitum fuiſſe. Quid enim de nomine nobis laborandum, quando rem ipſam habemus, ita nomen SS. Trinitatis non invenis, rem ipſam ab æterno invenis. Igiturne novitatem rurſus nominis crimineris. Habes deinde ὁμούσιον & θεοτόκος, quod nomen novum eſſe cæpit, cùm res ipſa, ut veriſſima, ita antiquiſſima fuerit. Idem eſt, de nomine Sacramenti in propriâ ſignificatione, aliiſque quàm plurimis; de quibus rectè Auguſt. *Melius eſt, ut nos reprehendant Grammatici, quàm ut non intelligant populi.*

IV. Probant Catholici ex clariſſimis Scriptoribus & defenſoribus Eccleſiæ, qui in utrâque Controverſiâ contra Berengarium ſcripſerunt, inter quos celebres Landfrancus Archiepiſcopus Cantuarienſis Anno 1059. S. Adelmannus Brixienſis Epiſcopus, Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus, Guitmundus Epiſcopus Averſanus libris tribus de veritate corporis & ſanguinis Chriſti. Algerus Belga Scholaſticus Leodienſis poſt Cluniacenſis congregationis non Corberenſis in Saxoniâ Monachus teſte Poſſevino in apparatu. Quem Petrus Cluniacenſis pleniſſimè & perfectiſſimè contra Berengarium libris tribus ſcripſiſſe dilaudat. Scripſit & Cluniacenſis

niacenſis venerabilis appellatus lib. 1. Ep. 2. hanc Converſionem : Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacr. parte 3. c. 7. Petrus Lombardus 4. ſent. diſtinct. 11. Prætermitto cæteros. His accedunt omnes Theologi & Scriptores cum S. Thomâ, quos ab illâ ætate ad hanc uſque Eccleſia ſine numero propè recenſet.

V. Eccleſia hanc veritatem Tranſubſtantiationis ex ipsâ Scriptura revincit, quod omnium horum fundamentum eſt : utî præclarè inter reliquos Vaſquez diſput. 180. c. 4. cum S. Thomâ, Ferrarinenſi, Marſilio, Richardo demonſtrat, eádemque viâ SS. Patres hanc veritatem probaſſe oſtendit. Præter cæteros Scholaſticos & Doctores. Hujus rationes te primùm confutare oportebat, antequam tàm liberè & confidenter proſilias. Ad hoc idem fundamentum ſeſe Patres Concilii Tridentini referunt, ut ex citato loco facilè intelliges.

Exploremus nunc quid à Cabeljavio proferatur?

Primùm ita enim argumentatur : ſi ex verbis Chriſti hæc converſio probari poſſet, tum maximè ex Matth. 26. Hoc eſt corpus meum; atqui ex illis non poteſt probari, ergo. Minorem probat primò. Quia Cajetanus, Scotus & Rada id fatentur. Secundò, quia hæc verba in figurali ſenſu accipi poſſunt.

Quis hîc non rideat tanti Doctoris promiſſa. I. Pendetne veritas Catholica ex trium hominum placitis? ut hos in acie colloces, an ex Conciliorum Oecumenicorum infallabili declaratione, traditione & conſenſu Antiquitatis, & SS. Patrum authoritate; quanquam quid Cajetanus ſenſerit, ſupra audiviſti; nunquam is Transſubſtantiationem negavit; utî nec Scotus, ſed eam pariter aſſerit eſſe dogma fidei ab Innocentio III. explicatum in Concilio Lateranenſi. An verò ex verbis conſecrationis,

& vi

Digitized by Google

& vi verborum iſtorum hæc veritas deducatur, fatetur Vaſquez, Suarez, & alii, aliquos etiam Catholicos incautè vim argumenti negare; inter quos Scotum collocant in 4. diſt. 11. q. 8. Verùm idem Scotus §. ad argumenta docet ex duobus ſenſibus, quos Scriptura habere poſſet, Eccleſiam hanc elegiſſe & declaraſſe, quia à principio hoc Spiritu, & ſenſu condita fuit, ut verba ipſa denotarent hanc converſionem, & ſubſtantiæ panis & vini deſitionem: vides nunc Cabeljavi, quid Scotus ſenſerit. Præclarè verò tàm ſubtilis Doctoris argumentationem populo proponis, quem fortè ipſe nec legiſti, nec intelligis. Radam Franciſcanum Monachum Hiſpanum non habeo ad manus, ſed nec moramur illum magis in hac ſententiâ, quàm tu Hiſpanos Scriptores. Addere poteras durandum, Paludanum, Okamum, qui rationi Scoti inhærentes ſenſêre, non ex verbis Chriſti dilucidè ſatis, ſed ex Eccleſiæ definitione Tranſubſtantiationem evidenter haberi. Solus Petrus de Alliaco, ut Kemnitius etiam advertit, longius progreſſus, ſenſit Tranſubſtantiationem, nec ex verbis Chriſti, nec ex definitione Eccleſiæ evidenter colligi, ſolùmque magis communem, & Patrum doctrinæ magis conſentaneam eſſe: ſed nullius eruditionis Theologus, ut Vaſquez cenſuit, ut etiam Scotus & cæteri docuiſſent, nihil nos contra tot Patrum, & Concilii Tridentini teſtimonia & infallibilem auctoritatem movere debet. Ratio Scoti hæc fuit. Quod ſi duplex contentum ſit, ſub iiſdem accidentibus, tum utrumque poſſe demonſtrari pronomine ſuo: proinde ſi ſub iiſdem ſpeciebus ſit panis & corpus Chriſti, utrumque demonſtrari poſſe. Verùm hæc ratio ab aliis jam dudum eliſa eſt; aut certè propoſitio Chriſti incerta reddetur. *Hoc eſt corpus meum*: Quia pronomen demonſtrativum abſolutè, & ſine reſtrictione poſitum denotat illud totum ſubſtantiale, quod

ſub accidentibus continetur, ſi verò ſimul contineatur ſubſtantia panis & corpus, non poteſt ſimpliciter dici: *Hoc eſt corpus meum.* quia corpus non eſſet tota ſubſtantia contenta, dicendumque eſſet: Hoc eſt corpus & panis: cùm neutra pars ſeorſim ſit totale contentum, ſicut de vaſe, in quo mel & vinum continetur, non benè dico, Hoc eſt mel, ſed mel & vinum. Deinde ſi ex duabus ſubſtantiis alterutra demonſtranda eſſet, potius panis demonſtrandus fuiſſet à Chriſto quàm corpus, quòd accidentia ſenſibilia per ſe primò, & connaturalius ex convenientiâ denotent propriam ſubſtantiam quæ eſt panis, quàm alienam, quæ eſt corpus, atque ita panis diceretur eſſe corpus Chriſti, quod conſtat eſſe falſiſſimum. Aliud eſt, ſi de vaſe pleno dicas: Hoc eſt vas vini, ſeu hoc eſt vinum, cùm accidentia dolii aut vaſis duplicem habeant reſpectum: alium naturalem ad ſubſtantiam ligni, alium artificialem ad continendum vinum; ad hoc enim ex communi uſu aptatur figura illa; at longè alia ratio in accidentibus panis & vini; quæ neque ex naturâ ſuâ, neque ratione figuræ ſunt apta aut facta ad continendam ſubſtantiam corporis, aut ſanguinis Chriſti. Quid ergo 1. hæc Chriſti infallibilis & ſimpliciſſima propoſitio? *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*, niſi ut veritatem videas in præſentiâ; & tranſubſtantiatione corporis & ſanguinis Chriſti.

C A-

CAPUT III.

An verba Chriſti in figurato ſenſu præſentiam & Converſionem deſtruant.

PAlmarę Sacramentariorum argumentum. Verba Chriſti. *Hoc eſt corpus meum*, figuratè accipi: proinde non aliud corpus nobis dari, quàm Symbolicum ſine ullâ Converſione & reali præſentiâ; Catholici probationem petunt pro novâ illâ mundo illatâ Doctrinâ. Adducunt autem Sacramentarii loca quædam Scripturæ, utî Prædicans hîc facit, quæ figuratè accipiuntur. Geneſ. 41. v. 26. Septem boves pulchræ & ſeptem ſpicæ, ſeptem Anni ſunt, Danielis 4. v. 2. & 19. Arborem quam vidiſti, Tu es Rex: in materiâ Sacramenti; Gen. 17. v. 10 Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me & vos. Exod. 12. v. 11. Eſt enim Phaſe, id eſt, tranſitus Domini. 1 Cor. 10. 4. Petra autem erat Chriſtus: Ex familiari loquendi uſu, annulus ſponſi datus ſponſæ, de quo ſponſus, hic annulus eſt fides mea. Poteras magnam partem Virgilii & Horatii addere ex tropis Poëtarum. Hîc nihil novi, nec ſolidi adfers D. Prædicans; quid infers? ergo etiam hęc verba: *Hoc eſt corpus meum* figuratè accipi poſſunt. Negatur conſequentia, quam nec probas, nec unquam probabis. Cauſam diſparitatis dant Theologi & Catholici, quod ea, quæ tropicè & figuratè ponuntur, proprium ſenſum non patiantur, vel quia aliquid repugnans habeant, vel quia ſe ipſis ſe aperiunt, cùm alium uſum non habeant, vel quia ex textu, aut aliunde tales locutiones cognoſcuntur, vel quia totum eſſe conſiſtit in repræſentari, ut imago Cæſaris, ſeptem boves, ſeptem ſpicæ, annulus pronubus. Longè aliud eſt quando aliquid non eſt palam, & quaſi totaliter re-

præſentativum, ſed ex ſe omninò habet aliam uſum, ſi oſtenſo baculo aut pileo, dicam, hic eſt Cæſar, ubi abſurdiſſimè figura quæritur. Idem eſt, ſi de mero pane dicam, hoc eſt corpus meum, ubi ne ullum quidem tropi veſtigium eſt. II. In totâ Scripturâ nullus ſimilis tropus invenitur, ergo hîc gratis confingitur; vel enim corpus Chriſti accipitur pro naturali corpore in Scripturâ, vel pro corpore myſtico: atqui in his verbis, Hoc eſt corpus meum, non accipitur corpus pro corpore myſtico, quia pro nobis non eſt datum, nec oblatum in redemptionem; ergo pro naturali. Scrutare nunc Scripturas, an tertium invenire poſſis? III. Multa ſunt, quæ ſimpliciſſimam & planiſſimam locutionem exigebant, ut Teſtamenti ratio, Apoſtolorum, qui ſoli erant, præſentia, tempus valedictionis & mortis, demum Sacramenti inſtitutio, ipſumque fidei dogma, in quibus graviſſimi periculoſiſſimique erroris cauſa data fuiſſet. IV. Si hoc modo liceret verba Scripturę ad Metaphoras detorquere, totam Scripturam licebit invertere; ipſumque Symbolum Apoſtolicum, in quo nulla Metaphora, ſed ſimpliciſſimæ locutiones, utî graviſſima, & maximè neceſſaria myſteria, proinde nunquam ad tropos confugiendum, niſi aut alia Scriptura, aut fidei articulus, aut communis Eccleſiæ conſenſus, aut evidens ratio cogat.

Quæ ex materiâ Sacramenti adfers, prorſus nihil juvant. Gen 17. Negat Vaſquez circumciſionem dici fœdus, ſed dici: Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis ſine tropo; ſimiliter Agnus dici, Phaſe Exod. 12, ſine tropo, ut Bellarm. reſpondet lib. 1. c. 11. nec minùs, quàm ipſe feſtus dies Paſcha dicitur ſine tropo, unde abſolutè Agnus Paſchalis dicitur Paſcha. Mar. 14. Luc. 22. In illo, Petra erat Chriſtus, tropum admittit Vaſquez; utî & Bell. Sed per additionem, ſpiritualis, explicari deter-

determinarique ad Chriſtum inviſibilem & ſpiritualem Petram, non materialem. Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos Petrâ: Petra autem erat Chriſtus. Magnoperè verò errat Prædicans, dum Petram inter Sacramenta collocat; cùm omne Sacramentum ſit cæremonia inſtituta in uſum fidelium: quod de Petrâ abſurdum eſt ſtatuere. Verùm intervenerint tropi in Sacramentorum explanatione, id Vaſquez rectè, nunquam Scripturam in tradendo primùm præcepto, aut Sacramento tropis uti. Quo illud Aug. referas lib. 2. de Doct. Chriſt. c. 6. & 9. *Nihil eſt dictum obſcurè in Scripturis, quod ſpectet ad fidem & mores, quod non planiſſimè dictum ſit in aliis locis.*

Atqui duo ſubjungit Prædicans in inſtitutione hujus Sacramenti, in quibus tropus declinari non poteſt, videlicet in nomine calicis aut Teſtamenti: falleris. Reſondet enim Maldonatus, Vaſquez, Gordonus, Præpoſitus, Calicem non accipi tropicè, perinde ut in his tropus non eſt; ſi dicam, hæc eſt amphora vini, hoc eſt vas aquæ, ita neque in hoc etiam, ſi dicam, hic eſt calix ſanguinis mei, vel in ſanguine meo; ſed permittamus tropum, quid tum poſtea? hîc enim hoc loco tam apertus eſt, ut ab omnibus primo aſpectu videatur, cùm enim ſubjicitur, accipite, bibite, ſatis intelligitur non ipſum calicem, ſed contentum calicis bibendum, proinde cùm tam obvia locutio eſt tropica, propriæ æquivalet juxta communem agendi modum, tàm in teſtamentis ac legibus, quàm extra illa, ut parum interſit, utràvis locutione utâre. Quid nunc de voce Teſtamenti? neque in eâ tropus eſt, uti Mald. in c. 26. Matth. Vaſq. diſp. 199. Bell. lib. 1. de Euchariſtiâ c. 11. cenſuerunt, ſive Teſtamentum pro voluntate teſtatoris accipiatur, quâ de hæreditate diſponitur, quæ eſt gratia & gloria; ſive pro inſtrumento authentico & ſymbolo accipiatur, quo

voluntas teſtatoris continetur : imò Maldonatus in omnibus linguis Teſtamentum & Fœdus ſine figurâ accipi ſcribit; adeoque ſanguinem Veteris Teſtamenti, quo tanquam externo ſymbolo fœdus initum erat, ſine figurâ acceptum fuiſſe. Illud hîc magis Prædicanti inveſtigandum erat, ſi fœdus veteris Teſtamenti ictum eſt in vero ſanguine, Exodi 24. *Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiſcum.* Quantò magis novum Teſtamentum ac Fœdus in Cœnâ conditum, ex typo veritatem, verumque ſanguinem poſcit, de quo tàm explicatè Lucas c. 22. cæterique Evangeliſtæ cum Apoſtolo. audi nunc D. Prædicans unum tantummodò S. Irenæum lib. 5. adverſus Hær. c. 2. de tuis tropis, judicium ſuum pronuntiantem in hunc ſenſum, ut qui negat nos communicare proprio ſanguine Chriſti, etiam poſſe negare, nos eſſe redemptos vero ſanguine. Quia ſicut Apoſtolus dicit, in quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, ita dicit calicem eſſe communicationem ſanguinis ejus, & qui per metaphoram unum ſermonem everterit, poſſe etiam alium deſtruere : verba Irenæi ſunt hæc : *Sic autem ſecundùm hæc videlicet, nec Dominus ſanguine ſuo redemit nos, neque calix Euchariſtiæ communicationis ſanguinis ejus eſt, neque panis quem frangimus communicatio corporis ejus eſt. Eum calicem, qui eſt creatura, ſuum ſanguinem, qui effuſus eſt, ex quo auget noſtrum ſanguinem, & eum panem, qui eſt creatura, ſuum corpus confirmavit, ex quo auget noſtra corpora.* Rurſum eodem cap. *Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia. Quando carnem negant capacem eſſe donationis Dei, qui eſt vita æterna, quæ ſanguine & corpore Chriſti nutritur, & membrum ejus?* infra: *eum qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc eſt*

eſt corpus meum: & calicem ſimiliter; qui eſt ex eâ creaturâ, quæ eſt ſecundùm nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & novi Teſtamenti novam oblationem docuit, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in univerſo mundo offert Deo, ad id teſtimonium Malac. citat. *lib. 4. c. 23. de ſacrificio*

Atque hæc S. Irenæus S. Polycarpi diſcipulus, Epiſcopus & Martyr, Anno Chriſti 180. Finge, ſi potes, inquit, Roffenſis, quibus verbis, potuit nobis Irenæus rem dilucidius aperuiſſe. Quid nunc ad tale teſtimonium vos Calviniſtæ? credemuſne vos certiora habere, quàm Diſcipulos Chriſti, & poſt mille ſexcentos annos in veſtrâ hæreſi aliud demum lumen accepiſſe, quàm primi Epiſcopi, & Martyres acceperint. Gloriatur Zwinglius ſe tropum illum de phaſe Domini per Spiritum quendam, in ſomnis ſibi oblatum accepiſſe. Aterne, an albus fuerit ſe neſcire. Hunc eundem Spiritum venditabat Caroloſtadius Sacramentariorum auctor; inde à Luthero liber de cœleſtibus Prophetis; ſed triduo ante mortem Spiritus ille niger, & in ipſo mortis articulo Prophetæ adſtitit, & ut quidam ſcribunt, gulam obtorſit auctore Florim. Nos SS. Patribus credere & in Patrum Majorumque fide veritatem poſſidere malumus.

CAPUT IV.

Cætera Prædicantis dubia ex Scripturâ quæſita in fumos abeunt.

SApienter D. Hilarius. *Bellum Hæreticorum pax eſt Eccleſiæ.* Extrema illa diſcordia Hæreticorum de planiſſimis Chriſti verbis ſuprema Catholicorum concordia eſt, ut ex ſimpliciſſimis Chriſti verbis, antiquiſſimam veritatem in ſuâ poſſeſſione toto orbis conſenſu firment. Poſt tam multiplices ſectas, alii Sectanorum præſidium hæreſis ſuæ quærunt in pronomine *Hoc*, ut Caroloſtadius & Bucerus; alii in

voce *corporis*, ut Oecolampadius, & Calvinus, alii *meum* torquent; alii in verbo ſubſtantivo *eſt*, tropum quærunt, ut Zwinglius; alii in voce *panis* converſionem negant, ut Lutherani: Leidenſis Prædicans per omnia vagatur, modò Lutheranorum, modò Zwinglianorum, modò Calviniſtarum officinas oberrat; ut ubi demum ſit, nemo facilè dixerit, niſi quod nuſquam ſit. Poſt cætera ergò quærit tropum in verbo *eſt*; ait enim in multis Scripturæ locis figuratè accipi. Agnus eſt Phaſe. Circumciſio eſt pactum: Petra erat Chriſtus: Septem boves ſunt ſeptem Anni, & quæ non Zwinglius & Calvinus hic congeſſere: facilis reſponſio. Sequiturne verbum eſt, ponitur pro ſignificat in citatis locis; ergo in hoc & aliis? Frivolum hoc; Tota Scriptura plena eſt propriis locutionibus. Ergo & in his *Verbum Caro factum eſt: Hic eſt filius meus dilectus: Spiritus eſt Deus. Paſſus eſt ſub Pontio Pilato*: interim Prædicans inſolubile argumentum eſſe contedit. Quare? ait enim ſaltem nihil eſſe certi, cùm poſſit figuratè accipi. Imò verò verbum *eſt* nunquam tropicè accipi poteſt; ergo nec hîc accipitur, nec in aliis locis. Neque ullus Grammaticus aut Rhetor in eo tropum quæſivit, minùs Philoſophi aut Theologi; niſi Cabeljav. novam Grammaticam procudere velit. Non meum hoc judicium eſt: ſed Bell. lib. 1. c. 10. Mald. in c. 26. Matt. Vaſq. diſp. 99. c. 7. Sua. diſp. 46. ſec. 3. Omitto Philoſophos & Theologos, ſicut Eccleſiam evertitis, ita philoſophiam; ratio eſt, quòd verbum *Eſt* ſimpliciſſimam habeat ſignificationem, ut in omni propoſitione ſit copula, in quod cætera reſolvi debent, ut ſi dicas. Agnus eſt Phaſe, reſolve, & dices agnus eſt ſignificans Phaſe; ſemen eſt verbum Dei, ſemen eſt ſignificans verbum Dei, & ſic de cæteris, ut verò tropus eſſet in verbo *Eſt*, eum refundi Prædicatum aſſerit Suarez. Vides ergo quàm inſolubile tuum ſit argumentum, quod

quod Grammatici & Tirones Dialectici ſolvunt.

Quærit hîc Prædicans. *An Cajetani ſententia ſit hæretica, dum dixerit, ex verbis Chriſti non poſſe manifeſtè præſentiam demonſtrari?* Reſpondet Suarez Hæreticum eſſe, negare hanc veritatem contineri his verbis. Hoc eſt corpus meum; aut hunc ſenſum non fuiſſe à Chriſto intentum, aut verba hæc ſufficientia non eſſe ſecundùm ſe. Nihilominus hæreticum non eſſe dicere, quoad nos non ſufficere, niſi accedat Eccleſiæ traditio & definitio. Ideo Tridentinum adjunxit Eccleſiæ ſenſum & Patrum traditionem. Expreſſéque in VII. Synodo Generali definitum eſt. *Hæc verba non habere figuram.*

Atqui perſtat Prædicans, aſſeritque ſaltem figuratè accipi poſſunt; cùm Eccleſiæ judicium infallibile non agnoſcat. Ponamus igitur, nihil adhuc definitum; ſeponamus Concilia, Patres, Traditionem, ſeponamus etiam regulam Sancti Auguſtini, & relinquamus in medio hunc Scepticum Philoſophum, qui omnia in dubio hîc conſtituit; & nihil in utramque partem certi eſſe vult. Quâ ergo viâ? quâ regulâ? quâ methodo infallibili ad veritatem infallibilem perveniemus? ſepoſitis Conciliis, Patrum auctoritate & traditione: Scio, ſolùm privatus ſpiritus relinquitur Judex; aut certorum in veſtro cœtu hominum criterium. Scripſit hâc fatali ætate non nemo libellum de arte non credendi, in quo cùm omnia falſa ſcripſiſſet, unum tamen veriſſimè ſcripſit; videlicet, ſi quis atheus fieri vellet, hunc oportere primò Calviniſtam fieri. Vide nunc, an non ita ſe res habeat? Credimus myſterium Sacro-Sanctæ Trinitatis. Quia Scriptura dicit. *Hi tres unum ſunt.* Credimus Incarnationis myſterium: quia ſcriptum eſt: *Verbum Caro factum eſt.* Credimus Chri-

Chriſtum naturalem Dei filium, quia Scriptura dicit: *Hic eſt filius meus dilectus*: credimus myſterium Euchariſtiæ, quia tres Evangeliſtæ dicunt cum Apoſtolo: *Hoc eſt corpus meum*: credimus carnis reſurrectionem, & totum Symbolum Apoſtolicum ſine tropo. Quid Prædicans? verbum *eſt* tropicè poteſt accipi, & ſi porro Eccleſiæ judicium, quoad nos rejicias, ut facis, ad infallibilem aſſenſum, ſanè omnes Ariani, Marcioniſtæ, Gnoſtici, Manichæi, verbo omnes hæreſes ab inferis tutò revocari poſſunt, & ſceptico huic Philoſopho gratias de ſalute ſuâ agere, inde tam multæ Arianorum ſectæ redivivæ in Poloniâ ex Calvini ſcholâ! inde in Angliâ illa conturbatio religionis: inde in Germaniâ illâ hæreſeon mixturâ, & quis tandem finis erit atque exitus, ſin minus ad Eccleſiam reditus fiat, niſi ut occidentem in Orientis ruinâ videamus, hac Atheorum portâ ſemel apertâ. Fundamentum aliud nemo ponere poteſt, niſi quod poſitum eſt in Eccleſiæ judicio, quoad nos, cujus eſt de vero Scripturæ ſenſu judicare: expediamus cætera.

II. Chriſtus, inquit Prædicans, dixit *Hoc facite in meam commemorationem*, ergo Euchariſtia eſt memoria, & ſi memoria eſt, abſentis ſolùm debet eſſe memoria; ergo abſentis corporis Chriſti & non præſentis, confirmat, ideo ſponſus annulum dat ſponſæ, ut abſentis ſit memoria: quid hîc philoſopharis? Chriſtus quando hoc dixit & cœnam dedit: fuitne corpore præſens, an abſens? præſens opinor, & tamen verum Sacramentum dedit: ergo Chriſti abſentia non requiritur, reſpondent ergo Catholici primò etiam rei præſentis memoriam eſſe; maximè ſi per ſe ſit inviſibilis, ita Deus ubique eſt præſens, & tamen Eccleſiaſt. 12. legis: *memento Creatoris tui*. Secundò memoria hæc ſpectat Chriſti paſſionem & mortem, quæ non eſt

præſens

præſens amplius, ſed præteriit. Mittamus iſta, quæ nihil eruditum ſapiunt, pro Jeſuitarum Theologis, cùm toties exploſa ſint.

III. Objicit Prædicans, Chriſtus accepto pane dixit, *Hoc eſt corpus meum*: *atqui Romani docent, non prius converſionem fieri, quàm ultima conſecrationis ſyllaba pronunciata ſit*, ergo minimum pronomen *Hoc* & verbum *eſt*, prius ſignificant panem. Proinde Bonaventuram dicere verbum *eſt* pro *erit*, hîc accipi; & utrumque figuratè. Trita in ſcholis objectio, quæ ad calamum dictatur; Prædicanti nova, quia nunquam Jeſuitarum acromaticus. Igitur aliorum reſponſio pronomen, *Hoc*, demonſtrare aliquid commune ſubſtantiæ Panis & Corporis, latens ſub his accidentibus, ut Suarez, Valent. & multorum Thomiſtarum; ſeu ſubſtantiam corpoream in genere; aliorum verò communior, ut Vaſquez, Præpoſiti, Mæraty, cæterorumque Pronomen *hoc* demonſtrare ſolùm corpus, prout eſt ſub hiſce accidentibus in fine verborum. Sed, inquit Prædicans, pronomen *Hoc* debet demonſtrare, id quod exiſtit eo inſtanti, quo profertur; at tum Chriſti corpus nondum exiſtit. Falleris in antecedente; ſi pronomen incomplexè ſumatur, verum eſto: ſi complexè falſum eſt; tum enim manet ſuſpenſum, donec enuntiatio abſolvatur: res clara eſt, dum enim circulum facio, rectè dico, hic eſt circulus, neque tamen tum pronomen *hic* prius demonſtrat, quàm prædicatum fuerit expreſſum, atque ita inter reliquos Ægidius Koning, aſſerit id commune non ſolùm practicis propoſitionibus, ſed aliis etiam, quæ ſignificant aliquid circa aliud fieri. Eadem reſponſio eſt ad verbum *Eſt*, quod pro illo itidem inſtanti abſtrahit, nec ſignificat, *Panis tranſit in corpus*, aut *fit* aut *erit corpus Chriſti*, nam ſemel admiſsâ translatione, vis verbo eliditur, quod à vobis fruſtra quæritur. Quid Bonaventura doceat

ceat & ſcribimus & proſcribimus, ſcis quid in ſimili tuus Gomarus ſcripſerit; *una hirundo non facit ver.* Addere poteras Occamum; at neuter Calviniſta eſſe voluit; dum enim, uterque ait, erit corpus Chriſti, utique verum corpus fatentur. Quòd omnes id Scholaſticos cum Bonaventurâ docere ſcribas, inſcitiam tuam denuo prodis. Nunquid hæc quam poſtremùm poſui, doctrina eſt D. Thomæ q. 78. art. 5. ubi ait, *oportere prædictam locutionem ſecundùm ultimum inſtans intelligere*, & quàm multi D. Thomam ſecuti, lege Vaſquez ad q. & art. 5. ubi tam exactè hæc expendit, ut ſolùm à te illud Chriſti requiratur. *Qui legit, intelligat*: quid obſecro Jeſuitæ cogitant, quando tam inconſideratè involas & plebi Philoſophiam aperiri vis.

IV. Obſtrepit Prædicans. Euchariſtia dicitur panis 1 Cor. 10. *Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis eſt*, rurſum c. 11. Panis dicitur; Ergo non eſt converſio, nec corpus Chriſti præſens eſt. Trita rurſum in ſcholis velitatio. Reſpondet Chriſtus: *Cæci vident, & claudi ambulant* & Prædicans adhuc cæcus eſt, ut in hac propoſitione ſolutionem non videat. Quid videtur D. Prædicanti? Poteſtne cæcus videre? reſpondebis in ſenſu diviſo, non compoſito, in ſenſu diviſo eſt communicatio corporis Chriſti, quàm multa ejuſmodi ſe offerunt. Gen. 2. Eva appellatur os Adæ. c. 3. homo pulvis. Deinde Euangeliſtæ dicunt non ſolùm fregiſſe, & dediſſe panem, ſed addendo, dicendoque: *Hoc eſt corpus meum*, anteà ergo panis erat, poſtea ex eo corpus factum eſt. Quanquam alii reſpondeant panem dici ratione accidentium panis remanentium; alii dicunt Hebræâ phraſi dici panem, quâ omnis cibus dicitur panis, qui reficit, id cum Euchariſtia præſtet, meritò panis dicitur, cùm hac phraſi cibus & panis Synonyma ſint. 4 Regum 6. v. 22. & 23.

Hebr.

Digitized by Google

שים לחם ומים לפניהם ויאכלו וישתו ויכרה להם כרה Hebr.

שוי לחמא ומיא קדמיהון וייכלון וישתון Chal.

Παράθες αὐτοῖς ἄρτους καὶ ὕδωρ καὶ φαγέτωσαν, καὶ πιέτωσαν καὶ παρέθηκεν αὐτοῖς παράθεσιν μεγάλην καὶ ἔφαγον καὶ ἔπιον.

Hæc communis & ſimpliciſſima reſponſio eſt. Accipitur autem לחם a לחם ferè pro pane, quia hîc inter cibos communiſſimus eſt. Caro autem Chriſti verè eſt cibus Joan. 6. deinde hîc panis dicitur cum addito, videlicet *cæ eſtis*, *panis vitæ*, *panis qui frangitur*: quibus ſignificatur eſſe panem, ſed alterius naturæ cibum. In Syro textu itidem לחמא & ſi tropum quæras in cæteris, nullibi reperies. Omnes linguæ: *Hoc eſt corpus*: *Hic eſt ſanguis meus*: Diſertè S. Aug. Ser. 28. de con. diſt. 2. *Ante verba verbi, quod offertur, panis dicitur, ubi Chriſti verba deprompta fuerint, jam non panis dicitur, ſed corpus appellatur.* Greg. Nyſſ. lib. 1. de Bap. *Panis in principio panis eſt, at ubi illud myſterium ſacrificaverit, Chriſti eſt, & dicitur & eſt.* Cæterorum teſtimonia lege cap. 12. Atque hæc Prædicantis ſunt argumenta ex Scripturâ, quibus Jeſuitis, & orbi miram ſuam doctrinam perſuadere voluit. Quoties verò diſcuſſa & exploſa! etiam ad vulgi aures, poterat ex ipſis Jeſuitarum libris aliquando altius fundum ingredi. Hæc vulgi terriculamenta ſunt, quibus ne Tirones quidem commoveri volunt: exploremus cętera, an hęc immota tot ſęculorum veritas concuti ſinat.

C A-

CAPUT V.

Fragile Prædicantis argumentum ex naturâ Sacramenti petitum.

NOvum & incognitum hactenus mundo argumentum, quod adfertur tali Enthymemate involutum: *Omne Sacramentum à Chriſto inſtitutum eſt viſibile ſignum inviſibilis gratiæ, ergo Euchariſtiæ Sacramentum debet eſſe ſignum inviſibilis corporis Chriſti, quod in cœlo eſt.* Stultus apud Galenum, cùm cribrum hac illacque perfluens videret, neſcire ſe exclamat. Quid ejus obturet, aut non obturet, idem mihi in mentem venit, & movet hoc Enthymema. Primò qualis conſequentia? Sacramentum in genere eſt inviſibilis gratiæ ſignum, ergo inviſibilis corporis. Baptiſmus inviſibilis gratiæ ſignum eſt, at cujus inviſibilis corporis? Ratio eſt, quia reſpectus ad gratiam, eſt differentia eſſentialis omnibus Sacramentis, non ad corpus.

II. Hoc argumentum nihil Prædicanti probat: probandum erat corpus Chriſti non eſſe præſens, ſequiturne? gratia & Angelus inviſibilis eſt, ergo non eſt præſens? anima eſt inviſibile contentum in homine, ergo non eſt præſens? imò verò multum probat Catholicis, nam utî ſubſtantia panis per ſe non eſt viſibilis, ſed ratione accidentium, quæ hîc ſigna ſunt; ita corpus Chriſti ſub iiſdem accidentibus præſens eſt, atque utî pronomen *Hoc* ſignat & demonſtrat panem ante conſecrationem; ita ſignat corpus Chriſti poſt conſecrationem ideo Chriſtus dixit. *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus.*

Ut verò ex fundamentis clarius expediamus hunc Prædicantem, remittendus eſt ad naturam & eſſen-

Digitized by Google

eſſentiam hujus Sacramenti. Atque ea vel in corpore Chriſti collocanda eſt connotatis extrinſecè ſpeciebus; vel in ſpeciebus connotato corpore & ſanguine Chriſti; vel quæ planiſſima, veriſſimaque eſt ſententia in corpore Chriſti & ſpeciebus; quocunque horum modorum accipias Sacramentum: inſuper hæc tria dicit. Primò ſpecies, quæ ita dicunt Sacramentum, ut ſignificent activè tantùm, & non ſignificentur. Secundò res & Sacramentum, quæ ſunt corpus & ſanguis Chriſti, quia per ſpecies ſignificantur & ſignificant ſimul activè, videlicet gratiam internam & caritatem. Tertiò res tantùm Sacramenti, quæ eſt gratia, quæque ſignificatur tantùm paſſivè, & non ſignificat activè.

Quibus poſitis facilè videre licet, quomodo hoc Sacramentum ſit ſignum, non abſentis, ſed præſentis corporis Chriſti: Hinc tua confirmatio, quam ſubjungis, falſa eſt; ais enim, ideò Chriſtus accepit panem, & dixit: *Hoc eſt corpus meum*, ut per viſibilem panem oſtenderet inviſibile corpus abſens, & in cœlo exiſtens: erras, ſed ideo accepit panem, & dixit: *Hoc eſt corpus meum*, ut præſens corpus oſtenderet, ſub ſpeciebus panis, tanquam contentum; Chryſoſt. *ipſum*, inquit, *vides*, *ipſum tangis*, *ipſum comedis*. Hom. 45. in Joan. eadem repetit; & quæ non SS. PP. ad hanc clariſſimam veritatem adducunt. Ex falsâ tua hypotheſi quid mirum tam multa falſa & abſurda ſequi. *Hom. 28. in Matth.*

Quòd verò Sacramentum ſignum gratiæ agnoſcas, Catholicum eſt, & Catholicis accedis, niſi illicò ſtatim recedas, ſi quæratur qualis ſit illa gratia, & reſpondeas, eam in ſolâ fide excitandâ conſiſtere, ut per ſolam fidem juſtificatio detur. Secundò inhærenſne; an actualis tantùm? Calvinus ipſe perplexus hæſit in ſuis antilogiis, ut Becanus oſtendit; modò enim inquit, nulla gratia datur inhærens, modò inquit, ſemper donamur gratiâ inhærente;

quoties reconciliamur. Quid de Infantibus dicemus? qualem illis gratiam per Baptiſmum aſſignabis? inhærentem negatis, actualis capaces non ſunt; denique nullam illis dari gratiam fortè dicès, quando Baptiſmus vobis ſolum & nudum ſigillum eſt ad obſignandam prædeſtinationem & electionem, quàm multa tibi hîc intriviſti, quæ nunquam excedes. Interim tu omnium Jeſuitarum Theologos evocas in arenam. Ludrica res, non ſecus, ac ſi ruſticus ligneo bidente munitiſſimum Hollandorum propugnaculum expugnaturum ſe jactaret.

CAPUT VI.

Argumenta Prædicantis ex ratione & abſurdis refelluntur.

A Scripturâ & naturâ Sacramenti deſcendit Prędicans ad rationes: perquàm ſubtiles Reformati præ Lutheranis; quis non reformidet? arcana res agitur in myſterio multis abſcondito; ubi non tam humanum ingenium, quàm obſequium fidei poſcitur, ut captivum trahas intellectum, conſilium D. Pauli, ſi alibi tum hic providet: inſanum negotium, malle privato ſpiritu, quàm Eccleſiæ judicio cœcos duci regique. Poſſem ad omnes argutias, quibus plebs abducitur, cum D. Thomâ reſpondere. *Fides, etſi ſit ſupra rationem, non tamen contra rationem eſt*, audienda tamen pars eſt, ubi rationes fert.

Primùm ergo Prædicans ſic philoſophatur: Scriptura dicit Chriſtum ſumpſiſſe cœnam cum Apoſtolis, ergo ſi Chriſtus ſit præſens per Converſionem, ſequitur, Chriſtum in ultimâ Cœnâ, & ſuum caput, & manus, & pedes, & ſtomachum demiſiſſe in ſtomachum, id verò & abſurdum eſt, & contra rationem. Reſpondent Catholici: Cœna triplex fuit, figurata in agno paſchali; uſualis in communi

muni cibo, & myſtica in corpore & ſanguine ſuo. An verò Chriſtus dum dixit, deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, etiam de myſticâ intellexerit, & ſeipſum ſumpſerit diſceptant Theologi. Sunt qui negant, ut Soto & alii apud D. Thomam, Suarez diſp. 75. ſect. 5. Nihil hac ſuper re ab Evangeliſtis expreſsè ſcriptum, memorat, proinde nihil certi eſſe: Vaſquez diſp. 216. q. 8. art. 1. pluribus eam rem diſcuſſit, & cum D. Thomâ, Alexan. Bonif. Rich. Alberto, Gabriel. Clitou affirmat; eadem Marchantii ſententia in Cand. Myſt. lect. 7. Rationes exhibent; inter has; Euchariſtiam non ſolùm Sacramentum eſſe; ſed & ſacrificium: de Sacrificio autem participare offerentem: Levit. 6. *Sacerdos, qui offert hoſtiam, comedet in loco ſancto.* Accedit illud de Con. diſt. 2. *Quale erit Sacrificium, cujus nec ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur:* Eodem illud Hieronymi referunt ad Hedibiam: *Dominus Ieſus Conviva & Convivium, ipſe comedens, & qui comeditur:*

Quid nunc D. Prædicans ex ſententiâ incertâ certius extundere poteſt, ut abſurdum præſcribat; aut quid abſurdi cernit, quod nec Patres, nec tanti Theologi videre potuerunt, fortè, quia Prædicantes nunquam cœnam ſuis prębent, quin alios eâdem lege ſimul adſtringi cenſeant, ut ſumant, & ſuâ lege Chriſtum involvant, quaſi verò illorum ratio facti ſit regula juris; Hoc ergò acumen in ſpumâ natat.

II. Prædicans argumentatur: *Chriſtus ſemel mortuus eſt* Rom. 6. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem.* Phil. 2. Si verò in Euchariſtiâ ſit præſens, rurſum & pati & mori poteſt, & contemptui exponi; reſpondemus, nec pati, nec mori Chriſtum denuò; aliud enim, quoad hæc, poſt reſurrectionem corpus ſumpſit, de quo Apoſtolus 1 Cor. 15. tàm explicatè per ſingulas dotes. Scio, ſi ad vulgi aures hæc ferantur, vobis decla-

Prædicans, unum tamen injuriæ genus prætermiſit, quod primo loco illi collocandum erat, injurias, inquam, quæ Euchariſtiæ à priſcis Hæreticis, & Prædicantum Fratribus illatæ ſunt, ita enim memorat S. Optatus Milevitanus Epiſcopus lib. 2. contra Parmenianum Hæret. *Juſſerunt Euchariſtiam canibus fundi, non ſine ſigno divini judicii; nam iidem canis accenſi rabie, ipſos Dominos ſuos, quaſi Latrones Sancti Corporis noſtri dente vindice tanquam ignotos, & inimicos laniaverunt.* Quòd ſi deinde legeres Cyprianum ſermone de lapſis, cæteroſque Patres, quantis exemplis recenſeant eos à Deo vindice punitos, qui Euchariſtiam indignè tractarunt aut ſumpſerunt, haberes in quo veritatem à divino judicio & Pauli ſeveris minis perdiſceres, petulantemque illam linguam coërceres, ne te eadem aliquando pœnâ ſceleris involveret.

Alterum, quod in illâ tuâ declamatione deſidero, eſt; ut pari accuratione etiam populo proponeres quàm ſollicitè & reliogiosè SS. Patres monuerint primos Chriſtianos, ne quid ex conſecrato pane aut ſanguine in terram deflueret, aut debita veneratio læderetur, ut ex minimis illis etiam magna myſteria recognoſceres. Quid enim illud Tertulliani: *lib. de cor. Mil. c. 3.* *Calicis aut panis noſtri aliquid decuti in terram anxiè patimur*: Origenis, *Cùm ſuſcipitis corpus Domini, cum omni cautelâ & veneratione ſervatis, ne ex eo parum quid decidat, ne conſecrati muneris aliquid dilabatur, reos vos creditis; & rectè creditis*: Cyrilli *Hom. 13. in Exod.* Hieroſolym. *Cave ne quid inde excidat tibi; quod enim amittes, hoc tanqam ex proprio membro amiſeris, concavâ manu ſuſcipe corpus Chriſti.* Augſt: Homil. 26. lib. Hom. *Quantâ ſolicitudine obſervamus, quando nobis corpus Chriſti miniſtratur, ut nihil ex ipſo de noſtris manibus cadat in terram.* Quid illud *Cateche. 5.* Optati Milevita: de Sacris lib. 6. *Ea*, inquit, *Contaminare, magnum eſt ſacrilegium.* Quâ deinde vene-

neratione præſcripsêre Concilia, ne Laici, aut Eucharistiam aut Calices manu attrectarent. Cæſaraugustanum c. 3. Toletanum 1. c. 14. Rhemenſe can. 2. Carthaginenſe 4. c. 38. Conc. Romanum c. 9. Quid illæ pii Papæ & Martyris leges in Sacerdotes, quorum negligentiâ de ſanguine Christi stillaverit. Breu. 11. Julii. Et verò ſi ampullam ſacri Chriſmatis, quam Hæretici per feneſtras projecêre, Angeli in lapſu interceperint, ne in terram prolaberetur; utî ab Optato Milevit. libr. 2. Scriptum eſt, quâ veneratione Euchariſtia tractanda, & Sacrificium, ob corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam; de quâ re Chryſ. lib. 6. de Sacerdot. Gregor. lib. 4. Dialog. Quin de ipſo Sacerdotio Hieronym. Epiſtolâ ad Theophilum Alexan. *Propter conſortium corporis & ſanguinis Domini magnâ veneratione coli neceſſe eſt.* Quàm nunc diſpar religionis cultus apud Reformatos! nam ſi quæras quid cum conſecrati muneris reliquiis & particulis agatur: Vides eas, vel in communis cibi uſum deſtinari: vel famularum manibus, vel etiam canibus, muribus & gliribus vorandas relinqui, vel pullis gallinarum ex iis offam interi, de quo Naſius. Quotidiana hujus rei exempla.

Nil mirum; Egena & vacua Elementa ſunt, pro corpore Chriſti figura, pro veritate umbra: & longè minus, quàm in vetere Teſtamento: quanta ſæculi hujus impoſtura! Aliena arguis, & tua non vides. Ita verò. *Non vides mantucæ, quod in tergo eſt.*

III. Prædicantis ratio eſt, ſi Chriſtus ſit præſens in Euchariſtiâ, ſequetur innumera multiplicatio corporis Chriſti, tùm continua miracula ad Sacerdotis voluntatem; quod cùm fieri non poſſit; fieri quotidiè abſurdum etiam erit dicere; ita Prædicans; ſi quæras, quomodo conſequentiam probet; omninò tacet, exſpectant Jeſuitæ hîc novum Philo-

ſophum

Digitized by Google

ſophum & Theologum: Scis quantis voluminum diſcurſibus Catholici hanc quæſtionem tractent & verſent; quid miracula accuſas? ſi infans baptizetur (& quot non quotidiè toto orbe) eſtne inſolens contra naturæ ordinem toties aquâ elementali animam ablui? non videris ſcire, quid miraculum ſit. De utroque ergo dicas cum Auguſt. *Miratur hoc mens humana, & quia non capit, fortaſſe non credit.* Quàm explicatè Epiphan. in Anchorato: *Chriſtus verè eſt in hoc Sacramento, cùm non ſit illi æquale in quantitate, nec ſimile in figurâ*, lege quæ infra recitantur & citantur ex Sancto Gregorio Nyſſ. ad IV. ſæculum de multiplicatione corporis Chriſti in tot locis. *Epiſt. ad Voluſ.*

Pergit Prędicans: illa multiplicatio corporis Chriſti in Euchariſtiâ, tum illa corporis contractio ad parvę hoſtię ſpatium, adeoque ad punctum videtur involvere contradictionem: ℞. Hoc Prędicanti videri, ſed nulli ſano Philoſopho, nec Theologo, dummodo Philoſophię principia & prędicamentum Quantitatis, & Ubi intelligat, uti Catholicorum Philoſophi etiam ad rationis lumen collocant; videmus naturaliter corpora rareſieri & condenſari, quomodo Deo negabimus; ut corpus in punctum contrahat, qui Camelum per foramen acus trajicere poteſt. Quomodo Concilias, quod vides quotidie? Animam eſſe totam in toto, & totam in quâlibet parte; quę dum in manu movetur, in pede quieſcit. Tolleſne ideo animam è corpore? nulla hic contradictio, quę non multò magis in myſterio SS. Trinitatis, Incarnationis & Reſurrectionis collocari ac fingi ex tuo cerebro poſſet. Quę myſteria teſte Suarez nullo naturali principio evidenter oſtendi poſſunt, ſed, *non eſt apud Deum impoſſibile omne verbum.* Proinde S. Aug. tract. 84. in Joan. *Quæ eſt menſa potentis, niſi unde ſumitur corpus & ſanguis ejus, qui animam ſuam poſuit pro nobis.*

bis. Somnia fingis & priſcorum deliria Hęreticorum, quibus plebs ſe capi ſinit, quia myſteria ratione capi vult, quę fide percipi debent, utî verò hoc myſterium Euchariſtię rationi conſentaneum ſit, docebit te inter cęteros Suarez q. 75. ſect. 7. Pone tandem aliquid, quo Antilogiam probes. Hęc quæ hactenus attuliſtis, quilibet ſutor ſcribere potuiſſet. Quam ſapienter Irenęus. *Altiſſima myſteria non omnes capiunt, quia non omnes cerebrum habent.*

l. 1. c. 1.

IV. Prædicantis ratiocinatio ita habet: Deus prohibuit omnem Idololatriam in ligno & inſenſili trunco: Pſal. 155. & Iſa. 44. v. 8. c. 19. *Ante truncum ligni procidam?* ergo etiam prohibuit adorationem in Euchariſtiâ, in quâ præſentis Chriſti nullus ſenſus deprehendi poteſt. ℟. Craſſum & plebeium argumentum. Fides ex ſenſibus, an ex revelatione eſt? itaque non ex cerebro, ſed ex cubito argumentum hoc profluxit: Chriſtus in cunis nullum ſignum dedit, niſi vagientis pueri, & infantis faſciis inſtricti; ergone Magi, Idololatriæ incuſandi, qui *Procidentes adoraverunt eum*: Incarnationem non ex ſenſibus habuêre Apoſtoli & Fideles in Chriſto, ſed ex revelatione divinâ; inde adoratio. vis in Euchariſtiâ adorationem: Lege Auguſt. *Nemo carnem illam manducat, niſi prius adoraverit.* Chryſoſt. *Si pura ſunt veſtimenta, adora & manduca*: conſule totam Eccleſiæ antiquitatem & monumenta: quòd Chriſtum trunco comparas in Euchariſtiâ impium & blaſphemum pronuncias. Si Theologos primùm conſuleres, reſponderent tibi, Chriſtum non eſſe in Euchariſtiâ ad operationes illas exercendas: & quod fidei meritum eſſet? ſed ut inſtar cibi ſpiritualis paſcat animas; Imò has ſenſuum operationes non poſſe connaturaliter produci ſine extenſione tàm ſubjectivâ, quàm cauſę efficientis, tum quòd ſenſus externi agere non poſſint, niſi per

Matt. 2.

ſpecies

Digitized by Google

ſpecies ab objectis immutentur : atqui objecta nequeunt Chriſti indiviſibiliter exiſtentis immutare; hîc te Philoſophum primùm agere oportebat, antequam Jeſuitarum Theologos provocares.

Recenſuit Prædicans omnia abſurda, quæ colligere potuit: quæ verò abſurda ſequantur in Calviniſtarum doctrinâ, ea primùm advertere oportebat. Etenim ſi Chriſtus non ſit præſens in Euchariſtiâ; hæc quæ verè abſurda ſunt ſequentur.

Primò omnes SS. Patres erraſſe in cultu adorationis. Secundò erraſſe Epiſcopos, & Sacerdotes, & omnem Chriſtianum populum tot ſæculis. Tertiò ipſam Eccleſiam, quæ errare non poteſt, in iis, quæ ad fidem & mores ſpectant, impiè deliraſſe. Quartò omnes Imperatores, Reges, & Majores noſtros Idololatras fuiſſe. Quintò Germaniam, Galliam, Hiſpaniam, Angliam & omnia regna ab unâ Idololatriâ ad aliam Artolatriam converſa eſſe per impoſturam Apoſtolicorum virorum. Sextò omnes religionis cultus huic Sacramento delatos inſanam populi Chriſtiani fuiſſe ſuperſtitionem, & Diaboli ludificationes, adeoque ipſos Huſſitas fratres tuos, hac ſacrilegâ veneratione deluſos fuiſſe; quos Cochlæus refert Euchariſtiam Pragæ in publicâ ſupplicatione circumtuliſſe, & provolutis genibus adoraſſe. Septimò Solis Sacramentariis hanc veritatem excluſis Catholicis his poſtremis temporibus hæreſeon eſſe revelatam: & quæ non abſurda colligi poterunt, quæ nullius judicio admitti poſſunt, niſi cui omne judicium excidit; demùm ipſam fidei regulam in Eccleſiæ & Conciliorum judicio elidi & proſcribi poſſe.

CAPUT VII.

An Catholicorum doctrina de præſentiâ Chriſti ſit contra Articulos Fidei & experimenta ſenſuum.

QUartum hoc genus argumentorum eſt Prædicanti; præſentia enim Chriſti primo illi eſt contra Scripturam, tùm contra naturam Sacramenti, poſt contra rationem: deinde contra fidei articulos. Sed quocunque ſe vertit eadem falſitas hominem ſequitur, & miſerè collidit. Sed quinam articuli illi? quos Doctrina Catholica evertit.

I. Ergo, ait, *Præſentia Chriſti eſt contra Incarnationem*: quomodo id probas? ita verò, inquit, Chriſtus ſemel natus eſt ex Mariâ Virgine per operationem Sancti Spiritus, ſine operatione humanâ; ergo non debet in Euchariſtiâ denuo converti ex pane per voluntatem Sacerdotis, ita etiam ut Sacerdotes dicantur Creatores Creatoris ſui apud Catholicos. Mirabilis conſequentia, quam nullus SS. PP. nec Theologorum excogitare auſus fuit, aut certè non potuit. Legiſtine Amb. lib. 4. de Sacr. c. 4. *Præter ordinem naturæ virgo generavit, & hoc quod conficimus corpus ex virgine eſt.* Quid tu contra Incarnationem dicis eſſe Euchariſtiam? quæ à Chryſoſt. dicitur eſſe *complementum Incarnationis*, ex eodem videlicet fonte amoris. *Quomodo non omnia* Rom. 8. *donavit cum illo.* Priſci Hæretici, qui hunc fontem obturarunt, & Incarnationem negarunt, per conſequens etiam præſentiam Euchariſtiæ negarunt: de quo S. Ignatii apud Theodor. accuſatio recitata: Quæſo te, ſi tantus es in illâ univerſitate Leidenſi, quare non unico argumento probas, id, quod nudè & impiè aſſeris: citas Suarez: quare non legiſti q. 75. ubi contrarium 12. rationibus eruditè & Theo-

Theologicè demonſtrat. Tamne ſiccus, ubi tam fluidi & diſerti ſunt Catholici? aut tu quis es? qui divinæ & infinitæ bonitati, ſapientiæ, miſericordiæ, potentiæ, & caritati erga homines modum & terminos præſcribere audeas; ex his etiam attributis Aſcetici, & Theologi, & Patres Euchariſtiam nobis tradiderunt: dicas cum Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdot. *O! miraculum! ô! Dei benignitatem! qui cum Patre ſurſum ſedet! in illo ipſo articulo omnium manibus pertractatur.* S. Greg. *Cui dubium eſſe poteſt in ipſâ immolationis horâ cœlum aperiri.* Alg. lib. 2. c. 3. *Quàm verè Chriſtus ſeipſum daturus eſt Sanctis ad gloriam, tam verè modò ad omnem gratiam dat ſeipſum Eccleſiæ.* At magnoperè te offendit Sacerdotes vocari Creatores Creatoris ſui? magna res! etiam Moyſes *mediator* dicitur, deinde *Ego dixi vos Dii eſtis*: appellârit nonnemo Creatores per Metaphoram, ſive audacem, ſive non audacem; res apud Catholicos clara eſt, non aliter Sacerdotes concurrere ad Sacramenta, quàm inſtrumentum cum principali causâ, quæ eſt Chriſtus, ita baptizant, conſecrant, abſolvunt, nec aliter Prædicans per Baptiſmum regenerat, ut regenerator alterque parens dici poſſit. *Deut. 5. Pſal. 81.*

Alter Articulus Symboli quem Prædicans ſcribit everti, ſextus eſt: *Chriſtus aſcendit ad cœlos*: Actor. 1. & 3. Ergo non eſt in Euchariſtiâ; rurſum ex officinâ Textoris; jam centum annis hoc argumentum audivimus, & à centum annis exſpectata eſt probatio. Quando tandem? ad Kalendas Græcas: Quare non probas conſequentiam; ſed illico te abrumpis, tantùm Auguſtinum in auxilium vocas tract. 17. & tract. 50. in Joannem: verùm S. Auguſt. nihil aliud citatis locis dicit, quàm Chriſtum non fore poſt reſurrectionem in terris amplius aſpectabili illâ formâ & viſibili; Quomodo Chriſtus ipſe locutus eſt: *Semper pauperes habetis vobiſcum, me* *Matt. 26*

ceat & ſcribimus & proſcribimus, ſcis quid in ſimili tuus Gomarus ſcripſerit; *una hirundo non facit ver.* Addere poteras Occamum;at neuter Calviniſta eſſe voluit; dum enim, uterque ait, erit corpus Chriſti, utique verum corpus fatentur. Quòd omnes id Scholaſticos cum Bonaventurâ docere ſcribas,inſcitiam tuam denuo prodis. Nunquid hæc quam poſtremùm poſui, doctrina eſt D. Thomæ q. 78. art. 5. ubi ait, *oportere prædictam locutionem ſecundùm ultimum inſtans intelligere*, & quàm multi D. Thomam ſecuti, lege Vaſquez ad q. & art. 5. ubi tam exactè hæc expendit, ut ſolùm à te illud Chriſti requiratur. *Qui legit, intelligat*: quid obſecro Jeſuitæ cogitant, quando tam inconſideratè involas & plebi Philoſophiam aperiri vis.

IV. Obſtrepit Prædicans. Euchariſtia dicitur panis 1 Cor. 10. *Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis eſt*, rurſum c. 11. Panis dicitur; Ergo non eſt converſio, nec corpus Chriſti præſens eſt. Trita rurſum in ſcholis velitatio. Reſpondet Chriſtus: *Cæci vident*, *& claudi ambulant* & Prædicans adhuc cæcus eſt, ut in hac propoſitione ſolutionem non videat. Quid videtur D. Prædicanti? Poteſtne cæcus videre? reſpondebis in ſenſu diviſo, non compoſito, in ſenſu diviſo eſt communicatio corporis Chriſti, quàm multa ejuſmodi ſe offerunt. Gen. 2. Eva appellatur os Adæ. c. 3. homo pulvis. Deinde Euangeliſtæ dicunt non ſolùm fregiſſe, & dediſſe panem, ſed addendo, dicendoque: *Hoc eſt corpus meum*, antea ergo panis erat; poſtea ex eo corpus factum eſt. Quanquam alii reſpondeant panem dici ratione accidentium panis remanentium; alii dicunt Hebræâ phraſi dici panem, quâ omnis cibus dicitur panis, qui reficit, id cum Euchariſtia præſtet, meritò panis dicitur, cùm hac phraſi cibus & panis Synonyma ſint. 4 Regum 6. v. 22. & 23.

Hebr.

Digitized by Google

שִׂים לֶחֶם וָמַיִם לִפְנֵיהֶם וְיֹאכְלוּ וְיִ Hebr.
שְׁתּוּ וַיִּכְרֶה לָהֶם כֵּרָה

שַׁוִּי לַחְמָא וּמוֹא קֳדָמֵיהוֹן וְיֵיכְלוּן וְיִשְׁתּוֹן Chal.

Παράθες αὐτοῖς ἄρτους ϗ ὕδωρ ϗ φαγέτωσαν, ϗ πιέτωσαν ϗ παρέθηκεν αὐτοῖς παράθεσιν μεγάλην ϗ ἔφαγον ϗ ἔπιον.

Hæc communis & ſimpliciſſima reſponſio eſt. Accipitur autem לֶחֶם a לָחַם ferè pro pane, quia hîc inter cibos communiſſimus eſt. Caro autem Chriſti verè eſt cibus Joan. 6. deinde hîc panis dicitur cum addito, videlicet *cœleſtis*, *panis vitæ*, *panis qui frangitur:* quibus ſignificatur eſſe panem, ſed alterius naturæ cibum. In Syro textu itidem לחמא & ſi tropum quæras in cæteris, nullibi reperies. Omnes linguæ: *Hoc eſt corpus: Hic eſt ſanguis meus:* Diſertè S. Aug. Ser. 28. de con. diſt. 2. *Ante verba verbi, quod offertur, panis dicitur, ubi Chriſti verba deprompta fuerint, jam non panis dicitur, ſed corpus appellatur.* Greg. Nyſſ. lib. 1. de Bap. *Panis in principio panis eſt, at ubi illud myſterium ſacrificaverit, Chriſti eſt, & dicitur & eſt.* Cæterorum teſtimonia lege cap. 12. Atque hæc Prædicantis ſunt argumenta ex Scripturâ, quibus Jeſuitis, & orbi miram ſuam doctrinam perſuadere voluit. Quoties verò diſcuſſa & exploſa! etiam ad vulgi aures, poterat ex ipſis Jeſuitarum libris aliquando altius fundum ingredi. Hæc vulgi terriculamenta ſunt, quibus ne Tirones quidem commoveri volunt: exploremus cętera, an hęc immota tot ſęculorum veritas concuti ſinat.

Digitized by Google

CAPUT V.

Fragile Prædicantis argumentum ex naturâ Sacramenti petitum.

NOvum & incognitum hactenus mundo argumentum, quod adfertur tali Enthymemate involutum: *Omne Sacramentum à Chriſto inſtitutum eſt viſibile ſignum inviſibilis gratiæ, ergo Euchariſtiæ Sacramentum debet eſſe ſignum inviſibilis corporis Chriſti, quod in cœlo eſt.* Stultus apud Galenum, cùm cribrum hac illacque perfluens videret, neſcire ſe exclamat. Quid ejus obturet, aut non obturet, idem mihi in mentem venit, & movet hoc Enthymema. Primò qualis conſequentia? Sacramentum in genere eſt inviſibilis gratiæ ſignum, ergo inviſibilis corporis. Baptiſmus inviſibilis gratiæ ſignum eſt, at cujus inviſibilis corporis? Ratio eſt, quia reſpectus ad gratiam, eſt differentia eſſentialis omnibus Sacramentis, non ad corpus.

II. Hoc argumentum nihil Prædicanti probat: probandum erat corpus Chriſti non eſſe præſens, ſequiturne? gratia & Angelus inviſibilis eſt, ergo non eſt præſens? anima eſt inviſibile contentum in homine, ergo non eſt præſens? imò verò multum probat Catholicis, nam utî ſubſtantia panis per ſe non eſt viſibilis, ſed ratione accidentium, quæ hîc ſigna ſunt; ita corpus Chriſti ſub iiſdem accidentibus præſens eſt, atque utî pronomen *Hoc* ſignat & demonſtrat panem ante conſecrationem; ita ſignat corpus Chriſti poſt conſecrationem ideo Chriſtus dixit. *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus.*

Ut verò ex fundamentis clarius expediamus hunc Prædicantem, remittendus eſt ad naturam & eſſen-

eſſentiam hujus Sacramenti. Atque ea vel in corpore Chriſti collocanda eſt connotatis extrinſecè ſpeciebus; vel in ſpeciebus connotato corpore & ſanguine Chriſti; vel quæ planiſſima, veriſſimaque eſt ſententia in corpore Chriſti & ſpeciebus; quocunque horum modorum accipias Sacramentum: inſuper hæc tria dicit. Primò ſpecies, quæ ita dicunt Sacramentum, ut ſignificent activè tantùm, & non ſignificentur. Secundò res & Sacramentum, quæ ſunt corpus & ſanguis Chriſti, quia per ſpecies ſignificantur & ſignificant ſimul activè, videlicet gratiam internam & caritatem. Tertiò res tantùm Sacramenti, quæ eſt gratia, quæque ſignificatur tantùm paſſivè, & non ſignificat activè.

Quibus poſitis facilè videre licet, quomodo hoc Sacramentum ſit ſignum, non abſentis, ſed præſentis corporis Chriſti: Hinc tua confirmatio, quam ſubjungis, falſa eſt; ais enim, ideò Chriſtus accepit panem, & dixit: *Hoc eſt corpus meum*, ut per viſibilem panem oſtenderet inviſibile corpus abſens, & in cœlo exiſtens: erras, ſed ideò accepit panem, & dixit: *Hoc eſt corpus meum*, ut præſens corpus oſtenderet, ſub ſpeciebus panis, tanquam contentum; Chryſoſt. *ipſum*; inquit, *vides*, *ipſum tangis*, *ipſum comedis*. Hom. 45. in Joan. eadem repetit; & quæ non SS. PP. ad hanc clariſſimam veritatem adducunt. Ex falsâ tua hypotheſi quid mirum tam multa falſa & abſurda ſequi. *Hom. 28. in Matth.*

Quòd verò Sacramentum ſignum gratiæ agnoſcas, Catholicum eſt, & Catholicis accedis, niſi illicò ſtatim recedas, ſi quæratur qualis ſit illa gratia, & reſpondeas, eam in ſolâ fide excitandâ conſiſtere, ut per ſolam fidem juſtificatio detur. Secundò inhærenſne; an actualis tantùm? Calvinus ipſe perplexus hæſit in ſuis antilogiis, ut Becanus oſtendit; modò enim inquit, nulla gratia datur inhærens, modò inquit, ſemper donamur gratiâ inhærente;

quoties reconciliamur. Quid de Infantibus dicemus? qualem illis gratiam per Baptiſmum aſſignabis? inhærentem negatis, actualis capaces non ſunt; denique nullam illis dari gratiam fortè dicès, quando Baptiſmus vobis ſolum & nudum ſigillum eſt ad obſignandam prædeſtinationem & electionem, quàm multa tibi hîc intriviſti, quæ nunquam excedes. Interim tu omnium Jeſuitarum Theologos evocas in arenam. Ludrica res, non ſecus, ac ſi ruſticus ligneo bidente munitiſſimum Hollandorum propugnaculum expugnaturum ſe jactaret.

CAPUT VI.

Argumenta Prædicantis ex ratione & abſurdis refelluntur.

A Scripturâ & naturâ Sacramenti deſcendit Prędicans ad rationes: perquàm ſubtiles Reformati præ Lutheranis; quis non reformidet? arcana res agitur in myſterio multis abſcondito; ubi non tam humanum ingenium, quàm obſequium fidei poſcitur, ut captivum trahas intellectum, conſilium D. Pauli, ſi alibi tum hic providet: inſanum negotium, malle privato ſpiritu, quàm Eccleſiæ judicio cœcos duci regique. Poſſem ad omnes argutias, quibus plebs abducitur, cum D. Thomâ reſpondere. *Fides, etſi ſit ſupra rationem, non tamen contra rationem eſt*, audienda tamen pars eſt, ubi rationes fert.

Primùm ergo Prædicans ſic philoſophatur: Scriptura dicit Chriſtum ſumpſiſſe cœnam cum Apoſtolis, ergo ſi Chriſtus ſit præſens per Converſionem, ſequitur, Chriſtum in ultimâ Cœnâ, & ſuum caput, & manus, & pedes, & ſtomachum demiſiſſe in ſtomachum, id verò & abſurdum eſt, & contra rationem. Reſpondent Catholici: Cœna triplex fuit, figurata in agno paſchali; uſualis in communi

muni cibo, & myſtica in corpore & ſanguine ſuo. An verò Chriſtus dum dixit, deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, etiam de myſticâ intellexerit, & ſeipſum ſumpſerit diſceptant Theologi. Sunt qui negant, ut Soto & alii apud D. Thomam, Suarez diſp. 75. ſect. 5. Nihil hac ſuper re ab Evangeliſtis expreſsè ſcriptum, memorat, proinde nihil certi eſſe: Vaſquez diſp. 216. q. 8. art. 1. pluribus eam rem diſcuſſit, & cum D. Thomâ, Alexan. Bonif. Rich. Alberto, Gabriel. Clitou affirmat; eadem Marchantii ſententia in Cand. Myſt. lect. 7. Rationes exhibent; inter has; Euchariſtiam non ſolùm Sacramentum eſſe; ſed & ſacrificium: de Sacrificio autem participare offerentem: Levit. 6. *Sacerdos, qui offert hoſtiam, comedet in loco ſancto.* Accedit illud de Con. diſt. 2. *Quale erit Sacrificium, cujus nec ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur:* Eodem illud Hieronymi referunt ad Hedibiam: *Dominus Ieſus Conviva & Convivium, ipſe comedens, & qui comeditur:*

Quid nunc D. Prædicans ex ſententiâ incertâ certius extundere poteſt, ut abſurdum præſcribat; aut quid abſurdi cernit, quod nec Patres, nec tanti Theologi videre potuerunt, fortè, quia Prædicantes nunquam cœnam ſuis prębent, quin alios eâdem lege ſimul adſtringi cenſeant, ut ſumant, & ſuâ lege Chriſtum involvant, quaſi verò illorum ratio facti ſit regula juris; Hoc ergò acumen in ſpumâ natat.

II. Prædicans argumentatur: *Chriſtus ſemel mortuus eſt* Rom. 6. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem.* Phil. 2. Si vero in Euchariſtiâ ſit præſens, rurſum & pati & mori poteſt, & contemptui exponi; reſpondemus, nec pati, nec mori Chriſtum denuò; aliud enim, quoad hæc, poſt reſurrectionem corpus ſumpſit, de quo Apoſtolus 1 Cor. 15. tàm explicatè per ſingulas dotes. Scio, ſi ad vulgi aures hæc ferantur, vobis decla-

Digitized by Google

mantibus, magno motu excipi, ſed ſine judicio. Antiquum malum, myſteria, Gentilium & Hereticorum riſui obnoxia eſſe; at nos cum S. Auguſt. in Pſalmo 33. dicimus: *Niſi humilis eſſet, ſeque humiliaſſet Dominus Ieſus, eum nec manducare, nec bibere potuiſſemus.*

Perorat Prædicans: ſi Chriſtus ſit præſens, ſequentur hæc abſurda, Chriſtum dentibus atteri, in ventrem demitti, à muribus & gliribus arrodi, putreſcere, à nauſeante ſtomacho regeri & evomi, demum poſſe ea pati, quæ aliquando per ſummam injuriam paſſus eſt. Prætereo, quæ Luciani & Porphyrii calamo ſcribit: ſed antiquæ Hæreticorum ſunt næniæ & nugæ, quas olim Berengarii Diſcipuli occinuêre, quibus abundè reſponſum eſt à Guitm. lib. 2. & Alg. lib. 2. c. 1. Neq; ab his magis lędi Chriſtum ſcimus; quàm radios ſolis ſi per corruptum aërem permicent; neque corpus magis affici poſſe, quàm ipſam divinitatem. Neque plus hæc Catholicum movent, quàm Marcioniſtarum ſannæ, qui indignum cenſebant, Deum materno utero includi, faſciis inſtringi & infantilibus miſeriis premi Eadem Neſtorii vox fuit ad plebem: *Egone bimeſtrem aut trimeſtrem, fœdatum ſputis, flagris laceratum & crucifixum credam Deum*; quibus ſi moveremur, facile nobis aliquis Vorſtius perſuaderet cum Atheiſtis, Deum non eſſe ubique, quod eorum judicio fœdaretur in cloacis, & pateretur in Inferno. Idem amor, qui traxit Chriſtum è cœlo ad humanas miſerias. *Propter nimiam caritatem ſuam, quâ dilexit nos*, etiam ad hoc amoris Sacramentum largitus eſt; *Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Quantò conſultiùs Cyprianus, quàm Lucianus tuus de Cœnâ Domini: *Sacramento viſibili divina ſe infudit eſſentia, ut eſſet religioni circa Sacramenta devotio.*

Theodoret. lib. 4. lib. 1. hiſt. c. 2.

Eph. 2. v. 4.

Ioan. 13.

Verùm, cùm tàm exactè omnia percenſuerit Prædi-

Prædicans, unum tamen injuriæ genus prætermiſit, quod primo loco illi collocandum erat, injurias, inquam, quæ Euchariſtiæ à priſcis Hæreticis, & Prædicantum Fratribus illatæ ſunt, ita enim memorat S. Optatus Milevitanus Epiſcopus lib. 2. contra Parmenianum Hæret. *Juſſerunt Euchariſtiam canibus fundi, non ſine ſigno divini judicii; nam iidem canes accenſi rabie, ipſos Dominos ſuos, quaſi Latrones Sancti Corporis noſtri dente vindice tanquam ignotos, & inimicos laniaverunt.* Quòd ſi deinde legeres Cyprianum ſermone de lapſis, cæteroſque Patres, quantis exemplis recenſeant eos à Deo vindice punitos, qui Euchariſtiam indignè tractarunt aut ſumpſerunt, haberes in quo veritatem à divino judicio & Pauli ſeveris minis perdiſceres, petulantemque illam linguam coërceres, ne te eadem aliquando pœnâ ſceleris involveret.

Alterum, quod in illâ tuâ declamatione deſidero, eſt; ut pari accuratione etiam populo proponeres quàm ſollicitè & reliogiosè SS. Patres monuerint primos Chriſtianos, ne quid ex conſecrato pane aut ſanguine in terram deflueret, aut debita veneratio læderetur, ut ex minimis illis etiam magna myſteria recognoſceres. Quid enim illud Tertulliani: *Calicis aut panis noſtri aliquid decuti in terram anxiè patimur*: Origenis, *Cùm ſuſcipitis corpus Domini, cum omni cautelâ & veneratione ſervatis, ne ex eo parum quid decidat, ne conſecrati muneris aliquid dilabatur, reos vos creditis; & rectè creditis*: Cyrilli Hieroſolym. *Cave ne quid inde excidat tibi; quod enim amittes, hoc tanqam ex proprio membro amiſeris, concavâ manu ſuſcipe corpus Chriſti.* Augſt: Homil. 26. lib. Hom. *Quantâ ſolicitudine obſervamus, quando nobis corpus Chriſti miniſtratur, ut nihil ex ipſo de noſtris manibus cadat in terram.* Quid illud Optati Milevita: de Sacris lib. 6. *Ea*, inquit, *Contaminare, magnum eſt ſacrilegium.* Quâ deinde vene-

lib. de cor. Mil. c. 3.

Hom. 13. in Exod.

Catech. 5.

neratione præſcripsêre Concilia, ne Laici, aut Euchariſtiam aut Calices manu attrectarent. Cæſaraugustanum c. 3. Toletanum 1. c. 14. Rhemenſe can. 2. Carthaginenſe 4. c. 38. Conc. Romanum c. 9. Quid illæ pii Papæ & Martyris leges in Sacerdotes, quorum negligentiâ de ſanguine Chriſti ſtillaverit. Breu. 11. Julii. Et verò ſi ampullam ſacri Chriſmatis, quam Hæretici per feneſtras projecêre, Angeli in lapſu interceperint, ne in terram prolaberetur; utî ab Optato Milevit. libr. 2. Scriptum eſt, quâ veneratione Euchariſtia tractanda, & Sacrificium, ob corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam; de quâ re Chryſ. lib. 6. de Sacerdot. Gregor. lib. 4. Dialog. Quin de ipſo Sacerdotio Hieronym. Epiſtolâ ad Theophilum Alexan. *Propter conſortium corporis & ſanguinis Domini magnâ veneratione coli neceſſe eſt.* Quàm nunc diſpar religionis cultus apud Reformatos! nam ſi quæras quid cum conſecrati muneris reliquiis & particulis agatur: Vides eas, vel in communis cibi uſum deſtinari: vel famularum manibus, vel etiam canibus, muribus & gliribus vorandas relinqui, vel pullis gallinarum ex iis offam interi, de quo Naſius. Quotidiana hujus rei exempla.

Nil mirum; Egena & vacua Elementa ſunt, pro corpore Chriſti figura, pro veritate umbra: & longè minus, quàm in vetere Teſtamento: quanta ſæculi hujus impoſtura! Aliena arguis, & tua non vides. Ita verò. *Non vides manticæ, quod in tergo eſt.*

III. Prædicantis ratio eſt, ſi Chriſtus ſit præſens in Euchariſtiâ, ſequetur innumera multiplicatio corporis Chriſti, tùm continua miracula ad Sacerdotis voluntatem; quod cùm fieri non poſſit; fieri quotidiè abſurdum etiam erit dicere; ita Prædicans; ſi quæras, quomodo conſequentiam probet; omninò tacet, exſpectant Jeſuitæ hîc novum Philo-
ſophum

ſophum & Theologum : Scis quantis voluminum diſcurſibus Catholici hanc quæſtionem tractent & verſent; quid miracula accuſas? ſi infans baptizetur (& quot non quotidiè toto orbe) eſtne inſolens contra naturæ ordinem toties aquâ elementali animam ablui? non videris ſcire, quid miraculum ſit. De utroque ergo dicas cum Auguſt. *Miratur hoc mens humana, & quia non capit, fortaſſe non credit.* Epiſt. ad Volus. Quàm explicatè Epiphan. in Anchorato : *Chriſtus verè eſt in hoc Sacramento, cùm non ſit illi æquale in quantitate, nec ſimile in figurâ,* lege quæ infra recitantur & citantur ex Sancto Gregorio Nyſſ. ad IV. ſæculum de multiplicatione corporis Chriſti in tot locis.

Pergit Prędicans : illa multiplicatio corporis Chriſti in Euchariſtiâ, tum illa corporis contractio ad parvę hoſtię ſpatium, adeoque ad punctum videtur involvere contradictionem : ℞. Hoc Prędicanti videri, ſed nulli ſano Philoſopho, nec Theologo, dummodo Philoſophię principia & prędicamentum Quantitatis, & Ubi intelligat, utî Catholicorum Philoſophi etiam ad rationis lumen collocant; videmus naturaliter corpora rareſieri & condenſari, quomodo Deo negabimus; ut corpus in punctum contrahat, qui Camelum per foramen acus trajicere poteſt. Quomodo Concilias, quod vides quotidie? Animam eſſe totam in toto, & totam in quâlibet parte; quę dum in manu movetur, in pede quieſcit. Tolleſne ideo animam è corpore? nulla hîc contradictio, quę non multò magis in myſterio SS. Trinitatis, Incarnationis & Reſurrectionis collocari ac fingi ex tuo cerebro poſſet. Quę myſteria teſte Suarez nullo naturali principio evidenter oſtendi poſſunt, ſed, *non eſt apud Deum impoſſibile omne verbum.* Proinde S. Aug. tract. 84. in Joan. *Quæ eſt menſa potentis, niſi unde ſumitur corpus & ſanguis ejus, qui animam ſuam poſuit pro nobis.*

bis. Somnia fingis & priſcorum deliria Hęreticorum, quibus plebs ſe capi ſinit, quia myſteria ratione capi vult, quę fide percipi debent, utî verò hoc myſterium Euchariſtię rationi conſentaneum ſit, docebit te inter cęteros Suarez q. 75. ſect. 7. Pone tandem aliquid, quo Antilogiam probes. Hęc quæ hactenus attuliſtis, quilibet ſutor ſcribere potuiſſet. Quam ſapienter Irenęus. *Altiſſima myſteria non omnes capiunt, quia non omnes cerebrum habent.*

l. 1. c. 1.

IV. Prædicantis ratiocinatio ita habet: Deus prohibuit omnem Idololatriam in ligno & inſenſili trunco: Pſal. 155. & Iſa. 44. v. 8. c. 19. *Ante truncum ligni procidam?* ergo etiam prohibuit adorationem in Euchariſtiâ, in quâ præſentis Chriſti nullus ſenſus deprehendi poteſt. ℞. Craſſum & plebeium argumentum. Fides ex ſenſibus, an ex revelatione eſt? itaque non ex cerebro, ſed ex cubito argumentum hoc profluxit: Chriſtus in cunis nullum ſignum dedit, niſi vagientis pueri, & infantis faſciis inſtricti; ergone Magi, Idololatriæ incuſandi, qui *Procidentes adoraverunt eum*: Incarnationem non ex ſenſibus habuêre Apoſtoli & Fideles in Chriſto, ſed ex revelatione divinâ; inde adoratio. vis in Euchariſtiâ adorationem: Lege Auguſt. *Nemo carnem illam manducat, niſi prius adoraverit.* Chryſoſt. *Si pura ſunt veſtimenta, adora & manduca*: conſule totam Eccleſiæ antiquitatem & monumenta: quòd Chriſtum trunco comparas in Euchariſtiâ impium & blaſphemum pronuncias. Si Theologos primùm conſuleres, reſponderent tibi, Chriſtum non eſſe in Euchariſtiâ ad operationes illas exercendas: & quod fidei meritum eſſet? ſed ut inſtar cibi ſpiritualis paſcat animas; Imò has ſenſuum operationes non poſſe connaturaliter produci ſine extenſione tàm ſubjectivâ, quàm cauſę efficientis, tum quòd ſenſus externi agere non poſſint, niſi per

Matt. 2.

ſpecies

Digitized by Google

ſpecies ab objectis immutentur : atqui objecta nequeunt Chriſti indiviſibiliter exiſtentis immutare; hic te Philoſophum primùm agere oportebat, antequam Jeſuitarum Theologos provocares.

Recenſuit Prædicans omnia abſurda, quæ colligere potuit: quæ verò abſurda ſequantur in Calviniſtarum doctrinâ, ea primùm advertere oportebat. Etenim ſi Chriſtus non ſit præſens in Euchariſtiâ; hæc quæ verè abſurda ſunt ſequentur.

Primò omnes SS. Patres erraſſe in cultu adorationis. Secundò erraſſe Epiſcopos, & Sacerdotes, & omnem Chriſtianum populum tot ſæculis. Tertiò ipſam Eccleſiam, quæ errare non poteſt, in iis, quæ ad fidem & mores ſpectant, impiè deliraſſe. Quartò omnes Imperatores, Reges, & Majores noſtros Idololatras fuiſſe. Quintò Germaniam, Galliam, Hiſpaniam, Angliam & omnia regna ab unâ Idololatriâ ad aliam Artolatriam converſa eſſe per impoſturam Apoſtolicorum virorum. Sextò omnes religionis cultus huic Sacramento delatos inſanam populi Chriſtiani fuiſſe ſuperſtitionem, & Diaboli ludificationes, adeoque ipſos Huſſitas fratres tuos, hac ſacrilegâ veneratione deluſos fuiſſe; quos Cochlæus refert Euchariſtiam Pragæ in publicâ ſupplicatione circumtuliſſe, & provolutis genibus adoraſſe. Septimò Solis Sacramentariis hanc veritatem excluſis Catholicis his poſtremis temporibus hæreſeon eſſe revelatam: & quæ non abſurda colligi poterunt, quæ nullius judicio admitti poſſunt, niſi cui omne judicium excidit; demùm ipſam fidei regulam in Eccleſiæ & Conciliorum judicio elidi & proſcribi poſſe.

Digitized by Google

CAPUT VII.

An Catholicorum doctrina de præſentiâ Chriſti ſit contra Articulos Fidei & experimenta ſenſuum.

QUartum hoc genus argumentorum eſt Prædicanti; præſentia enim Chriſti primo illi eſt contra Scripturam, tùm contra naturam Sacramenti, poſt contra rationem: deinde contra fidei articulos. Sed quocunque ſe vertit eadem falſitas hominem ſequitur, & miſerè collidit. Sed quinam articuli illi? quos Doctrina Catholica evertit.

I. Ergo, ait, *Præſentia Chriſti eſt contra Incarnationem*: quomodo id probas? ita verò, inquit, Chriſtus ſemel natus eſt ex Mariâ Virgine per operationem Sancti Spiritus, ſine operatione humanâ; ergo non debet in Euchariſtiâ denuo converti ex pane per voluntatem Sacerdotis, ita etiam ut Sacerdotes dicantur Creatores Creatoris ſui apud Catholicos. Mirabilis conſequentia, quam nullus SS. PP. nec Theologorum excogitare auſus fuit, aut certè non potuit. Legiſtine Amb. lib. 4. de Sacr. c. 4. *Præter ordinem naturæ virgo generavit, & hoc quod conficimus corpus ex virgine eſt.* Quid tu contra Incarnationem dicis eſſe Euchariſtiam? quæ à Chryſoſt. dicitur eſſe *complementum Incarnationis*, ex eodem videlicet fonte amoris. *Quomodo non omnia* Rom. 8. *donavit cum illo.* Priſci Hæretici, qui hunc fontem obturarunt, & Incarnationem negarunt, per conſequens etiam præſentiam Euchariſtiæ negarunt: de quo S. Ignatii apud Theodor. accuſatio recitata: Quæſo te, ſi tantus es in illâ univerſitate Leidenſi, quare non unico argumento probas, id, quod nudè & impiè aſſeris: citas Suarez: quare non legiſti q. 75. ubi contrarium 12. rationibus eruditè & Theo-

Digitized by Google

Theologicè demonſtrat. Tamne ſiccus, ubi tam fluidi & diſerti ſunt Catholici? aut tu quis es? qui divinæ & infinitæ bonitati, ſapientiæ, miſericordiæ, potentiæ, & caritati erga homines modum & terminos præſcribere audeas; ex his etiam attributis Aſcetici, & Theologi, & Patres Euchariſtiam nobis tradiderunt: dicas cum Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdot. *O! miraculum! ô! Dei benignitatem! qui cum Patre ſurſum ſedet! in illo ipſo articulo omnium manibus pertractatur.* S. Greg. *Cui dubium eſſe poteſt in ipſâ immolationis horâ cœlum aperiri.* Alg. lib. 2. c. 3. *Quàm verè Chriſtus ſeipſum daturus eſt Sanctis ad gloriam, tam verè modò ad omnem gratiam dat ſeipſum Eccleſiæ.* At magnoperè te offendit Sacerdotes vocari Creatores Creatoris ſui? magna res! etiam Moyſes *mediator* dicitur, deinde *Ego dixi vos Dii eſtis*: appellârit nonnemo Creatores per Metaphoram, ſive audacem, ſive non audacem; res apud Catholicos clara eſt, non aliter Sacerdotes concurrere ad Sacramenta, quàm inſtrumentum cum principali causâ, quæ eſt Chriſtus, ita baptizant, conſecrant, abſolvunt, nec aliter Prædicans per Baptiſmum regenerat, ut regenerator alterque parens dici poſſit. *Deut. 5. Pſal. 81.*

Alter Articulus Symboli quem Prædicans ſcribit everti, ſextus eſt: *Chriſtus aſcendit ad cœlos*: Actor. 1. & 3. Ergo non eſt in Euchariſtiâ; rurſum ex officinâ Textoris; jam centum annis hoc argumentum audivimus, & à centum annis exſpectata eſt probatio. Quando tandem? ad Kalendas Græcas: Quare non probas conſequentiam; ſed illico te abrumpis, tantùm Auguſtinum in auxilium vocas tract. 17. & tract. 50. in Joannem: verùm S. Auguſt. nihil aliud citatis locis dicit, quàm Chriſtum non fore poſt reſurrectionem in terris amplius aſpectabili illâ formâ & viſibili; Quomodo Chriſtus ipſe locutus eſt: *Semper pauperes habetis vobiſcum,* *Matt. 26.*

me

Digitized by Google

me autem non ſemper: lege Bellarm. Suar. Vaſq. Valent. Cæterùm quid S. Auguſtin. ſenſerit de reali præſentiâ, leges in citatis teſtimoniis: Deinde ſi quid obſcurum alicubi ab Auguſtino dictum eſt, ex aliis planiſſimis locis ſtatuendum eſt. Qualia plura loca S. Auguſtin. ferri paſſim ſolent, citanturque diſtinct. 2. de conſecrat. & reſolvuntur c. 44. c. 45. 46. 47. ut vel de ſpirituali, vel Sacramentali manducatione accipienda ſint; non verò cruentâ carnis manducatione. Quomodo in Cadavere venditur, aut in macello laniatur, teſte Auguſtino diſtinct. 2. de conſecr. capit. primo.

Quintum argumenti genus annectit Prædicans ab experimentis ſenſuum, tam ſubtile quàm tela eſt aranearum, quæ unico flatu diſſipatur; illud ſic format:

Si corpus Chriſti eſſet præſens in Euchariſtiâ, deberet poſſe unico ſenſu externo percipi: atqui nemo tam linceis fuit oculis, ut illud cernere in aliquo poſſet; ergo, quis verò Philoſophiæ tyro tàm cæcus, ut hanc ſequelam majoris non videat. *Quid eſt*
Heb. 11. *fides? credere quod non vides*, inquit S. Auguſtinus S. verò Paulus *argumentum non apparentium*. Quæſo, quod eſt objectum intellectus? quod externorum ſenſuum? ipſa Theologiæ elementa non capis, & Theologos laceſſis.

At inquis Chriſtus in dubio ſuæ præſentiæ appellavit ad ſenſuum experimenta. Lucæ 24. *Palpate, & videte, quia Spiritus carnem & oſſa non habet*: ℞. Appellavit ad corpoream præſentiam, quæ videri, & tangi poterat, atque ita Apoſtoli palpârunt, & viderunt objectum ſenſuum, imò ita etiam Chriſtus per ſenſus habetur, ratione accidentium, quibus continetur; ideò Chryſoſt. *Ipſum vides, ipſum tangis, ipſum comedis*: Sed non id, quod in præſentiâ illâ Euchariſtiæ fide credendum

dum eſt, uti nec divinitas Chriſti in terrâ ambulantis, nec unio hypoſtatica Incarnatioque videri poterant. Noſti illud S. Thomæ *Viſus, guſtus, tactus in te fallitur, ſed auditu ſolo creditur*: quia *Fides ex auditu eſt*, teſte Apoſtolo & Prophetâ, non tamen credo, quia audio, ſed quia verbum Dei eſt, & in eo infallibilis auctoritas, quare in Sancto Thomâ reprehenſio magis fuit teſte Maldonato, quod ad fidem experimenta ſenſuum expoſceret: ideo illic Scriptum legis: *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Idem S. Vigilius Epiſcopus Tridentinus & Martyr in illud S. Joan. 1. Epiſt. *Quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris*, præclarè oſtendit fidem, non pendere ab objectis ſenſuum, aliàs etiam omnes Judæi crediidiſſent, quotquot eum viderant, & milites, qui Chriſtum crucifixerant. *Qui enim me videt, videt & Patrem meum.* Joan. 14. Igitur aut ſpiritualia Apoſtoli verba ſpiritualiter advertenda eſſe; nec verba hæc ad contrectationem viſibilem, ſed mentis tractum pertinere. *Unde correptus*, inquit, *eſt dubius ille diſcipulus, qui tali experimento voluit Dominum pertentare. Societas nobis erit, ſi credamus, ſicut & illi*, vides ergo Vigilii teſtimonio, quod citas in extremum ſubſidium, te ipſum expugnari, lege primùm Patres, antequam tam inconſideratè pro feras. Reperies in Biblioth. Patrum.

Roman. 12
Iſa. 53.
Joan 20.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

D. Auguſtini teſtimonia pro veritate Catholicâ expenduntur.

POſtremùm Prædicans auctoritatem Patrum introducit, in quo argumenti genere magnoperè exultat cùm in Epilogo, tùm in totâ controverſiâ; verùm ſi quod Catholicum dogma PP. teſtimoniis clarum ſit, clariſſimum tum hoc eſt; ac ne quid hîc deſideretur à nobis, primò ordine Patrum teſtimonia proſequemur; & quia in Auguſtino maximum robur collocat: Auguſtinum nunc audiamus.

Primum ergo teſtimonium Auguſtini ex lib. contra Adamantum c. 12. citat. *Non enim dubitavit Dominus dicere. Hoc eſt corpus meum cùm ſignum daret corporis ſui*, in Pſal. 3. ait Dominum adhibuiſſe Judam ad convivium, *in quo corporis & ſanguinis ſui figuram commendavit, & tradidit Diſcipulis*. Hæc ſi imperitus legat, utî à Prædicantibus magnificè attolluntur; quis non hæſitet? & Auguſtinum Calviniſtam proclamet? ex aliis Auguſtini teſtimoniis confirmari videtur lib. de Catacliſmo Epiſt. 23. lib. 3. in Levit. q. 57. quibus locis ait ſolere ſæpe ſigna, nominibus rerum, quas ſignificant nuncupari, utî ſanguis anima appellatur: Petra Chriſtus; ſeptem ſpicæ, ſeptem ſunt anni; ergo etiam concludit Prædicans. Panis Euchariſtiæ, corpus Chriſti dici potuit.

Reſpondent Catholici cumprimìs Suarez, hoc Sacramentum ita continere Chriſtum ejuſque præſentiam realiter, ut ſimul etiam ſit ſignum Chriſti, vel crucifixi, vel ut in cœlo exiſtentis, cùm ſit pignus gloriæ; vel prout unitur corpori myſtico; hæc enim duo ſe mutuò non excludunt: ſed utrumque

Chriſtus

Digitized by Google

Chriſtus conjunxit : Primò veram ſui præſentiam dicendo, *Hoc eſt corpus meum*. Secundò Signum paſſionis, dicendo, *Hoc facite in meam commemorationem*, atq; ita Patres nunquam negârunt præſentiam, ſed ſimul figuram & memoriam commendârunt. Secundò nunquam addiderunt particulam excluſivam *tantùm*, dicendo *tantùm* eſt figura corporis mei. Tertiò. Aliqui Patres tàm expreſsè poſuerunt, ut nulli dubium relinqui poſſit, ut Anſel. lib. de div. officiis : *Chriſti benedictione panis fit corpus ejus, non ſignificativè tantùm; ſed etiam ſubſtantivè; neque ab hoc Sacramento figuram excludimus, neque eam ſolam admittimus. Veritas eſt quia corpus Chriſti eſt. Figura, quia immolatur, quod incorruptibile habetur.* Chryſoſt. *Semetipſum nobis commiſcet non fide tantùm, verùm & re ipsâ nos corpus ſuum efficit*, videlicet ob conjunctionem utriuſque. Theophyl. in c. 14. Marc. & Matth. 26. *Hoc eſt corpus meum, Hoc quod ſumitis; non enim tantùm figura & exemplar eſt corporis Dominici, panis, ſed & in illud convertitur corpus Chriſti.* Quàm ejus rei evidentia ſunt exempla: Chriſtus, Heb. 1. dicitur *Figura ſubſtantiæ Patris*; non quòd veritate ſubſtantiæ careat, ſed quòd ſimul Patrem repræſentet. Gal. 4. Abraham habuit duos filios, ubi allegoria hiſtoricum ſenſum non excludit; Sed ſupponit illum. Atque hoc modo ſolvuntur omnia, quæ ex Patribus adferri ſolent. Tertull. lib. 1. contra Mar. c. 14. Hieronym. lib. 2. contra Jovin. Gregor. Nazianz. Orat. 11. ad funus Sororis, ubi Euchariſtiam *Antitypon pretioſi corporis & ſanguinis appellat.* Accedit quòd Patres omnia non uno loco doceant, ſed modò figuram, modò ipſam præſentiam, modò utrumque tractant. Imò in quibuſdam locis figuram expreſsè excluſerunt. Quid ad illud Damaſceni lib. 4. c. 14. reſpondebis? *Non eſt figura panis & vinum; abſit enim hoc; ſed eſt ipſummet corpus.* Pari modo, Ambroſ.

Ambroſ. lib. 6. de Sacr. c. 1. *Sicut verus eſt Dei filius, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, non quemadmodum homines per gratiam, ſed quaſi Filius ex ſubſtantiâ Patris, ita vera caro eſt, ſicut ipſe dixit, quam accepimus, & verus ſanguis, quem potamus.* Quæ ſequuntur, non minus expreſſa ſunt. His adde Synod. VII. pariter figuram removentem, ut veritati manifeſtior ſit locus.

Alterum Auguſtini teſtimonium quod urget, ſumpſit ex lib. 3. de Doctrinâ Chriſti: c. 16. ita enim Auguſt. *Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata eſt* (locutio Scripturæ) *Niſi manducaveritis panem filii hominis, aut ſanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis: facinus vel flagitium videtur jubere. Figura ergo eſt, præcipiens paſſioni Domini communicandum.* Reſpondent alii S. Aug. loqui de ſpirituali manducatione, quæ fit per fidem extra Sacramentum. Alii ut Vaſq. loqui quidem de reali manducatione, ſed modum tantùm explanaſſe, quo caro & ſanguis ſumendus, nempe non cruentè, ut carnibus pecorum veſcimur, uti & Capharnaitæ falsò apprehendebant, ſed incruentè ſub ſpeciebus panis, & vini recolendo, ſimul memoriam paſſionis. Cæterùm locum Joan. 6. de reali manducatione intelligendum docent Vaſq. Mald. Suarez, Bell. & alii. Has ſolutiones jam pridem, toties datas, oportebat Prædicantem infringere, ne toties eadem nobis recoquat ad nauſeam. Quod nunc flagitium hîc, ubi ſummum in amore beneficium, & arcanum in fide myſterium, & incruentum in religione ſacrificium? quod facinus? in illâ omnium Patrum & Majorum explicatione ſecundùm regulam Sancti Auguſtini ab omnibus Theologis receptam, libro 2. contra Adverſ. legis c. 2. *Secundùm fidei regulam proprietas verborum ſervanda eſt.* lib. 3. de doctrinâ Chriſt. c. 10. *Quidquid in ſermone divino,*

neque

neque ad morum honeſtatem, neque ad fidei veritatem referri poteſt, figuratum eſſe cognoſcas. Atqui tota Eccleſia Catholica ab ipſo Apoſtolorum ſæculo, ad fidei veritatem ſimul retulit hæc verba: *Hoc eſt corpus meum*! ergo veritas excludi non debet. Sed tuum vulnus ſapienter detexitS.Auguſt.eodem cap. *ſi animum præoccupavit erroris opinio, quidquid aliud aſſeruerit Scriptura, figuratum opinantur*: ut autem videas, quid S. Auguſt. ſenſerit de veritate hujus Sacramenti; hæc clariora teſtimonia inſpicias, neceſſe eſt.

S. Auguſtini teſtimonia pro veritate Catholicâ.

Berengarius hujus erroris publicus primùm oppugnator, ſolum Auguſtinum pro ſe admitti volebat, teſte Guitmundo Cardinali lib. 2. Eodem ſe patrono Cabeljavius rem confeciſſe arbitratur: nihil minus in Auguſtino. Vide nunc D. Prædicans.

Auguſt. epiſtola 98. *In ipsâ Carne hic ambulavit, & ipſam Carnem ad manducandum nobis ad ſalutem dedit; nemo autem ipſam Carnem manducat, niſi prius adoraverit.* lib. 3. de Trinit. *Cætera non dicuntur eſſe ſanguis & corpus Chriſti, ſicut hoc Sacramentum non efficitur tàm magnum Sacramentum, niſi operante inviſibiliter Spiritu Dei.* Con. 150. in Pſ.33. & 38. *Chriſtus offertur in terris, quando corpus ejus offertur.* tract. 84. in Joan. *Quæ menſa eſt potentis, niſi unde ſumitur Corpus & Sanguis ejus.* lib. 12. contra Fauſt. c. 10. *Habet magnam vocem Chriſti ſanguis in terra, cum eo accepto, ab omnibus gentibus reſpondetur, Amen.* c.20. *Nunc bibitur quod de latere ejus manavit.* lib. 2. contra Lit. Petil. c. 37. *Aliud eſt paſcha Iudæorum, quod adhuc de Ove celebrant; Aliud autem quod nos in corpore & ſanguine Domini accipimus.* in Pſal. 33. *Ferebatur Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum.*

Digitized by Google

Ferebat enim ipſum corpus in manibus ſuis. Tract.27. in Joan. *Carnem Chriſti & Sanguinem Chriſti non edamus & bibamus tantùm in Sacramento, quod & faciunt multi mali, ſed uſque ad Spiritus participationem.* lib. 5. de Bapt. c. 8. *Corpus Domini, & ſanguis Domini, nihilominus etiam erat in illis, quibus Apoſtolus dicebat: Qui manducat & bibit indignè* :rurſum: *Iudas proditor bonum corpus, & Simon Magus bonum baptiſma Chriſti percepit*: Similia leges lib. contra Fulgent. lib. contra Lit. Petil. cap. 55. Serm. 11: de verb. Domini. lib. 17. de Civit. Dei c. 20. *Chriſtus Sacerdos ipſe mediator Teſtamenti Novi exhibet ſecundum Ordinem Melchiſedech, de corpore & ſanguine. Quia pro omnibus illis ſacrificiis & oblationibus corpus ejus offertur.* lib. 2. contra adverſ. leg. c. 9. *Mediatorem Dei, & hominum Chriſtum Ieſum, Carnem ſuam nobis manducandam, bibendumque ſanguinem dantem fideli corde, atque ore ſuſcipimus.* Tract. 11. in Joan. *Si dixerimus Catechumeno, credis in Chriſtum, reſpondet, Credo; & ſignat ſe cruce Chriſti, portat in fronte non erubeſcit de Cruce Domini: interrogemus eum, manducas Carnem filii Hominis, & bibis ſanguinem filii ejus, neſcit, quid dicimus; quia Ieſus nondum ſe credit eis.* Hinc alium panem benedictum eis dabant, quem impropriè Sacramentum vocat; de quo lib. 2. de peccat. merit. cap. 26. *Quod accipiunt, quamvis non ſit corpus Domini, quoniam Sacramentum eſt*, ſeu ſacrum quoddam ſignum: Cauſa nota, quod necdum ad Baptiſmum admiſſi nec myſteriorum cognitione ſatis informati erant: Serm. 12. de verb. Apoſtoli: *Locutus eſt de corpore & ſanguine ſuo, quod corpus dixit eſcam, & ſanguinem potum; Sacramentum fidelium agnoſcant fideles*: Serm. ad Neoph. *Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce; hoc accipite in calice, quod manavit de Chriſti latere.* Serm. 2.

de

de temp. *Invitati ſumus ad Menſam, ubi non invenitur cibus hominum; ſed panis ponitur Angelorum.* Epiſtola 120. *Adducti ſunt ad menſam Domini, & accipiunt de corpore & ſanguine ejus.* Citaſti libro 3. q. 57. in Levit. Quare non legis quæ ſequuntur. *Quid ſibi vult* (inquit) *quod à ſanguine Sacrificiorum tantopere populus prohibebatur, ſi illis ſacrificiis hoc unum ſacrificium ſignificabatur, in quo vera fit remiſſio peccatorum, à cujus tamen ſacrificii ſanguine in alimentum ſumendum, non ſolùm nemo prohibetur, ſed ad bibendum omnes potiùs exhortantur qui volunt habere vitam.* Hîc habes ſacrificium, & verum ſanguinem habes, cætera audiviſti ſupra inſpergi, & quis omnia percenſeat? Hæc opinor ſatis eſſe poſſunt, ut quilibet prudens Synceram S. Auguſtini mentem & tuam fallaciam, aut certè ignorantiam in illâ ſcribendi libertate recognoſcere poſſit.

CAPUT IX.

D. Ambroſii clariſſima teſtimonia pro Catholicorum Veritate.

TAmetſi nullus ex Doctoribus Eccleſiæ explicatiùs propemodum, hoc Sacramentum nobis Scripto tradiderit, quàm Ambroſius; auſus eſt tamen Leidenſis Prædicans, per ſummam fraudem Ambroſium velle ad ſe trahere. Primò ex lib. 4. de Sacr. cap. 4. adducit ita Ambroſium loquentem: *Chriſti verba faciunt, ut ſint, quæ erant,* Hæc ego verba in nullâ editione invenire potui: ita quidem olim legit Berengarius Patriarcha hujus hæreſis: & diſt. 2. referuntur c. 15. quæ accuratè à Guitmundo & Algero explanata ſunt: at verò Landfrancus Archiepiſcopus hanc corruptelam ante ſexcentos annos advertit, itaque legendum docet: *Quantò ma-*

Digitized by Google

gis operatorius eſt ſermo Chriſti: ut quæ erant in aliud commutentur, & quid tum planius pro Catholicis? Secundò Adducit Prædicans ex eodem loco Calicem appellari figuram Corporis Chriſti. Recitemus Ambroſii verba c. videlicet 5. non 4. *Dicit Sacerdos Fac nobis oblationem adſcriptam, rationabilem acceptabilem, quod fit in figuram Corporis & Sanguinis Domini noſtri IESU CHRISTI Qui pridiè quam pateretur* &c. Quæ verba ex Canone Miſſæ deſumpſit D. Ambroſius, utî hodiedum leguntur. Sed ubi Sacrificium cum ſuo Canone apud Prædicantes? Figuram ergo dicit, ut ſimul fiat in memoriam paſſionis, quemadmodum Canon præſcribit. Sed quid ſubjungit? *Accipite & edite ex hoc omnes: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. Hic eſt ſanguis meus, antequam ergo conſecretur, panis eſt; ubi autem verba Chriſti acceſſerint, Corpus eſt Chriſti: Ante verba Chriſti calix eſt vini, & aquæ plenus, ubi verba Chriſti operata fuerint, ibi Sanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte quantis generibus potens eſt ſermo Chriſti univerſa convertere.* Eſtne quiſquam mortalium tam cœcus, ut hîc Catholicam doctrinam & converſionem non videat. Quòd verò c. 4. dicat Ambr. *Sed fortè dicis ſpeciem ſanguinis non video, ſed habet ſimilitudinem; Sicut enim mortis ſimilitudinem ſumpſiſti, ita etiam ſimilitudinem pretioſi ſanguinis bibis*, cauſam addit, *ut nullus horror cruoris ſit, & pretium tamen operetur redemptionis, didiciſtis ergo, quia quod accipis corpus eſt Chriſti.* Quis non videt Corpus & Sanguinem ſub alienâ ſpecie panis & vini dari, ne horror ſit corporis & ſanguinis; & verè tamen dari. Miratur Forerus quâ conſcientiâ Ambroſium Molinæus citare potuerit: idem in Cabeljavio mirandum, ſi modò Ambroſium legerit. Recitemus ex multis pauca.

Cætera

Digitized by Google

Cætera D. Ambroſii teſtimonia lib. 4. *c.* 4. *de Sacram.*

Verè magnum eſt, & divinum miraculum, quod populo Deus pluit manna de cœlo, & non laborabat populus, ſed manducabat. Tu fortè dicis, meus panis eſt uſitatus, ſed panis iſte, panis eſt ante verba Sacramentorum, ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. Hoc igitur adſtruamus, quomodo poteſt, qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti? Conſecratione. Conſecratio igitur quibus verbis eſt, & cujus ſermonibus? Domini IESV. Nam reliqua omnia, quæ dicuntur, laudem Deo deferunt, oratio præmittitur pro populo, pro regibus, pro cæteris: ubi venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum: jam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti: Ergo ſermo Chriſti hoc conficit Sacramentum. Quis ſermo Chriſti; nempe is, quo facta ſunt omnia: juſſit Deus & factum eſt cœlum; juſſit Deus & facta eſt terra. Vides ergò, quàm operatorius ſit ſermo Chriſti. Si ergò tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, ut inciperent eſſe quæ non erant, quantò magis operatorius eſt, ut quæ erant in aliud commutentur. Ergo ut tibi reſpondeamus, non erat corpus Chriſti ante conſecrationem, ſed poſt conſecrationem, dico tibi quod jam corpus eſt Chriſti. Ita Ambroſius & quid clarius ab ullo Theologo exprimi poterat: Quibus deinde rationibus & exemplis id conficit ex Scripturâ petitis, contraquè inſtituta & naturæ ordinem editis, leges ibidem.

Lib. 4. c. v. ad ſupra citata addit Ambroſ. *Deinde ipſe Dominus IESVS teſtificatur nobis, quod corpus ſuum accipiamus & ſanguinem, nunquid debemus de ejus fide & teſtificatione dubitare. Iam redi mecum ad propoſitionem meam. Magnum quidem & venerabile, quod manna Iudæis pluit è cœlo. Sed intellige, quid eſt amplius Manna de cœlo, an corpus Chriſti? corpus utiquè Chriſti, qui auctor eſt cœli. Ergò non*

Digitized by Google

otiosè, cum accipis, tu dicis Amen, jam in ſpiritu confitens, quod accipias corpus Chriſti; dicit tibi Sacerdos corpus Chriſti, & tu dicis Amen; hoc eſt verum, quod confitetur lingua, teneat affectus. Nondum cœco oculos aperit.

Lib. de initiandis cap. 9. Ambr. eâdem claritate verborum, *conſidera nunc*, inquit, *utrum præſtantior ſit panis Angelorum, an caro Chriſti, quæ utique eſt corpus vitæ.* Quot deinde exemplis id aſtruit ex figuris Mannæ, Aquæ de petra elicitæ. Pergit Ambroſius: *Forte dicis, aliud video, quomodo tu mihi aſſeris; quod Chriſti corpus accipiam. Quantis exemplis utimur, ut probemus non hoc eſſe, quod natura formavit; ſed quod Benedictio conſecravit, majoremque eſſe vim benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione etiam natura mutatur.* Continuat deinde magnificè exemplis probare. *Quid hîc quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cùm præter naturam ſit ipſe Dominus partus ex Virgine, vera utique caro Chriſti, quæ crucifixa, quæ ſepulta eſt, verè igitur carnis illius Sacramentum eſt: ipſe clamat Dominus IESVS: Hoc eſt corpus meum. Ante benedictionem verborum cœleſtium ſpecies nominatur; poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur, ipſe dicit ſanguinem ſuum, ante conſecrationem aliud dicitur, poſt conſecrationem ſanguis nuncupatur, & tu dicis Amen; Hoc eſt verum, quod os loquitur, mens interna fateatur. His igitur Sacramentis paſcit Eccleſiam ſuam Chriſtus, quibus animæ firmatur ſubſtantia.* Eſtne in totâ Hollandiâ intelligens, qui ſi hæc legat, Catholicam Ambroſii mentem non intelligat: longum eſſet reliqua adſcribere, quæ lib. 6. de Sacr. perſequitur, lib. 3. de Spiritu c. 12. lib. 1. in Luc. c. 1. *Non dubites, inquit, aſſiſtere Angelum, quando Chriſtus aſſiſtit, Chriſtus immolatur.* de quâ Angelorum aſſiſtentiâ Chryſ. lib. 6. de Sacerd. Greg. lib. 4. dial. c. 8. Sanè ob figuram nudam, quam Prædicans

exod. 16.
exod. 17.

cans

cans obtrudit tanta myſteriorum veneratio, ne fingi quidem poteſt. Quocunque tandem hæc planiſſima Ambroſii verba detorſeris, ut apud populum neceſſe erit ad hæreſin veſtram utcunque obtegendam, nunquam certè prudenti legentique Ambroſium in conſcientiâ ſatisfacies. Nòs à tanto Doctore, & primæ Eccleſiæ lumine fundatiſſimam veritatem diſcere maluimus; quàm vel à Berengario, vel Sacramentario demum novitatem, falſitatemque, quæ ab uno jam ſæculo in centum ſectas & diſcordes ſententias fœdè lacerata eſt, admittere.

CAPUT X.

Aliorum Patrum teſtimonia à Prædicante in ſpeciem allata & malè detorta.

QUâ fide Auguſtinum & Ambroſium tractavit Prædicans, eâdem reliquos Patres malè verſat. Si quid ab his obſcuriùs dictum, id rapit; ſi quid clarum & evidens in Patribus; id ſeponitur ab oculis populi. Et quoties hæc ipſa Patrum tot loca, aliaque complura ſunt diſcuſſa; Itaque paucis obſoletas has quoque merces Sacramentariorum, & novi hujus denuò propolæ perluſtremus.

Primùm ergò Tertullianus ſiſtitur lib. 4. adverſus Marcionem; *Acceptum panem, & diſtributum Diſcipulis corpus ſuum illum effecit: Hoc eſt corpus meum; dicendo, id eſt figura corporis mei. Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus.* Reſpondet Suarez. corpus Chriſti eſſe veritatem & figuram ſimul. Ut ſupra retuli: nunquidnam Homo, quia imago & ſimilitudo Dei eſt Gen. 1. ideo homo eſſe deſinit. Bellarm. verò, Vaſquez diſpu-

tat. 779. Pammelius Tertulliani interpres, Richardus & alii corpus Chriſti figuram dici à Tertulliano, quia in Mannâ & pane propoſitionis figuratus eſt panis Euchariſticus. Quod Tertullianus reale corpus non excludat clarum eſt. Quid enim illa verba? *Corpus ſuum effecit, dicendo: Hoc eſt corpus meum.* Quid illud? *Figura non eſſet niſi veritatis eſſet corpus:*

Alter Tertull. locus paulò implicatior lib. 3. contra Marc. ubi illud Jeremiæ expendit: *venite mittamus lignum in panem.* Quærit quis ille ſit panis? ſubjungit *utique corpus ejus, quod in ligno crucifixum, ut & hinc intelligas jam tum corporis ſui, figuram panis dediſſe, cujus retro corpus in panem Prophetis ſignavit*; Reſpondet Bellarm. per panem intellige corpus Chriſti in crucis ligno affixum, idque contra Marcionem, qui verum Chriſti corpus negabat; non verò materialem panem & Euchariſticum, qui ſignificat corpus Chriſti; is enim pro nobis non fuit crucifixus, igitur hanc figuram Jeremiæ implevit Chriſtus in ligno Crucis, quando lignum in panem, ſeu corpus ejus miſſum eſt. Quod corpus in Evangelio dicitur panis. Quare Pamelius Sancteiſius, Alanus, Valentia: aliique doctiſſimi viri aſſerunt; figuræ vocabulum non referri hîc immediatè ad Sacramentum Euchariſtiæ, quaſi dicat Tertull. Panis Euchariſticus eſt figura corporis Chriſti, ſed ad panem Propheticum Jeremiæ, quem, ait, veterem fuiſſe figuram Corporis Chriſti, utî ſanè fuit, & tum nodum quæris in Scirpo. Et verò, ſi quid hîc deſideretur à Tertulliano, id clariſſimè in aliis locis explicuiſſe oſtendit Pammelius, Vaſquez & alii.

Secundus eſt Cyprian. de unct. Chriſ. *Dominus noſter in menſâ, in qua ultimum cum Apoſtolis participavit convivium, panem & vinum, in cruce verò manibus militum corpus ſuum tradidit vulnerandum:*

Re-

Reſpondet Bellarm. Petro Martyri verba hæc non carere quidem difficultate, non tamen hæreticis, ſed Catholicis favere, quippe Cyprianus non opponit panem corpori, ſed corpus ſub ſpecie panis eidem corpori in ſuâ ſpecie viſibili quam in cruce & paſſione habuit.

Tertius Chryſ. in Pſ. 22. *ut quotidiè in ſimilitudinem corporis & ſanguinis Chriſti panem & vinum ſecundùm ordinem Melchiſedech nobis oſtenderet in Sacramento.* Reſpondent alii commentarium non eſſe Chryſoſtomi, ut tamen Chryſoſtomi ſit, nihil aliud aſſerit, quàm panem & vinum in Sacramento oſtendi, quoad ſpeciem externam; & quis negat Panem Euchariſticum exhibere nobis ſimilitudinem corporis Chriſti, cùm ejus præſentis ſpecies panis ſint ſignum & continens.

Alter locus Chryſ. ad Cæſarium Monachum, *Panem poſt conſecrationem non vocari amplius panem, licet natura panis in ipſo permaneat*; ſolvitur eâdem facilitate. Tum quod in toto Chryſ. nec liber, nec Epiſtola ſit ad Cæſarium Monachum, tum quod natura accipiatur pro ſpeciebus panis, utî ad Theodoreti & Gelaſii loca reſpondent omnes: nam accidentia tàm ſuam naturam habent, quàm ſubſtantiæ. Utî Tirones Philoſophiæ norunt.

Quartus Theodoretus dialogo I. opponitur: *Servator noſter nomina commutavit; & corpori quidem id, quod erat ſymboli ac ſigni nomen impoſuit. Symbolo autem quod erat corporis.* Reſp. Theodoretus dicit panem vocatum eſſe corpus, ut ex nominis mutatione poſſit intelligi rei commutatio & converſio, Non verò ut Cabeljavius ſomniat, Euchariſtiam vocari ſolùm corpus, quia repræſentat externâ ſpecie corpus Chriſti; ſed quia revera panis mutatus ſit in corpus id, ut videas, lege quæ ſubjungit; *volebat enim eos, qui ſunt myſteriorum participes, non attendere naturam eorum, quæ videntur,*

dentur, ſed propter nominum permutationem, mutationi, quæ fit ex gratiá, credere. Nondum Catholicum Theodoretum agnoſcis?

Alter Theodoreti locus ex dial. 2. profertur; *Neque enim ſigna myſtica, poſt ſanctificationem recedunt à ſuâ naturâ, manent enim in propriâ ſubſtantia, & figura & forma, & videri, & tangi poſſunt, ut prius*; ſed data jam reſponſio eſt ex logicâ per ſubſtantiam intelligi naturam accidentium, inde in Græcò φύσις & οὐσία, & Philoſophus æquivoca & univoca ſcribit, quorum nomen commune; ratio verò ſubſtantiæ diverſa, vel eadem eſt: ubi ſubſtantia pro eſſentiâ ponitur, quæ tàm in accidentibus eſt quàm ſubſtantiâ: non verò intelligit ſubſtantiam propriè, prout in Categoriis ab Ariſtotele & Porphyrio collocatur. Sed hæc ad Dialecticos ſpectant, ut ab iis ſolutionem petas; ut verò Theodoretum Catholicum recognoſcas, lege rurſum, quæ ſubjungit: *Intelliguntur autem ea eſſe, quæ facta ſunt, & creduntur & adorantur, ut illa ſint, quæ creduntur.* Quorſum dicit intelligi, credi, adorari? non panem, nec ſpecies panis, id abſurdiſſimum: ſed corpus Chriſti ſub ſpeciebus contentum. Lege Suarez diſputat. 46. 54. Cæterùm ex aliis Theodoreti locis omne dubium tollitur, q. 27. in Exod. & hoc ipſo dialog. 2. ubi ait *in myſteriis participare ſe corpus & ſanguinem Domini*, poteratne ſuo ſe telo magis confodere Prædicans.

Quintus Gelaſius Papa à Prædicante producitur ex Bibliothecâ P P. tom. 4. pag. 422. editionis verò Pariſienſis folio 566. ita Gelaſius: *Certa Sacramenta, quæ ſumpſimus corporis & ſanguinis Chriſti divina res eſt, propter quod & per eadem divinæ efficimur conſortes naturæ.* Hucuſque Catholicus eſt Gelaſius: Sed quid ſubjungit? *Et tamen eſſe non deſinit ſubſtantia vel natura panis & vini.* Hîc ſe mutat, & Lutheranus videtur Ca-

belja-

beljavio; falleris: non tam inconſtans eſt Gelaſius Papa: Quid ergò? ſubſtantia hîc denuò accipitur pro effectu & proprietate panis, ſeu naturâ accidentium. Ita Bellarmin. Baronius ad annum Chriſti 496. & alii complures; proinde De la vigne Doctor Sorbonicus in notis cautè hunc locum cenſet legendum. Quanquam ſitne auctor Gelaſius Papa? an Gelaſius Epiſcopus Cæſarienſis magnoperè controvertitur. Poſtremum Suarez & Bellarmino viſum, nec magnæ eſſe auctoritatis librum: inanis igitur Kemnitii, & Cabeljavii plauſus ex Gelaſio.

Verùm Gelaſius ſubdit. *Certè imago & ſimilitudo corporis & ſanguinis Chriſti in actione myſteriorum celebrantur:* Reſpondet idem Sorbonicus Doctor, hæc ad cruentum & viſibile corpus referenda; ſeu utî Ambroſius ſupra cum aliis Patribus memoria paſſionis Chriſti commendatur, utî à Chriſto ipſo, & in Canone Miſſæ & actione myſteriorum commendata & præſcripta eſt.

Sextus eſt S. Vigilius lib. 4. contra Eutychen, quem ita convolvis, ut facilè appareat te Vigilium non inſpexiſſe: diſputat is contra unam naturam in Chriſto utî Eutyches impiè docebat. Hunc variis argumentis premit oſtendendo duas in Chriſto naturas confitendas eſſe, ex proprietatibus utriuſque naturæ. Quod ſecundùm naturam divinam fuerit impaſſibilis; ſecundùm humanam paſſibilis; ſecundùm unam immortalis; ſecundùm alteram mortalis: ſecundùm unam ubique: ſecundùm alteram non ubique: Secundùm unam in cœlo ſimul: ſecundùm alteram in terrâ: & quando in terrâ fuit, non erat in cœlo: & nunc quia in cœlo eſt; non eſt utique in terrâ. Rurſum circumſcribitur loco per naturam carnis & loco non capitur per na-

turam

turam divinitatis ſuæ. Quid nunc hæc ad Sacramentalem præſentiam in Euchariſtiâ. Quæ nec viſibilis in ſe, nec paſſibilis, nec circumſpectiva; ſed indiviſibilis, utî inviſibilis: extra orbitam, ut ſoles, ſaltitas.

Quod ſi tantus es in lectione Bibliothecæ Patrum, ut te hîc venditas, oportebat te legere, in tomo 3. D. Ivonis Carnotenſis Epiſcopi præclaram illam Epiſtolam de corpore Chriſti. D. Adelmannum olim Berengarii contubernalem, Epiſcopum Brixcenſem, *de veritate corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtiâ ad Berengarium*, ita enim alloquitur Berengarium. *Audio quaſi te ab unitate Matris Eccleſiæ divulſeris, & de corpore & ſanguine Domini, quod quotidiè in universâ terrâ ſuper ſanctum altare immolatur, aliter, quàm fides Catholica teneat, ſentire videaris: Hoc eſt, ut illorum de te dictis utar, non eſſe verum corpus Chriſti, neque verum ſanguinem; ſed figuram quandam & ſimilitudinem:* quibus deinde argumentis hanc veritatem veluti ex Ambroſii ſpiritu firmat, & in avitâ Divi Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, aliorumque Patrum doctrina ſtandum eſſe hoc Epiphonemate; *ut extremæ jam ſit dementiæ, vel de ratione fidei, vel de ordine rectè vivendi eis in aliquo refragari.* Oportebat, deinde te legere Divum Hildebertum Archiepiſcopum Turonenſem de myſterio Miſſæ; & Epiſtolam 64. Durandum Epiſcopum Leodienſem contra Brunonem & Berengarium. Tomo vero ſexto Paſchaſium, Radbertum Abbatem Corbrienſem de corpore & ſanguine Domini, D. Guitmundum S. R. Eccleſiæ Cardinalem, & Epiſcopum Averſanum de veritate corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtiâ libro 3. D. Algerum Belgam & Scholaſticum Leodienſem, poſt

Digitized by Google

poſt Cluniacenſis Congregationis religioſum de Sacramento corporis & ſanguinis Domini: tum Lanfrancum Archiepiſcopum Cantuarienſem: virum & ſanctum & doctum, à quo Berengarius ita preſſus convictuſque, ut librum ſuæ hæreſis in ignem conjecerit: omnes hi Patres Berengarium tot ſcriptis & libris oppugnarunt & expugnarunt. Quibus adde Nicolaum Epiſcopum Methonenſem, adverſus eos, qui hæſitant de veritate corporis & ſanguinis Chriſti. Ex Surio epiſtolam S. Wolfhelmi Bruwillerenſis Abbatis ad Meinhardum Abbatem Gladbacenſem de Berengarii erroribus & blaſphemiis: Habes in eodem tomo Liturgias Divi Jacobi, Marci, Petri, Baſilii, cæteraque antiquitatis monumenta, ex quibus univerſæ tum Eccleſiæ doctrinam perſpicere poteris; ſed in antris & latibulis obſcurorum locorum hærere maluiſti, quàm in illo ſolis fulgore Catholicam veritatem aſpicere.

Garetu. tent. 11. Sur. Menſ. Aprill.

CAPUT XI.

Quàm falsâ fide ex jure Canonico Prædicans veritatem Euchariſtiæ oppugnet.

NE quidquam prætermitteret, Prædicans ex jure Canonico S. Auguſtini locum ſectatus; veluti qui fugacem fatuumque ignem noctu interlucentem arripit ad novum viæ errorem, & ambages delirii ſui.

Igitur ex diſt. 2. de Conſ. c. 1. illud profertur; *Donec ſæculum finiatur ſurſum eſt Dominus. Sed tamen hic etiam nobiſcum eſt veritas Dominus; Corpus enim Domini, in quo reſurrexit, uno eſſe loco oportet;*

tet ; Veritas autem ejus ubique diffuſa eſt. Quid concludit ? ergò Chriſti corpus non eſt in Euchariſtiâ. Puerile hoc denuò nec Tirone dignum. Chriſtus ex mente S. Auguſtini, & omnium Theologorum eſt in cœlo illa viſibili, & extensâ, & circumſcriptivâ formâ præſens, quâ reſurrexit ; ergò non eſt in Euchariſtiâ ſacramentaliter præſens forma indiviſibili & éxtensâ : Mirabilis Philoſophus ; Quomodo id ſequitur ? aut quomodo omnipotentiam Dei ad unum præſentiæ modum adſtringis ? cùm in uno homine diverſam corporis & diverſam animæ præſentiam videas : Pone tandem aliquod argumentum Philoſophicum & Theologicum ex diſputatione de præſentiâ ſacramentali, quæ ab omnibus Theologis tàm enucleatè pertractata eſt. Poſſes à Catholicis tamdiu argumentum mutuum ſumere : Hæc utì tu adhuc ponis, quilibet ſutor proponere poſſet. Atqui teſtimoniis ex jure Canonico agere voluiſti, exploremus quâ fide.

Sitne Catholicum an Calvinianum Ius Canonicum. De Conſecr. Diſt. II. c. I.

Alexander Papa, quintus à Sancto Petro Pontifex ita ſenſit in Epſtiola c. 4. *In Sacramentorum oblationibus, quæ inter Miſſarum Solemnia Domino offeruntur, paſſio Domini miſcenda eſt, ut ejus, cujus Corpus & Sanguis conficitur paſſio celebretur.* Cui nunc credemus, Cabeljavio neganti Miſſam, & Corpus Chriſti ? an huic Pontifici & Martyri tam vicino Apoſtolorum tempori. Capite 2. legis *ſanguinem & corpus Chriſti converti.* ex Cypr. lib. 2. Epiſtola 2 : Capite 5. legis : *In Sacramento corporis & ſanguinis Domini* : ex Concilio Carthag. 3. c. 24. Cap. VII. ubi intincta Euchariſtia prohibetur, ita legis : *Apoſtolis corpus ſuum & ſanguinem commendavit. Seorſim enim panis, & ſeorſim Calicis commendatio memoratur* ; ita ex Julio Pontifice.

Cap. VIII.

Digitized by Google

Cap. VIII. *Nihil in Sacrificiis majus eſſe poteſt quàm corpus & ſanguis; nec ulla oblatio hâc potior eſt, ſed hæc omnes præcellit.* Lege cætera ita rurſum ex Alexandro Quinto Pontifice Epiſt. I.

Cap. XI. ex Concilio Toletano: *Quoties corporis & ſanguinis Domini noſtri immolatio facta conſtiterit.* Rurſum, *Quotieſcunque Sacrificans corpus & ſanguinem IESU CHRISTI in altari immolat.*

Cap. XII. ex Gelaſio docetur *corpus Chriſti ſine ſanguine Sacerdotem non debere ſumere.* Cap comperimus Sacrificium cùm in utraque ſpecie illic præſcribitur.

Cap. XIII. ex S. Auguſtino, *Neuter eorum exhonorat corpus & ſanguinem Domini.*

Cap. XV. ex Sancto Hilario, *Non debet ſe à medicina corporis & ſanguinis Domini ſeparare.*

Cap. XXII. ex Sergio Papa: in quo tres partes de corpore Chriſti traduntur.

Cap. XXIII. ex Clemente Papa Epiſt. 2. *Qui cum timore & tremore reliquias fragmentorum corporis Domini cuſtodire debent.*

Cap. XXV. ex octava Synodo in qua Baſilius Epiſcopus dixit: *Fidem verò edocet nos ſermo Domini dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis dabitur.*

Cap. XXVII. ex decreto Pii Papæ, *Si per negligentiam aliqvid de ſanguine Domini ſtillaverit in terram, lingua lambetur.*

Cap. XXIX. ex Concilio Rhemenſi prohibetur *ne Sacerdos per Laicum aut fœminam corpus Chriſti ægro det, quod horribile ac deteſtabile* dicit *ob læſam venerationem.*

Cap. XXXII. ex S. Aug. tria dicuntur in corpore Chriſti *ſpecies, veritas, & figura:* Si hæc tria benè diſtingueret Cabeljavius, facilè totam controverſiam expediret.

Cap. XXXIII. ex Gregorio Papa oſtendit poſt Conſecrationem non ſubſtantiam ſed ſpecies manere.

Cap.

Cap.xxxv. ex Euſebio Emiſſeno I. Cauſa redditur quare nobis Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum reliquerit: II. Veritas ponitur, Quia *caro mea verè eſt cibus: recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor eſt muneris ipſe etiam teſtis eſt veritatis. Nam inviſibilis Sacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis verbo ſuo ſecreta poteſtate convertit: ita dicens, accipite & comedite, Hoc eſt enim corpus meum.*

Cap.xxxviii. Leo Epiſc. & S. Synodus in urbe Romanâ plebi Conſtantinopolitanæ ſcribit de veritate corporis & ſanguinis Chriſti non licere ambigere, *Quod in Eccleſiâ Dei omnium ore ita conſonum eſt, ut nec ab infantium linguis veritas corporis & ſanguinis Chriſti inter communis Sacramenta fidei taceatur.*

Ecce ad pueros Synodos provocat & Prædicantes orbis judicium non accipiunt.

Cap. xlii. Lege Confeſſionem Berengarii, quâ hæreſin tuam publicè ejuravit: Hanc deinde Confeſſionem coram cxiii. Epiſcopis factam miſit Papa Nicolaus per urbes Italiæ, Germaniæ, Galliæ.

Prætermitto tot capita, videlicet à cap. 44. ad 90, quibus D. Auguſtini, Ambroſii & Hieronymi ſententiæ de præſentia Chriſti in Euchariſtia referuntur, ut mirum ſit quâ fronte & fide ad Auguſtinum & Ambroſium ex Jure Canonico appellare auſus ſit Cabeljavius; ut legenti horum Patrum loca evidens erit. Longum eſſet ſingula exſcribere; quorum nonnulla retulimus ſupra inter utriuſque teſtimonia, quæ prudenti ſufficere poſſunt. Habes ergo & ex Jure Canonico & ex unâ diſtinct. de Conſ. tot Pontificum & Patrum teſtimonia: eodem ſpectant, quæ diſt. 2. præſcribuntur de majeſtate & decore Sacrificii, cùm tota vis Miſſæ conſtet in conſecratione corporis Chriſti, ut rectè interpres cenſuit d. c. 1. diſt. 2. His accedat ex lib. 3. Decret. Gre-

Gregorii IX. caput 6. cum Marthæ de celebr. Miſſarum ad Lugd. Archiep. In quo tam ſolidè & eruditè tranſubſtantiationem, & veritatem ipſam corporis Chriſti tradit, ut nihil ad mentem veteris Eccleſiæ deſiderari poſſit: tum ipſam figuram ita diluit explicatque, ut veritatem non lædat, aliàs enim ab ipſa morte, & reſurrectione Chriſti veritatem tolli poſſe aſſerit, quòd ex teſtimonio Chriſti ſimul figuræ ſint. Demum Lucius III. Papa cap. IX. ad Abolendum de Hæret. Omnes anathemate ferit, qui de Sacramento corporis & ſanguinis Domini noſtri JESU CHRISTI aliter docent quàm Sacroſancta Romana Eccleſia: vixit autem is Pontifex circa Annum M. C. LXXXI.

Atque hæc ſatis eſſe poterant, tum ad tuam falſam appellationem ex Jure Canonico manifeſtandam, tum vel maximè ad Catholicam veritatem demonſtrandam. Cùm teſte Suarez ex his manifeſtè Eccleſiæ judicium & doctrina conſtet; tametſi apertior Scriptura deficeret. Ut tamen contra obfirmatum hominem illud ferre poſſis: *Teſtimonia tua credibilia facta ſint nimis*, quæ non ſpolio, aut dolo malo, ut Hæretici, ſed Hæreditate acquiſivit Eccleſia. Subjungam teſtimonia Patrum, & Conciliorum decreta: Scribit Prædicans nihil in mundo eſſe quòd hoc Catholicum dogma probet; Hîc tanta & tot Patrum, & Conciliorum teſtimonia concurrunt, ut mirum ſit, quomodò Hollandia tam fallacem Prædicantem legere, & ferre poſſit.

Pſal. 92. *Pſal. 118.*

O CA-

CAPUT XII.

Sanctorum Patrum teſtimonia pro Catholicâ veritate, & præſentiâ Chriſti in Euchariſtiâ.

INſolens Prædicantis provocatio & jactantia in Epilogo, magnoperè Catholicis laborandum, antequam ex primis ſæculis ullius Patris teſtimonium proferri poſſit, ut verò tam Luculenta Patrum iſtorum teſtimonia non ſuppeterent, nihil cauſæ noſtræ præjudicaret. Enimverò hæc hæreſis veſtra in Latinâ Eccleſiâ primùm publica eſſe cæpit ſub Berengario Anno Chriſti M. L. proinde ſuperioribus ſæculis Eccleſia in quieta poſſeſſione hujus doctrinæ ſtetit, ut Patribus illa ſcribendi & oppugnandi nec occaſio nec cauſa fuerit, niſi quòd indirectè hic articulus concuti cæpit ab iis hæreticis, qui incarnationem negarunt, & quod conſequens erat obliquè, etiam præſentiam negare neceſſe fuit. Quocirca Patres directè etiam in primaria hæreſeon capita potiſſimùm intenti ſcripſerunt, ut tamen videas, quanto conſenſu Patres hunc Articulum tradiderint, ex quinque primis ſæculis Patres ſiſtimus. Sextum tibi ultrò donabimus, quòd jam tum corruptum vobis videatur: Et verò ſi nos modò fruſtra deſudamus in citandis Patribus hujus Controverſiæ, fruſtra tot Scriptores ſudarent cum Garetio, Claudio de Sainctes, Groppero, Tappero, Caniſio, Coccio, Gualterio, Alano, Valentia, Vaſque, Suar. Bellarm. qui integrum librum II. ex teſtimoniis Patrum contexuit, cæteriſque innumeris Theologis. Fruſtra Paſchaſius, Algerus, Guitmundus, Landfrancus, Adelmannus & tot Epiſcopi, Auguſtini, Ambroſii, Hieronymi, Gregorii Magni & priſcorum Patrum teſtimonia contra Berengarium pro-

produxerunt; fruſtra tota Eccleſia, & Concilia Traditionem ex SS. Patrum ſcriptis, & hoc dogma probant, accipe nunc ex multis pauca & ſucciſa.

Primo ſæculo PP. ab Anno Chriſti I. ad C.

S. Andreas: *Ego omnipotenti Deo immaculatum agnum quotidie ſacrifico, qui cùm verè ſacrificatus, & verè à populo carnes ejus manducatæ, integer perſeverat & vivus.* Liber Paſſionis à Diſcip. conſcript.

S. Ignatius Epiſt. ad Smirn. *Euchariſtias & oblationes non admittunt, quòd non confiteantur Euchariſtiam eſſe carnem Salvatoris, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt:* Epiſt. ad Rom. *Panem Dei volo, panem cœleſtem, panem vitæ, quæ eſt caro Chriſti Filii Dei, & potum volo ſanguinem ipſius.*

S. Dionyſ. Eccl. Hier. c. 3. *O diviſſimum, ô ſacroſanctum! Pontifex quòd hoſtiam Salvatorem, quæ ſupra ipſum eſt, litet, Tu dixiſti, Hoc facite.*

S. Martialis à S. Petro miſſus in Galliam, Epiſt. 3. ad Burdig. *Sacrificium Deo creatori offertur, non Homini, neque Angelo, quod Iudæi per invidiam immolarunt: nos cauſâ ſalutis noſtræ in arâ Sacrificatâ proponimus: Hoc enim ipſe Dominus noſter juſſit nos agere in ſui commemorationem.*

S. Clemens lib. 1. conſtit. c. 23. *Pro Sacrificio cruento rationabile & incruentum, atque illud myſticum Sacrificium corporis & ſanguinis Domini.*

S. Alexandrum Papam ſupra recitavi. His adde Liturgias Apoſtolorum S. Petri, S. Jacobi Majoris, S. Matthæi, S. Marci. Quàm illic copioſa teſtimonia.

Secundo ſæculo Patres ab C. ad CC.

S. Juſtinus Martyr, Apol. 2. ad Anton. Imp. *Non enim ut communem panem, neque communem potum hæc ſumimus, ſed quemadmodum per verbum Dei incarnatus IESVS CHRISTVS Salvator noſter, &*

carnem & ſanguinem pro ſalute noſtrâ habuit , ſic etiam per preces Verbi Dei ab ipſo Euchariſtiam factum cibum , ex quo ſanguis & carnes noſtræ per mutationem aluntur illius iucarnati IESV , & carnem & ſanguinem eſſe edocti ſumus. Rurſum in diſp. cum Triph. ex Malach. c. 1.

S. Irenæus lib. 4. contra hæreſ. c. 34. *Quomodo autem conſtabit eis , eum panem in quo gratiæ actæ ſunt corpus eſſe Domini ſui, & calicem ſanguinis ejus, ſi non ipſum fabricatoris mundi filium dicant*, c. 32. *Eum qui eſt ex Creaturâ panem accepit, & gratias egit dicens : Hoc eſt corpus meum : & calicem ſimiliter.* cap. 57. *Accipiens panem , ſuum corpus confitebatur.* lib. 5. c. 2. *Quando ergo & mixtus calix , & factus panis percipit Verbum Dei, fit Euchariſtia corporis & ſanguinis Chriſti.*

Tertull. lib. de Reſurrect. car. *Caro abluitur, ut anima emaculetur ; caro inungitur , ut anima conſecretur ; caro corpore & ſauguine Chriſti veſcitur , ut anima de Deo ſaginetur.* lib. 4. contra Mar. c. 40. *Acceptum panem corpus ſuumillum fecit : Hoc eſt corpus meum , dicendo. In calicis mentione teſtamentum conſtituens ſanguine ſuo obſignatum.* lib. deinde ad Scap. c. 2. lib. de Orat. c. 14. *Accepto corpore Domini & reſervato, utrumque ſalvum eſt , & participatio ſacrificii & executio officii.* His adjunge teſt. 5. Teleſph. Papæ in Epiſt. ad Univerſos c. 2. ut tom. 1. Concil. diſt. verò 1. de Conc. Nocte: Tres Miſſæ præſcribuntur : paulo poſt: *ipſi qui proprio ore corpus Domini conficiunt , ab omnibus ſunt audiendi.* S. Pii Papæ ſupra relati , S. Soteris Papæ & Martyris de Sacrificio Miſſæ, tom. 1. Conc.

Tertio ſæculo Patres ab Anno CC. *ad* CCC.

Origenes Hom. 5. *Quando ſanctum cibum illudque incorruptum accipis epulum , quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & ſanguinem*

Digitized by Google

nem Domini. Hom. 7. in lib. Num. *Tunc in Ænigmate eſt manna, nunc autem in ſpecie caro verbi Dei, & verus cibus, ſicut ipſe dicit*. Hom. 16. in Num. lib. 8. contra Celſum. Hom. 13. in Exod.

S. Hippolitus Epiſcopus & Martyr, orat. de conſ. mundi: *Eccleſiarum ædes tugurii inſtar erunt, precioſumque corpus & ſanguis non extabit in diebus illis*.

Julius Africanus Origeni familiaris, refert S. Matthæum martyrio coronatum, ubi primùm Jeſu Chriſti corpus feciſſet & Miſſam peregiſſet.

S. Cypr. ſerm. 5. de lapſ. *vis infertur corpori ejus & ſanguini*; agit enim contra indignè ſumentes, in ſerm. de Cœnâ, *Panis iſte communis in panem & ſanguinem mutatus procreat vitam*. Haud diſſimilia ſerm. de Orat. Dom. Epiſt. 63. ad Cæcilium, in quâ Sacrificium commendat. Epiſt. 66 ad Clerum: rurſum ſerm. de lapsis, *Non ſtatim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, & ore polluto Domini ſanguinem bibat*.

S. Pontianus P. & Mart. Epiſt. ad omnes fid. *ipſi quoque proprio ore corpus Domini conficiunt*.

S. Dyoniſius Alexand. apud Euſeb. lib. 7. c. 8. *Qui longo tempore corporis & ſanguinis Domini noſtri IESV CHRISTI fuiſſet particeps*; deinde ad Fabium Antiochenum in Epiſt.

Quarto ſæculo Patres ab Anno CCC. *ad* CCCC.

S. Athanaſ. Apol. de fugâ: *Solùm enim veſtrum eſt propinare ſanguinem Chriſti, & præterea nullius; cæterum ut impius eſt, qui hunc myſticum calicem frangit, ita multò magis impius eſt, qui ſanguini Chriſti contumeliam facit*; refert Theod. eundem Athan. dial. 2. de præſentiâ Euchariſtiæ diſputantem.

Marius Victorinus: *Etenim, ſi quod accipimus corpus Chriſti eſt, ipſe autem Chriſtus vita. Quærimus* ἐπιούσιον ἄρτον. *Tom. 4. Bibl. PP.*

S. Hilarius lib. 8. de Trinit. *De veritate carnis & ſanguinis, non eſt relictus ambigendi locus; nunc enim & ipſius Domini confeſſione & fide noſtrà verè caro eſt, & verè ſanguis eſt:* Lege quæ eâdem claritate præmittit.

S. Greg. Nazianz. orat. 2. in S. Paſcha: *Quin potius ſine pudore, & ſine dubitatione corpus ede, ſanguinem bibe, ſi modò vitæ deſiderio teneris.*

S. Baſil. Epiſt. ad Cæſ. *Communicare per ſingulos dies, & participare de ſacro corpore Chriſti, & pulchrum, & valde utile eſt.* Vide eundem in Liturgiâ, Hom. 19. Sermone de Bapt. c. 2. quem Bellarm. adducit.

S. Greg. Nyſſ. S. Baſilii Frater in orat. Catech. *Oportet conſiderare quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in univerſo orbe terrarum ſemper diſtribuitur.* Deinde, *Rectè ergo nunc quoque Dei verbo ſanctificatum in Dei verbi corpus credo tranſmutari.* Græci ὑγιασμένον ἄρτον εἰς τὸ σῶμα τοῦ θεοῦ λόγου μεταποιεῖσθαι.

Hæc autem dat virtute benedictionis in illud transelementata eorum, quæ apparent natura: inde verbum μεταστοιχόω, in quo Energiam Tranſubſtantiationis habes.

S. Cyrillus Hieroſolym. Catech. 1. *Panis & vinum Euchariſtiæ ante ſacram invocationem adorandæ Trinitatis, Panis erat & vinum ſimplex, peractà verò invocatione, Panis quidem fit corpus Chriſti; vinum autem ſanguis Chriſti:* in Græco legis: ὁ μὲν ἄρτος γίνεται σῶμα Χριστοῦ. Catech. 3. *Panis Euchariſtiæ poſt S. Spiritus invocationem, non amplius eſt panis communis, ſed eſt corpus Chriſti.* Catech. 4. *Cùm igitur Chriſtus ipſe affirmet, atque dicat de pane: Hoc eſt corpus meum; quis deinde audeat dubitare? atque eodem confirmante & dicente, Hic eſt ſanguis meus: quis unquam dubitet & dicat non eſſe illius ſanguinem? Aquam aliquando mutavit in vinum, quod eſt ſanguini*

Digitized by Google

ſanguini propinquum, in Cana Galilææ, ſola voluntate, & non erit dignus cui credamus, quod vinum in ſanguinem tranſmutaſſet. Quare omni cum certitudine corpus & ſanguinem ejus ſumamus: Nam ſub ſpecie panis datur tibi corpus, & ſub ſpecie vini datur tibi ſanguis, ut ſumpto corpore & ſanguine efficiaris comparticeps corporis & ſanguinis. Græcè σύσσωμος & σύναιμος αὐτοῦ. Poſt: *Ne ergo conſideres tanquam panem nudum & vinum nudum, quamvis enim ſenſus tibi hoc ſuggerat, tamen te fides confirmet; ita ut nulla ſubeat dubitatio eſſe tibi donata corpus & ſanguinem.* Et quæ non ſubjungit æquè plana. Catech. 5. Sacrificium commendat. Quid jam dicet Cabeljavius? Aquam in Canâ, vertitne in vinum per veram converſionem, an non? adhuc nullus ex primis ſæculis Catholicus Pater proferri poterit? Hunc ſi tu Patrem cum Amb. & Nyſſ. ad Calvini dogma detorquere poſſis, etiam omnes Patres in omnes hæreſes transformare poteris. Sed progrediamur: Quanquam ſurdo fruſtra fabula; & cœcitati de quâ Chriſtus ex Iſaiâ fruſtra lumen. *Ioan.* 12 *Iſa.* 6 &

S. Epiphanius in Anchor. de Chriſti inſtit. *Videmus quod accepit Salvator in manus ſuas, & cum gratias egiſſet dixit: Hoc meum; Hoc & Hoc, & videmus quod non æquale eſt, neque ſimile non imagini in carne, non inviſibili Deitati, non lineamentis membrorum. Hoc eſt enim rotundæ formæ, & inſenſibile quantum ad potentiam. Et voluit per gratiam dicere: Hoc meum eſt. Hoc & Hoc, & nemo non fidem habet Sermoni; qui enim non credit eſſe ipſum verum, ſicut dixit, is excidit à gratia & ſalute.* Vides cenſurã tuam.

S. Optatus Milevit. lib. 6. contra Parmen. *Quid eſt enim Altare niſi ſedes corporis & ſanguinis Chriſti. Hoc tam immane facinus geminatum eſt dum fregiſtis etiam calices Chriſti ſanguinis portatores.* Cætera de Euchariſtiâ Canibus projectâ recitavi ſupra.

S. Gaudentius Brixienſis Epiſcopus tract. 2. in

Exod. *Ipſe naturarum Creator & Dominus, qui producit de terrâ panem: & de pane rurſum, quia & poteſt & promiſit, efficit proprium corpus; Et qui de aquâ vinum fecit, & de vino ſanguinem ſuum, &c. ô altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei.*

S. Hieronymus in c. 26. Matth. *Ut, quomodo in præfiguratione ejus Melchiſedech ſummi Dei Sacerdos panem & vinum offerens fecerat; ipſe quoque veritatem ſui corporis & ſanguinis repræſentaret*; ſeu ut Suarez, ſenſus & vis verbi etiam poſcit, reipſâ exhiberet ex figurâ veritatem. in Pſalm. 145. *Et hoc quidem accipimus, quia vera caro Chriſti eſt.* in Epiſt. ad Titum: *Tantùm intereſt inter panes propoſitionis & corpus Chriſti, quantùm inter umbram & corpora; inter imaginem & veritatem.* Ad Heliod. de Sacerd. *Apoſtolico gradu ſuccedentes Chriſti corpus ſacro ore conficiunt.* Eadem repetit Epiſt. 85. ad Evagrium: ſimilia prorſus in Pſalm. 98: in c. 1. Malach. lib. 1. adverſus Pel. in c. 1. ad Epheſ. & quis omnia hîc loca percenſeat.

Quinto ſæculo Patres ab Anno CCCC. ad D.

S. Chryſoſtomus Hom. 83. in Matth. *Credamus itaque ubique Deo, nec repugnemus ei; etiamſi ſenſui & cogitationi noſtræ abſurdum videatur: quod dicit, ſuperet & ſenſum, & rationem noſtram Sermo ipſius, quod in omnibus, ac præcipuè Myſteriis faciamus.* Quoniam ergo ille dixit: *Hoc eſt corpus meum: nulla teneamur ambiguitate, ſed credamus:* infra: *ô quot modò dicunt vellem formam & ſpeciem ejus videre; vellem veſtimenta ipſa, vellem calceamenta videre; ipſum igitur vides, ipſum tangis, ipſum comedis.* Rurſum: *Miniſtrorum nos ordinem tenemus, qui verò hæc ſanctificat & tranſmutat, ipſe eſt.* In cap. 10. ad Cor. 1. *Hoc eſt autem quod dicit, id quod eſt in calice, eſt id quod fluxit è latere.* In Cap. 1. ad Eph. *Cogitemus quod illius ſanguinem guſtemus, qui ſupra*

ſupra ſedet. Hom. 2. ad pop. Antioch. *Qui ſanguinem ſuum pro omnibus effundere non recuſavit, & carnem ſuam, & rurſum ipſum ſanguinem nobis communicavit.* Hom. de proditione Judæ: *Non enim homo eſt, qui propoſita de conſecratione Menſæ Domini, corpus Chriſti facit & ſanguinem: Sed ille qui crucifixus eſt pro nobis, Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute conſecrantur & gratiâ: Hoc eſt, ait, corpus meum: Hoc verbo propoſita conſecrantur*: ita lib. 3. & lib. 6. de Sacerd. Hom. 11. ad populum Antioch. Hom. 12. ad eundem populum: 24. 31. 52. Hom. 2 in Epiſt. 2. ad Timoth. *Sacrificium in corpore & ſanguine Chriſti commendat ſacra ipſa oblatio, ſive illam Petrus, ſive illam Paulus, ſive alius cujuſvis meriti Sacerdos offerat, eadem eſt, quam dedit Chriſtus ipſe Diſcipulis, quamque modò Sacerdotes conficiunt.* Expende nunc ſingula, & vide an non ſolus hìc Doctor tua tibi dubia eximat.

S. Cyrillus Alexandrinus lib. 13. in Levit. & in Epiſt. ad Caloſyr. *Ne dubites an hoc verum ſit, eo manifeſtè dicente: Hoc eſt corpus meum.* Omitto quæ tam manifeſtè ſubdit. Epiſt. ad Neſtor. *Particeps factus ſanctæ carnis, pretioſique ſanguinis ſervatoris noſtri IESU CHRISTI, nec ut communem carnem accipimus, abſit.* Et quam non extollit Euchariſtiam in Ioël. c. 1. v. 16. Amos 4. v. 6. Malach. 1. v. 1.

Theodoretus dial. inter Eraniſten & Orthodoxum, quærit orthodoxus: *Dic ergo ſymbola quæ Deo & Sacerdotibus offeruntur, quorumnam dicis eſſe ſymbola?* Eran. *Corporis & ſanguinis Domini.* Orth. *Corporis quod verè eſt, vel verè non eſt?* Eran. *Quod verè eſt.* Orth. *Optimè.* Infra Eran. *Poſt Sanctificationem autem quomodo appellas?* Orthodox. *Corpus Chriſti & ſanguinem Chriſti.* Eran. *Et credis te participem fieri corporis Chriſti & ſanguinis Chriſti?* Orthod. *Credo.* Nunquidnam D. Prædicans hæc exegeſis & Cathecheſis ſat clara?

Arno-

Arnobius Junior in illud Pſal. 4. *A fructu frumenti. Accipimus frumentum in corpore, vinum in ſanguine, oleum in Chriſmate.*

S. Proclus Conſtant. Patriarcha in opus de Trad. Miſſæ: *Per has igitur preces Spiritus S. adventum expectabant, ut ejus divina præſentia propoſitum in Sacrificium panem & vinum aquæ permixtum, ipſum illud corpus & ſanguinem Servatoris noſtri IESU CHRISTI efficiat.*

S. Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus Hom. 5. de Paſch. *Recedat omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor eſt muneris, ipſe eſt teſtis veritatis; Nam inviſibilis Sacerdos, viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui verbo ſuo ſecretâ poteſtate convertit, ita dicens, Accipite & edite, hoc eſt enim corpus meum: & ſanctificatione repetitâ, Accipite & bibite, Hic eſt ſanguis meus.* Poſt longam & illuſtrem confirmationem ita concludit: *Antequam invocatione ſummi nominis conſecretur, ſubſtantia illic & panis & vini; poſt verba autem Chrſti, corpus & ſauguis Chriſti.*

S. Petrus Chryſol. ſerm. 33. *Tetigit veſtimentum mulier, & curata eſt: miſeri qui quotidie corpus Domini tractamus & ſumimus, & à noſtris vulneribus non curamur; non Chriſtus infirmantibus, ſed fides deeſt.*

Salvianus Maſſilienſ. Preſbyt. lib. 2. ad Eccleſiam: *Iudæi Manna manducarunt, nos Chriſtum: Iudæi carnes ăvium, nos corpus Dei; Iudæi pruinam cœli, nos Deum cœli.*

S. Victor Uticenſis lib. de perſecut. Wand. *Tempore quo Sacramenta Dei populo porrigebantur, introeuntes maximo furore corpus Chriſti & ſanguinem pavimentis ſparſerunt.* His accedunt teſtimonia Heſychii ſerm. ad Theod. S. Iſidori Peluſ. Epiſt. 109. S. Aviti Viennenſis Epiſc. lib. 5. de tranſitu Maris. S. Remigii Apoſtoli. Poſtremùm.

S. Leo

S.Leo Magnus ſerm.7.de Jejunio:*Sic ſacræ menſæ communicare debetis ut nihil prorſus de veritate corporis Chriſti & ſanguinis ambigatis : Hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur & fruſtra ab illis reſpondetur Amen, à quibus contra id, quod accipitur, diſputatur.* Haud diſſimilia ſerm. 7. de paſſ. Domini.

S. Gregorius Magnus lib. 4. dial. c.58. *Ejus quippe ibi corpus ſumitur, ejus caro in populi ſalutem partitur, ejus ſanguis jam non in manu infidelium, ſed in ore fidelium funditur.* c. 58. *Quotidiana Deo lacrymarum ſacrificia, quotidianas carnis ejus & ſanguinis hoſtias immolare debemus.* Hom. 22. *Quid prodeſt corpus & ſanguinem illius ore percipere & ei perverſis moribus contraire :* In vita S. Greg. à Paulo Diacono ſcripta, hæc Gregorii crebra ad populum verba referuntur: *Deus eâ poteſtate, quâ cuncta ex nihilo produxit, panem & vinum aquâ miſtum, manente propriâ ſpecie in carnem & ſanguinem ſuum Spiritus Dei ſanctificatione convertit,* inde Euchariſtiam diſtribuens his verbis uſus, utî modò utimur: *Corpus Domini noſtri IESU CHRISTI conſervet animam tuam.* Nihil de aliis Patribus hujus ſæculi ab Anno 500. ad 600. Æquitas teſtimonia tua.

Legat nunc tota Leida & Hollandia, videatque quâ fide, quâ fallaciâ ſcripſerit Cabeljavius in Epilog. fol. 559. & 560. Laborandum Catholicis antequam vel unum ex ſenis primis ſæculis Patrem pro Catholicâ ſententiâ ſiſtere poſſit, & ſi poſſint provocat ut ſiſtant: Hîc jam habes, & perlege & expende, ſed affectum, quo jam oculus tuus corruptus eſt, ſepone, utî S. Auguſtinus toties monuit & ſeptima Synodus. Multum enim refert quo quis animo occupatus legat. Hîc enim veritati primus aditus præcluditur; verùm quid mirum cuiquam videri poterit hæc evidentiſſima Patrum teſtimonia in ſuâ claritate aliò atque aliò ab aliis trahi, flecti, & torqueri; prout aliæ & aliæ ſunt ſæculi hujus

hujus hæreſes, cum ipſa Chriſti verba eaque planiſſima & ſimpliciſſima, tot ſæculis veriſſima in 100. jam diſcrepantes ſectas & ſententias detorta & diſcerpta ſint, ut jam nec teſtamentum Chriſti ſit in poſſeſſione nec Sacramentum in veritate, nec Sacrificium in religione, nec myſterium in veneratione. Crediderim equidem tam negare vos poſſe Spiritum in mundo aut Deum in Cœlo, quàm Chriſtum in Sacramento: ſi modò in duobus principiis conſpiretis, negando traditionem ex conſenſu Patrum, & negando infallibile judicium Eccleſiæ ex decretis Conciliorum, ut de formali Scripturâ ſenſuque vos ſoli ſitis Judices, veſtrumque criterium populi ſit Euangelium, at quæ tum veritas, quæ everti non poſſit, aut quæ falſitas, quæ perſuaderi populo non poſſit.

CAPUT XIII.

Catholica veritas ex Conciliis evidentiſſimè oſtenditur.

PErtentavit Cabeljavius Scripturam, rationes, experimenta ſenſuum, Patrum teſtimonia, jus Canonicum, ſi minùs fidem, ſaltem ſpeciem aliquam veritatis plebi ſuæ obtruderet, exploratiſque curſim omnibus, unum tamen probandi genus, quo in reliquis utitur, idque certiſſimum & palmare hîc intermiſit, quod illud? Concilia videlicet: itane in tàm celebri controverſiâ & fidei articulo nullum Concilium? ſin minus Generale, ſaltem nationale, aut provinciale, aut quodcunque particulare, in quo ſtatuatur Chriſtum non eſſe præſentem in Euchariſtiâ, aut nullam intervenire converſionem, aut Miſſæ ſacrificium in corpore & ſanguine Chriſti, ſupremoque illo religionis cultu tanquam idololatriam abrogandum eſſe, cùm

cùm tamen ſacrificium illud in eâdem fide de præſentiâ corporis & ſanguinis Chriſti, ab ortu ſolis, uſque ad occaſum toto orbe Chriſtiano ab ipſis Apoſtolorum temporibus vulgatiſſimum fuerit; aut certè ſi ſacrificium illud Catholicorum, cujus in omnibus aris & templis, & in toto occidente monumenta exſtant, à Gregorio Magno primùm introductum eſt, ut falsò confingitis. Quomodo credibile eſt in tot Conciliis nihil unquam contra tàm apertam Idolomaniam & Artolatriam, ut vultis, definitum aut tentatum eſſe, cùm in omnes naſcentes hæreſes & errores, & corruptelas morum tàm accuratis cenſuris & decretis animadverſum ſit, & tàm minuta etiam Epiſcoporum judiciis & Synodorum ſtatutis aut correcta, aut proſcripta ſint: horum omnium cauſam ſi quæras à Leidenſi Prædicante, nullam aliam dare poterit, quàm ſe non invenire in omnibus Conciliis quicquam ſtatutum contra veritatem Catholicam, ſed è diverſo in tot Conciliis præſentiam Chriſti in Euchariſtiâ definitam, hæreſin verò Sacramentariorum damnatam. Itaque valdè cautè ſi non ſubdolè tacere maluit quàm movere. Dabis igitur mihi Cabeljavi, ſi in patrocinium noſtræ cauſæ hîc paucis ad Concilia appellem.

I. Concilium quo Catholici veritatem hanc evidentiſſimè probant eſt Nicænum I. Oecumenicum CCC. XVIII. Epiſcoporum, in eo ſic legis, *Veluti neque regula neque conſuetudo tradidit, ut hi qui offerendi ſacrificii non habent poteſtatem, his qui offerunt corpus Chriſti porrigant.* Canone 14. edit. Lat. Græcè ὥσπερ οὔτε ὁ κανών, οὔτε ἡ συνήθεια παρέδωκεν, τοὺς ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν, τοῖς προσφέρουσι διδόναι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ. Habes ſacrificium & corpus Chriſti. Habes deinde teſtimonium tot Epiſcoporum & Patrum ex primo Concilio

cilio generali, quod Calvinus lib. 4. Inſt. c. 9. ſcribit ſe revereri.

Quid nunc clamitas non poſſe ex ſex primis ſæculis ullius Patris teſtimonium proferri? Quot Epiſcopos tot Patres legis.

an. 500. II. Concilium Turonenſe II. ſub Pelagio Papa cap. 3. præcipit, ut corpus Domini in altari non imaginario ordine, ſed ſub crucis titulo ponatur. c. 4. vocat ſancta myſteria. Omitto quæ de ſacrificio Miſſæ leguntur in Concilio Agathenſi c. 47. in Aurelianenſi c. 28. quæ eodem recidunt, cùm nullum aliud ſacrificium agnitum fuerit quàm in corpore & ſanguine Chriſti, adeoqne Concilium Trullanum. c. 32. Myſticum ſibi ſacrificium traditum agnoſcit. Hujus Concilii Canones quidam rejecti, quidam ab Eccleſiâ recepti.

III. Concilium Alexandrinum cum Cyrillo Epiſtolâ ad Neſtorium quæ recipitur probaturque in Concilio Epheſino: tom. I. c. 14. Cùm enim dictum eſſet per Myſticam oblationem nos fieri participes carnis & ſanguinis Domini noſtri JESU CHRISTI ſubjungitur ratio & confeſſio; *Neque enim illam ut carnem communem ſuſcipimus abſit hoc, neque item ut carnem alicujus hominis ſanctificati; ſed tanquam verè vivificam ipſiuſque verbi propriam.* Cauſa hujus, quòd cùm Neſtoriani negarent unionem carnis Chriſti ad Deum, per conſequens negarunt in Euchariſtiâ carnem Chriſti divinam & vivificam. Solùmque hominis alicujus ſanctificati carnem in Euchariſtiâ admittebant. Contra hanc hæreſin utrumque Concilium pronunciat: & quid in hac ſententiâ manifeſtius quàm Catholica veritas?

IV. Concilium eſt Nicænum II. OEcumenicum contra Iconomachos inter generalia ſeptimum act. 6. tom. 3. manifeſtè damnat Iconomachos aſſerentes Euchariſtiam tantùm eſſe imaginem ſeu figuram;

guram; & hanc doctrinam, quæ Cabeljavii eſt, Concilium ut deteſtabilem & amentiæ plenam damnat ex Scripturâ, traditione Apoſtolicâ & SS. PP. conſenſu. Recitemus huic Prædicanti ipſa verba: *Nullus enim tubarum ſpiritus, ſanctorum videlicet Apoſtolorum aut illuſtrium Patrum noſtrorum incruentum Sacrificium noſtrum, quod in commemorationem Chriſti Dei noſtri & omnis diſpenſationis ejus efficitur, dixit imaginem corporis ejus; neque enim accepimus à Domino ſic dicere vel confiteri.* Proinde citat Matth. c. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11. & omnia Chriſti verba, in quibus Catholici ſe modò fundant, & concludit: *Ergò liquidè demonſtratum eſt quòd nuſquam Dominus vel Apoſtoli, aut Patres imaginem dixerunt ſacrificium ſine ſanguine, quod per Sacerdotem offertur, ſed ipſum corpus & ipſum ſanguinem.* Intelligiſne hoc D. Prædicans? Quomodo inſultares ſi quid ſimile ex omni antiquitate contra Catholicos proferre poſſes. Neque hîc ſiſtit Concilium, ſed objectiones Iconomachorum diſſolvit, quòd à Patribus quibuſdam Euchariſtia typus ſit appellata, quæ eadem Calviniſtarum offenſio & querimonia eſt, ſupra ſatis diſcuſſa. Verùm quid reſpondet Concilium? *Ante ſanctificationis quidem celebrationem typos quibuſdam SS. Patrum hæc piè viſum eſt appellare; poſt ſanctificationem autem corpus propriè & ſanguis dicuntur, & ſunt, & creduntur.* Proinde fallaciam & ſophiſmata Iconomachorum deteſtantur: *μοχθηρίᾳ καὶ πανουργίᾳ συνεχόμενοι σοφίσματι κιβδήλῳ ἑαυτοὺς παρακρουόμενοι.* Exiſtimavit Guido. ut refert, Vaſq. & Suarez hanc hæreſin poſt afflaſſe parti Armenorum; verùm ex eorundem teſtimonio Græci in hac doctrinâ de præſentiâ Chriſti in Euchariſtiâ ſemper perſtitêre conſtantiſſimi cum Catholicis tam poſt Schiſma, quàm ante illud, utî ex Liturgiis, priſcis Patribus,

&

& demum ex Florentino manifeſtum eſt; ut vel hinc videat Cabeljavius, quantâ cæcitate & dementiâ circumferatur ab inquieto damnatoque olim Iconomachorum ſpiritu, qui nunquam tàm à Græcâ, quàm Latinâ Eccleſiâ receptus eſt, proficiſcere ergo cum illo ſpiritu ad loca arida & inaquoſa, in quibus requiem quæres & non invenies.

Luc. 11.

V. Concilium Vercellenſe: alii Romanum appellant præſidente Leone IX. citatus Berengarius cum venire recuſaſſet abſens præſente Pontifice cum Concilio poſt longam diſputationem damnatus eſt ob hanc ipſam Sacramentariorum hæreſin: ſimulque Joannis Scoti impium dogma damnatum eſt teſte Landfranco Archiepiſcopo.

VI. Concilium Turonenſe ſub Victore II. præſidente Hildebrando Cardinale Legato, is qui poſt electus Pontifex Gregorius VII. in hoc Concilio Berengarius comparuit, & coram convictus jurejurando promiſit ſe hæreſin illam abjuraturum, nec docturum amplius; fecit, at Protheus ille mox relapſus.

VII. Concilium Romæ congregatum 113. Epiſcoporum à Nicolao II. ob eandem hæreſin, in quo Berengarius jam tertiùm damnatus hæreſin ejuravit, proprioſque libros præſente Pontifice & Synodo ignibus injecit, juramentum renovavit, & publicam fidei profeſſionem fecit, quæ in decretis ſupereſt, & leges in citatâ à te diſt. 2. Ego Bereng. &c. Verùm homo vertumnus ad hæreſin & inconſtantiam fictus, rurſum in eandem hæreſin prolapſus.

VIII. Concilium Romanum ſub Gregorio VII. ad quod Berengarius quartùm evocatus ſe ſtitit, & quartùm convictus & damnatus tandem reſipuit, & confeſſionem fidei quæ in decretis exſtat repetivit: in hâc uſque ad mortem perſtitiſſe ferunt & moriturum eum dixiſſe ipſo Epiphaniæ feſto. *Hodie*

in

Digitized by Google

in die apparitionis ſuæ apparebit mihi Dominus meus Ieſus Chriſtus, vel propter pœnitentiam, ut ſpero ad gloriam; vel propter alios, quos ſeduxerat, *ut timeo, ad pœnam æternam: Nam jam ſanè credimus*, inquit, *poſt benedictionem illa myſteria eſſe corpus & ſanguinem* Salvatoris, *adducti & veteris Eccleſiæ auctoritate & multis noviter oſtenſis miraculis*. Atque hæc quatuor illa Concilia ſunt, in quibus Bereng. Archidiaconus Andegavenſis primus Sacramentariorum Parens quartùm productus & quartùm cum veſtrâ hæreſi damnatus eſt. Hic exitus Scenæ poſt quatuor Conciliorum actus fuit: inveneritne Berengarius in quinto actu & ſupremo judicio Comediæ, an Tragœdiæ exitum, de quo ipſe moriens tam anxius hæſit, incertum & arcanum eſt: Sunt qui memorant Berengarium abdicatum Archidiaconi munere, boniſque in pauperes diſtributis Cluniacenſe Monaſterium pœnitentiæ cauſâ ingreſſum, cùmque illic S. Hubertus ſeu Fulbertus animam ageret, vidiſſe hunc Monachum Berengarium cubiculum ſuum intrantem & exclamaſſe. *O Deus quis iſte eſt, Ecce diabolum auribus ejus neſcio quid inſuſurrantem.*

IX. Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. M. CC. LXXXIII. Patrum Anno 1215. hanc eandem hæreſin publico decreto damnavit, ut relatum legis cap. Firmiter de ſum. Trinit. *Una verò eſt fidelium univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omninò Salvatur, in qua idem ipſe Sacerdos eſt, Sacrificium Ieſus Chriſtus, cujus corpus & ſanguis in Sacramento Altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continetur, tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem poteſtate divinâ.*

X. Concilium Romanum generale celebratum Anno 1413. Similiter Conſtantienſe, quod ſeſſ. 8. non ſolùm confirmat Concilium Romanum, ſed ſpeciatim inter errores Joannis Hus, hunc ipſum

condemnat. Utî ex Cochl. lib. 1. refert Vaſquez & inter damnatos Art. legis, quorum tres primi ſunt de tranſubſtantiatione & reali præſentiâ tom. 4. edit. Rom.

XI. Concilium Viennenſe generale ſub Clemente V. Anno 1311. Clementinâ Unicâ de reliq. & ven. SS. quàm expreſsè illic legis veritatem corporis & ſanguinis Chriſti, & venerationem ab Urbano ſtatutam confirmari.

XII. Concilium Florentinum in decreto Eugenii, quod habetur poſt ult. ſeſſionem Anno 1437. inchoatum de ſacra Euchariſtia: *Nam ipſorum verborum virtute ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem convertuntur.*

XIII. Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. quod per omnia ferè illius ſeſſionis capita & canones explicatiſſimè doctrinam Catholicam tradit. Atque hujus Concilii auctoritas ſatis eſſe poterat, quicquid tandem Cabeljavius criminando de Concilii hujus cæterorumque auctoritate in plebem ſpargit, plebejo magis quàm Theologico judicio; cùm omnis tandem diſputatio de Scripturæ ſenſu & fidei controverſiis ad Eccleſiæ infallibile judicium deciſionemque debeat deferri, utî omnium Theologorum & Sapientum in hoc judicio exploratiſſimum judicium eſt.

Cùm igitur Prædicans ſe hoc Patrum, & Conciliorum præſidio, & firmamento deſtitutum videret, ut tamen ſuæ hæreſi aliquam antiquitatis ſpeciem obtexeret, in Epilogo ſuam doctrinam revocat ad Joannem Erigenam Scotum, Bertramum

Folio 562. & Berengarium. Bona & præclara confeſſio! in quâ confitentis rei vocem habemus, videlicet à Damnatis in tot Conciliis Hæreticis, ſuam fidem & doctrinam emendicantis. Ponamus ergo genealogiam & ſucceſſionem. Primus qui in Eccleſia Latina hanc hæreſin docuit, producitur Joannes

Erigena

Erigena Scotus Anno 800. ſed à Concilio Vercelleníi damnatus. II. Bertramus tempore Caroli Craſſi Anno Chriſti 886. quem Paſchaſius Abbas Corberenſis cum plauſu totius Eccleſiæ confutavit; quanquam Valentia cenſeat hunc librum à Diſcipulis Berengarii poſt conſcriptum, & nomine Bertrami in vulgus ſparſum. III. Tandem Berengarius, Anno M. L. in publicum protraxit hanc hæreſin omnium Sacramentariorum Hæreſiarcha: Hîc ſiſtit Prædicans. Ergonè illa tam neceſſaria, tam ſalutaris & divina doctrina, à quo omnium ſalus pendet, tantùm tres patronos habet contra totius Eccleſiæ judicium, & tot Conciliorum decreta, & totius Orbis Chriſtiani conſenſum. Adhuc nullum Epiſcopum nedum Epiſcoporum Concilium invenio; & tamen *Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Act. 20. Sed proſequamur hujus hæreſis genealogiam. Berengario ſucceſſêre Henriciani, Petrobruſiani, Albigenſes, Waldenſes, Flagellantes. His idem error attribuitur, in quorum ſinu delituit. Sed præclara nomina & illuſtres Patroni! omnes damnati Hæretici ſcoria & ſpuma Eccleſiæ: Tandem Joannes Wiclef Anno 1380. magno ſpiritu hanc hæreſin recudit in Anglia, verùm ſine publico Anglorum vulnere; cujus tamen libri poſtquam ab Hieronymo Pragenſi in Bohæmiam illati, Hæreſis hæc armis erigi, ac tametſi Joannes Hus communionem ſub utraque ſpecie acerrimè propugnarit, ab hac tamen hæreſi Sacramentariorum ſemper abhorruit; idem in Luthero ſatis animadverſum, poſtquam Sacramentarios ſcriptis ſuis vexare cœpit. Cæterùm Jacobitæ & pars Bohæmorum tantùm hunc errorem arripuit: Demum Carolſtadius, OEcolampadius, Zwinglius & Calvinus in hac violenta poſſeſſione collocarunt. Hæc Patronorum hujus doctrinæ auctoritas, inter quos nullum denuo Epiſcopum reperio, nul-

 lum

lum legitimum Concilium, nullum veritatis præſidium, & firmamentum fidei, niſi quod in omni damnata hæreſi obtendi poteſt.

Verùm vertamus vela: largiamur tantiſper Catholicam doctrinam de præſentia Chriſti in Euchariſtia eſſe erroneam, falſam, & hæreticam. Quæritur ergo à Cabeljavio 1. Quis ejus doctrinæ primus auctor, quis propagator fuerit? hîc certum aliquem Papiſtam te nominare oportet. 2. In quibus locis aut Provinciis hic error primùm diſſeminatus ſit. 3. Quo anno cœperit, increverit, & in publicum eruperit. 4. A quo unquam Concilio hæc noſtra hæreſis tam antiqua & tam latè per omnem orbem ſparſa, ſit oppugnata imò tentata convelli. 5. A quibus Patribus, Theologis, Doctoribus, & Scriptoribus per Epiſcoporum conſenſum & poteſtatem in ullo libro, Scholâ, diſputatione, congreſſu, cathedrâ ſit reprobata, proſcripta & damnata. Nam ſi quidquam incredibile eſt ulli mortalium, tum illud eſt hanc doctrinam tam abſurdam, impiam, blaſphemam & Idololatriæ plenam, ut dicitis, intra tot ſæcula, & in tot Eccleſiæ Provinciis & Regnis à nullo unquam Epiſcopo, Paſtore, Theologo aut Scriptore animadverſam & publicè oppugnatam eſſe, præterquam à paucis, interruptis, & damnatis hæreticis, quibus univerſa ſe oppoſuit Eccleſia. Quòd ſi de veſtra doctrina Catholicos rogetis, illicò hæc omnia digito monſtrant, auctorem, locum, tempus hujus hæreſis, tum Concilia & oppugnantes Doctores & Scriptores, utî jam præſtitum eſt paucis, quæ explicatè leges apud omnes Theologos & Chronologos. Scitum eſt illud. Hæreſin ad ſuam originem revocaſſe, refutaſſe eſt. Quocirca Patres, Tertull. Optatus Milevit. Irenæus, Hieron. Hilar. Auguſt. Vincentius Lerinenſis, cæterique omnes huic principio innixi hæreſes expugnarunt. Quod cùm in hac fundatiſſima Catholicorum do-

Digitized by Google

ctrina nunquam præſtare poſſitis; Catholici verò in veſtra hac hæreſi præſtent; hoc ſolùm relinquitur toti orbi evidentiſſimum, doctri nam Catholicam ab Apoſtolis per continuam traditionem, immotam ſucceſſionem, & inviolatam poſſeſſionem ad nos uſque permanaſſe, & inter omnes oblatrantes hæreſes immobilem perſtituram. *Ut maneant ea quæ ſunt immobilia* Job 12.

In nova Lege Teſtamentum, in Veritate Sacramentum, in Religione Sacrificium.

CONTROVERSIA VI.

De Communione ſub utraque ſpecie.

ATTEXUIT Prædicans hanc controverſiam, ſed tam rudi manu & informi opere, ut Mantiſſa Civis Leidenſis, textoriſque magis, quàm eruditi ſit Prædicantis: Fatalis quippe hoc quoque ſæculo ingeniorum delirantium prurigo. Viri, fœminæ, ſenes, pueri à Prædicantibus edocti quæſtiunculis ludunt, & laſciviunt. Myſterium Theologia erat, modò populare Sutorum & Textorum oblectamentum, Biblia in officinis & tabernis primùm volvuntur, & revolvuntur quàm diurna opera; tot capita, quot penſa: tot interpretes, quot opifices; eadem vetus Hieronymi querela. *Quod medicorum eſt tractant medici, fabri fabrilia: ſola Scriptura ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vendicant:* Hier. ad *hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc verboſus* Paul. *Sophiſta, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent,*

 ante-

Digitized by Google

antequam diſcant; Baſilium magnum Coquus è culinâ Imperatoris aggreſſus ex Scriptura pari diſputationis inſaniâ, cui Baſilius: tuum eſt de pulmentis cogitare, ne Scripturæ dogmata nobis malè decoquas. Nicephorus Gregorias: *Apud nos* lib.4 *etiam opificibus effuſa ſunt arcana Theologiæ, illi & fora & porticus & theatra omnia Theologiæ compleverunt, neque ſolem ſuæ impudentiæ teſtem facere reverentur.* Communio ſub utrâque plauſibile apud plebem thema, at quanto cæcorum plauſu, tanto Bohæmiæ & Saxoniæ lapſu. Profundi Theologi nihil hîc arduum, nihil implicatum vident, utî priſci: Alexander de Hales, Bonav. D. Thomas cæterique. Hinc paucis aut expediunt aut cum Scoto tranſiliunt quæſtionem. Atqui vulgus hujus ævi à Prædicantibus illuſtratum Theologorum ingenia transvolat, ut commentarios ſcribat, & omnes Theologos cum Theologia proſcribat. Inſanum hoc ſi quidquam ex hominum deliramentis. Ab ipſius Eccleſiæ aurorâ modò ſub unâ modò ſub utraque ſpecie Euchariſtia præbita, ut cujuſvis Eccleſiæ, aut Provinciæ conſuetudo ferebat, donec paſſim & ſenſim una ſpecies per conſuetudinem introducta, vi conſuetudinis jam ante legem haberet, quàm Eccleſia legem ſcriberet. Nulla tum inter partes lis; nulla inter paſtores colliſio, nullum inter Epiſcopos præjudicium, nulla ab Eccleſiis inter ſe condemnatio, nedum avulſio, ſchiſma, hæreſis. Sero tandem Petrus Dreſdenſis ex Pædotrivâ Germano repentè Theologus, Jacobellum Miſnenſem Pragæ Concionatorem traxit. Anno M. CD. XII. à quibus Communionis ſub utraque ad ſalutem neceſſitas, & Chriſti præceptum primùm præſcribi cœpit. ex Joan. c. 6. Hic error per Huſſitas ſparſus in publicam & novam hæreſin erupit. Ab his à Luthero exceptus, quam inconſtanter docet Lutherus à ſeipſo toties retractatus. In form. Miſſæ, *Si quo*

caſu

caſu Concilium utramque ſpeciem præciperet aut permitteret, tum ſe cum ſuis aut unâ ſpecie aut nullâ uſurum. Epiſtolâ ad Bohæmos: *Tametſi Chriſtus nihil neceſſarium præſcripſerit, præſtare tamen pacem & unitatem ſervare, quàm de ſpeciebus contendere.* lib. verò de utraque ſpecie tom. 3. len. fol. 693. *Si perveneris ad locum, in quo una ſpecies miniſtratur accipe tantùm unam, ſi præbeantur duæ, duas accipe.* Quàm varium Calvini ingenium de præſentia Chriſti, tam verſatile Lutheri de communione ſub utraque, & in his columnis imò vertumnis primùm immobilis fides collocanda eſt Catholicis, ut tot ſæculorum fundamentum & fidem deſtruant. Cæterùm hæc Controverſia innumeris ante Lutherum ſcriptis & libris agitata per Huſſitas teſte Cochleo, quantis exinde voluminibus poſt Lutherum: quam Prædicans hic Leidenſis his plebeis chartis eruditiſſimis Jeſuitarum Theologis perſuadere voluit. Unquamne Rana apud Palladem peroravit, ut ſapientiam inſanis illis clamoribus ſubmitteret:

Inſpiciamus hujus Prædicantis argumenta.

Argumentum I.

Chriſtus inſtituit hoc Sacramentum ſub utraque ſpecie, deinde in eo calicem ut partem comprehendit eſſentialem; Ergo ex Chriſti inſtituto & exemplo utraque ſpecies dari debet. Reſp. Hæc quilibet civis & nauta ſcribere potuit: at quomodo probas? Hîc te abrumpis ac ſiles: Duo tibi probanda erant quæ convolvis. 1. Ex inſtitutione ſequi præceptum, id à centum annis exſpectatum eſt: Chriſtus inſtituit Matrimonium, Ordinem aliaque multa, ſequiturne? ergo omnibus præcepit: Crambe eſt. Alterum, Calicem eſſe partem eſſentialem in ſumptione Laicorum; aſſumis quod probandum erat, proinde nihil probas. In reſponſione

Digitized by Google

ad Embricenſes agnoſcis argumenta tua non ſtringere. Quid ergo? Conveniens, inquis ſaltem tibi videri ut detur ſub utraque. Reſp. Id tibi ex falſa perſuaſione videtur, non verò Eccleſiæ, cujus judicium infallibile; tuum fallibile. Quanquam ſi nulla incommoda interveniſſent, & urgentes cauſæ, Eccleſia nihil præſcripſiſſet de quibus infra & jam tot Theologi ipſaque Concilia manifeſtas rationes dedêre, nihil hîc temerè, nihil inconſultò factum, aut contra Chriſti legem aut ordinem.

Sed inquis, Conſecratio Sacerdoti ſub utraque eſt præcepta; ergo etiam adminiſtratio Laicis facienda ſub utraque præcepta eſt, cùm Chriſtus nihil magis pro unâ quàm pro alterâ exprimat. Quoties reſponſum à Catholicis? conſequentiam nullam eſſe, utcunque ſe habeat Antecedens, ſitne conſecratio divini an Eccleſiaſtici præcepti? Nam alia eſt ratio ſacrificii, quæ expreſſam repræſentationem poſcit, prout in cruce utriuſque ſeparatio ſanguinis à corpore facta eſt, & in eâ oblatio & ſacrificium peractum: Hinc ad illa per ſe utraque ſpecies requiritur. Alia eſt ratio Sacramenti, quod illam expreſſam repræſentationem in diverſis ſpeciebus non exigit: lege præter alios Suarez diſp. 8. art. 12. imò Bell. in conſecratione & oblatione ſacrificii eſſe repræſentationem, in ſumptione Laicorum ſolùm memoriam paſſionis, quæ teſte Vaſquez diſp. 213 ut ſit expreſſa, non cadit ſub præceptum, cùm multi ſimplices eam ignorent, ob quam tamen ignorantiam nemo damnatur. Verùm queritur Prædicans nihil à Chriſto expreſſum hac ſuper re. Quid nunc videtur D. Prædicanti? Numquid Chriſtus his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, aut aliis quibus voles, præcepit 1. Euchariſtiam conſecrari, diſtribui, adeoque offerri. 2. Sumi: Expreſſitne Chriſtus primùm â Sacerdotibus tantùm debere fieri, & ſecundùm à Laicis? Licebitne

igitur

igitur Laicis etiam conſecrare & diſtribuere, & involare in Prædicantis officium? Quid ergo dicemus ſi quis Laicus nos hoc argumento conveniat: illud ſupereſt dicere cum Theologis: Etſi Chriſtus præceptum ad omnes fideles direxerit, non tamen eodem modo ad omnes, ſed juxta ſtatum cujuſque & modum ſingulorum, videlicet ut Sacerdotes conſecrent, diſtribuant & offerant, & ipſi ſumant ſub utraque ut Sacerdotes. Laici verò ſumant tantùm, idque vel ſub utraque vel ſub una ſpecie, prout Eccleſia, cui Sacramentorum adminiſtrationem commiſit, judicaverit.

Antecedens quod attinet, requiraturne ad eſſentiam Sacrificii conſecratio utriuſque ſpeciei, affirmant Vaſquez, Bellarm. Koning, Lugo. Alii eſſentiam Sacrificii in una ſpecie ſalvari poſſe volunt: ex antiquis Anton., Gab. Adrianus, quos ſecuti Gaſp. Caſalius lib. 2. de ſacrif. c. 25. Henriquez, Salmeron, Azor, Becanus, & qui Luc. 22. veram panis conſecrationem admittunt, etiam in una ſpecie admittunt conſecrationem. Quorum quàm multi? interim jure divino teneantur ſub utraque Sacerdotes conſecrare, ut Tridentinum ſeſſ. 22. c. 1. inſinuat. Deinde, an detur præceptum ſuſcipiendi communionem, non pauci negant cum Alex. Bon. Gab. Ferr. adeoque S. Thom. 4. diſt. 6. quæſt. unicâ: Alii communius affirmant, ut Vaſquez, Suarez, Koning & plures apud eoſdem; ſed antequam hæc adyta ingrediamur, quibus præſtruere nolumus; tu ad propoſitam primùm quæſtionem Laico textori reſponde, videbiſque omne tuum dubium in tuis verbis diffluere.

II. *Argumentum Prædicantis.*

1 Cor. 11. *Hoc facite in meam commemorationem:* ex his ita procedit, Hæc verba non tantùm Miniſtros

ſtros comprehendunt, ſed etiam fideles ſumentes, nam Chriſtus geſſit perſonam Miniſtri diſpenſantis, Apoſtoli perſonam accipientis: Hoc denuo tritum illud eſt & diſcors apud vos: alii præceptum utriuſque ſpeciei ex Joan. 6. urgent ut Huſſitæ; alii ex verbis *Bibite ex hoc omnes*, ut Calviniſtæ: alii ex verbis: *hoc facite*, ut Lutherani: Prædicans deſertis ſuis, ad Lutheranos tranſit, ſed perinde illi, modo Catholicos lædat, fruſtra agis; Nam verba hæc, *Hoc facite*, ſolùm Luc. c. 22. & Paulus 1 Cor. 11. poſuit, uterque verò poſt ſumptionem panis non calicis, proinde verba unam ſpeciem magis commendant quàm utramque.

Verùm inquis, S. Paulus hæc verba repetit poſt Calicem, ita eſt ſed cum moderatione: *Hoc facite quotieſcunque bibetis*: repetuntur inquam verba, non abſolutè ut de pane, ſed cum conditione, *quotieſcunque bibetis*, Quod ſingulari Dei providentiâ factum cenſet Bell. ut videlicet omnes intelligerent non ipſum actum bibendi abſolutè præcipi, ſed relationem duntaxat, ordinationemque iſtius actus, ad certum finem, commemorandi videlicet mortem & Chriſti paſſionem. Atque hæc illa eſt Cajetani ſententia, Bellarm. Valentiæ, Becani, quam etiam Vaſquez non improbat: Vis nunc probem tibi, quam rectè Cajetanus ſcripſerit, adverte his. Si enim per verba illa: *Hoc facite quotieſcunque bibetis*: non ſolùm modus bibendi, ſed ipſa etiam actio præcipiatur, erit hic ſenſus: Hoc facite quotieſcunque facietis, ſeu bibite ex calice quotieſcunque bibetis; id verò quàm abſurdum ſit, quis tiro non videt? Quis prudens ita imperat: Hoc facite cùm facietis, poteſtne tùm cùm aliquid fit non fieri, ut præcepto inſuper ſit opus, ut quando fit ipſum fiat, ſecus eſt de abſolutis verbis apud Lucam & Paulum.

Ad probationem reſpondeo, Chriſtum repræ-

ſentaſſe

Digitized by Google

ſentaſſe perſonam Miniſtri: Apoſtolos verò perſonam ſumentium, ergo, illud facite, comprehendit fideles omnes. Hîc rurſum Cabeljavius ad caſtra Lutheranorum tranſit; teſte enim Becano Calviniſtæ docent verba *hoc facite* ad ſolos Apoſtolos: Lutherani verò ad fideles ſpectare: Reſpondeamus ergo Cabeljavio Lutherano: Chriſtum aliquando alloqui Apoſtolos ſecundùm propriam perſonam, ut Luc. 12. *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus*: aliquando ut Epiſcopos & Sacerdotes repræſentabant, ut Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata &c.* Aliquando ut repræſentant fideles omnes: ut Matth. 13. *Quod vobis, omnibus dico*: Jam verò quantùm ad præſentem quæſtionem verbornm: Non omnia hîc Apoſtolis, dixit, ut fideles repræſentarunt, id clarum eſt ex ſupra dictis; juſſit enim conſecrare & diſtribuere, quod ad fideles non ſpectàt: itaque triplici modo dici poteſt Chriſtum Apoſtolos allocutum eſſe 1. Ut privatas perſonas, hi enim tùm ſoli in actu cœnæ erant præſentes: 2. Ut referentes perſonam Epiſcoporum & Sacerdotum in Sacerdotio ſucceſſorum, atque ita juſſit conſecrare & diſtribuere & offerre. 3. Ut fideles, ſed ſuo modo ut ſupra retuli, ut vel ſub utraque vel ſub una ſpecie acciperent, prout Eccleſia ſtatueret. Atque in hoc Cardo verſatur; & hîc tu deficis, ubi probationem contra nos inchoare debebas. Proinde cùm ex verbis hiſce apud Lucam c. 22. & ex verbis Joan. 6. ſufficienter præceptum Chriſti deducatur, ut Tridentinum non obſcurè: Illud equidem, quoad ſubſtantiam intelligunt omnes, non quoad modum, quem Eccleſiæ reliquit: Tandem adhæc aliquid ſolidi ne illam plebis ſpumam nobis recoquas.

Argumentum III.

Id ex praxi Apoſtolorum vult deduci, & 1 Cor. 11.

Digitized by Google

11. *Probet autem ſemetipſum homo, & ſic de pane edat, & de calice bibat*: Hîc, inquit, utraque ſpecies data eſt Corinthiis: confirmat, quia Paulus ait ſe ita dediſſe, utî acceperat: *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis.* Reſp. Si praxin Apoſtolorum ſequi velis, tum vel maximè una ſpecies commendatur: Nam in actis Apoſt. c. 2. & c. 20. bis ſub una ſpecie datam legis Euchariſtiam, nunquam ſub utraque; citatis verò locis de Euchariſtia agi fatetur ipſe Lutherus, Kemnitius, Calvinus, Beza: His adde praxin Chriſti apud Luc. c. 24. cum diſcipulis in Emaus ſub una ſpecie, de qua Maldon. Valent. Henriq. Vaſq. Tolet. Salmeron, Guilielmus Biblioth. Gilbertus Abbas, aliique; tum SS. Patres ab his producti. Ad Pauli locum inter cætera reſpondet Corn. à Lapide, qui conjunctivè dixit, de pane edat & de calice bibat; etiam dixit disjunctivè: *Quicunque manducaverit panem hunc vel biberit calicem indignè.* Deinde quis negat in prima Eccleſia non etiam fuiſſe ſub utraque datam Euchariſtiam, ſed de præcepto utriuſque ſpeciei eſt quæſtio, ut non una etiam ſpecies æquè libera fuerit. Hîc rurſum hæres, ubi probare debebas. Ad confirmationem facilis reſponſio eſt, videlicet Paulum non aliter tradidiſſe quàm acceperat; atqui non accepit cum præcepto, ergo nec tradidit cum præcepto: Hîc jam denuo probatio à te exigitur, quam nunquam ex Scriptura extundes, deſudarunt in hoc longè alia ingenia Theologorum, ut parùm nos illæ plebis toties repetitæ voces moveant: magnoperè hæc differunt inſtitutio, Traditio, præceptum. Utinam ad illa verba *Probet ſemetipſum homo* expenderes quam probationem & quod examen SS. PP. exigant. S. Leo Epiſt. 9. Cypr. ſerm. de lapſ. Chryſ. Amb. & longè aliam pœnitentiam invenires, quàm vos Prædicantes per ſolam fidem & fiduciam mundo obtruſiſtis: imò illa

illa probatio, quæ in ſola fide vobis conſiſtit, prorſus ſupervacanea eſt, cùm de ipſâ fide & certitudine ſalutis per ſpecialem fidem vobis revelatum ſit; tùm ſi expenderes verba illa, *reus erit corporis & ſanguinis Domini*, itemque *judicium ſibi manducat & bibit*, quo modo ex ſolâ figurâ veſtrâ indignè ſumptâ tale ſacrilegium, aut tale ſacrilegii judicium pronuntiari poſſit: Longè aliter Amb. c. 10. ad Heb. *Hoc peccato conculcatur corpus Domini*: Cyp. *Hoc peccato infertur vis corpori Chriſti*, ita Baſil. cæterique Patres qui ex his verbis & judiciis præſentiam corporis Chriſti deducunt. Hîc cæcus ubi Argum ipſa conſcientia poſcit.

IV. Argumentum.

Ex praxi primitivæ Eccleſiæ ex quâ utramque ſolùm ſpeciem uſque ad tempora Conc. Conſtantienſis datam eſſe aſſerit, unam verò ſpeciem primùm à Conſtantienſi introductam eſſe. Quantus es in nundinatione mendaciorum? ad fraudes fictus & factus videris, res orbi nota, tam utraque ſpecies in uſu fuit, quàm una, & tam una, quàm utraque, quantùmque utraque ſpecies antiquitatis habet, tantùm & una ſpecies. Citas Sotum, & Lindanum pro utraque. Quare non Patres, quos gratis admittimus. Quare non D. Thomam tot annis ante utrumque, q. 80. art. 21. is ita ſcribit: *Quia crevit multitudo populi, in qua continentur ſenes & juvenes & parvuli, quorum quidam non ſunt tantæ diſcretionis, ut cautelam debitam circa uſum hujus Sacramenti adhibeant; ideò providè in quibuſdam Eccleſiis obſervatur, ut populo ſanguis ſumendus non detur, ſed ſolùm à Sacerdotibus ſumatur.* Cætera teſtimonia leges infra. Quocirca Vaſquez diſp. 216. c. 1. *Nulla controverſia eſt, an Laicis unquam uſus calicis fuerit, ſed utrum illis ita neceſſarius ſit ut Eccleſia illos eo privare*

De inſtit. Sacerdot. lect. 10.

Digitized by Google

vare non potuerit an non? ita & Suarez diſput. 71. ſect. 1. & qui non? Citas magnos Theologos Vaſquez, Suarez, Bell. Valent. cæteroſque qui nihil aliud quàm hanc veritatem Catholicam propugnant. Quibus tamen tu major es, quando ex illorum ſcriptis id colligis, quod ipſi in ſe ipſis invenire non potuerunt, perinde ſi tanti viri ſui immemores frigidum, ſimul & calidum ſpiraverint.

Videamus quid ex illis feras. 1. Vaſquez producis ex Crocio refellentem Cajetanum videlicet in verbis Apoſtoli 1. Cor. 11. Non tantùm commemorationem præcipi, quod Cajetanus volebat, ſed ipſam etiam actionem; qui enim præcipit inquit Vaſquez, ut opere aliqua commemoratio fiat ex modo ipſo præcipiendi etiam actionem pręcipere ut fiat opus ipſum. Quis hoc non videat? Hæc Vaſquez qui aliam viam ingreſſus explicandi præceptum de communione ſub utraque ut ſtatim ponam, nec illud obſtat ſed illuſtrat noſtra, judice Auguſt. lib. 1. de Trinit. c. ult. *Non uno tantùm Scripturarum ſenſu, ſed quotquot reperiri poſſunt, uti debemus; tantò enim fortius convincuntur hæretici; quantò plures exitus patent ad eorum laqueos evitandos.* Quid ergo ſubjungit Vaſquez? Quomodo autem hinc non colligatur præceptum pro Laicis commemorandi paſſionem Chriſti ipſâ calicis ſumptione, videbimus infra. Ergo diſp. 216. c. 5. ita reſolvit. Videlicet præceptum illud toti Eccleſiæ datum eſſe, non tamen ut per ſingulos implendum ſit, quippe Sacerdotibus præceptum datum ſumendi ſub utraque, pro ſingulis non item; ſed his ſatis eſſe illud, *Qui manducat hunc panem* Joan. 6. Talia præcepta agnoviſſe Auguſt. lib. 3. de doct. Chriſt. c. 17. & verò tale illud eſt Gen. 10. Creſcite & multiplicamini: Quamvis alteram ſententiam explicationemque adductam, ut ingenioſam & acutam dilaudet

Diſp. 213.

laudet

laudet & probet; qui verba: *Hoc facite*, poſt Calicem poſita alio modo accipi docent, quam poſt corpus poſita: Ea Bellarm. ſententia eſt, Becani, Valentiæ, qui Cajetani partes ſuſcepit, aliorumque multorum. Eſtne Vaſquez modo Lutheranus aut Calviniſta? lege cætera illa ſolida cauſæ Catholicæ firmamenta. Quæ tu ex Crocio producis, jam ante in Calixto legimus.

Poſt Vaſquez ſiſtitur Suarez diſp. 69. ſect. 1. & diſp. 71. ſect. 1. docere hunc pronomen *Hoc facite*, 1 Cor. 11. non tantùm deſignare factum Chriſti, ſed etiam Apoſtolorum ſumentium: ſed quid reſpondet diſp. 71. ſect. 1. Nempe hoc præceptum declarari ex Luc. c. 22 qui non circa ſingulas ſpecies illa verba repetit: Non eſt ergo, inquit, ille ſenſus, ut ſemper ſumatur & detur utraque ſpecies, ſed ut ſumatur & diſtribuatur hoc Sacramentum conveniente modo. Quando non omnia etiam præcepta ſunt, quæ illâ nocte ſunt peracta, eo modo, & cum iiſdem circumſtantiis; Chriſtum verò dediſſe eâ nocte ſub utraque ſpecie, tùm quia erat initium inſtitutionis, & pauci erant communicantes, ut periculum irreverentiæ abeſſet. Tùm quia illos ordinavit Sacerdotes, & voluit eos totum ſumere quod poſtea ſumpturi erant: Tùm quia in ſignum ſpecialis benevolentiæ abiturus in mortem dedit, ut ſanguinis poculo eos recrearet; Has autem congruentias non ſemper concurrere, nec proinde oportere ex ſingulari hoc facto ad aliam omnem Sacramenti diſpenſationem exemplum & argumentum ſumere. Poteratne clarius tùm ad communem Catholicorum doctrinam, tùm ad ſententiam Bell. Bec. Valent. aliorumque loqui: quomodo ergo colliſit ſe. Omnes ergo in hoc concurrunt, Chriſtum dediſſe præceptum Euchariſtiæ, quoad ſubſtantiam: modum verò, ſub unânè, an ſub utraque reliquiſſe Eccleſiæ?

Ita

Digitized by Google

Ita & Vaſquez diſp. 216. n. 40. in iis quæ jure divino circa uſum Sacramentorum nobis præſcripta non ſunt, nihil obeſſe, quo minùs Eccleſia liberè leges & præcepta ferre queat, & hanc manifeſtam rationem eſſe pronuntiat; contra illa agere vos oportet, ſi quid ſolidè & Theologicè vultis proferre.

V. Argumentum.

Tam Laici, inquit, habent partem in calice ratione ſymboli, quàm Sacerdotes, Euchariſtia verò eſt commemoratio paſſionis Chriſti, quæ in una ſpecie fieri non poteſt. Reſp. Sacramentum debet eſſe ſignum inviſibilis gratiæ, & ſignum ſpiritualis refectionis, ea verò refectio ſatis in una ſpecie panis ſignificatur, ut Cyp. docet ſerm. de Cœna: Hinc ſcriptura hanc refectionem modò ſub panis ſimilitudine indicat, modò potus, modò cibi & potus: Eccleſ. 15. Joan. 4. 1 Cor. 11. Joan. 6. Nec impedit quòd utraque ſpecies clarius ſignificet, quàm una; nam & trina merſio Baptiſmi perfectiùs SS. Trinitatem ſignificat, quàm una, nec tamen ideò una merſio deficit ad Sacramenti ſubſtantiam: Par ratio eſt de commemoratione paſſionis Chriſti, cùm totus Chriſtus tam ſub una quàm ſub utraque ſit præſens. Quantò conſultiùs, ſi ex tuis principiis ſic argumentarêre contra te, quod fidem excitat (in quo tota gratia collocatur à Cabeljavio & Calviniſtis) eſt ſufficiens ſignum, atqui ſòla ſpecies panis fidem excitat; ergo; imò ex veſtris principiis nullum Sacramentum quoad hæc requiritur, cùm tota hæc gratia fidei per ſcripturam commodiùs excitari poſſit. Quippe quæ permanens eſt ſignum, ſumptio verò Euchariſtiæ tranſiens: ita cenſuêre Becan. Bell. Valentia & alii eruditi viri. Sunt lamiæ, quæ domi nihil vident, foris omnia.

VI. Ar-

Digitized by Google

VI. Argumentum.

Si in una ſpecie detur Euchariſtia, non erit integrum Sacramentum, probat ex eo, quòd ſapientiſſimi Catholicorum doceant, ſanguinem Chriſti prodeſſe non poſſe niſi ſacramentaliter in ſpecie vini ſumatur: Citat verò duos ad id Lombardum 4. diſtinct. 11. & Innocentium III. lib. de Miſſa c. 21. Non te pudet illius & calumniæ & mendacii? Quis Catholicorum docet ſanguinem Chriſti non prodeſſe extra ſpecies vini ſumptas? quomodo ergo baptizati pueri ſalvantur ante ſumptionem Euchariſtiæ. Igitur docent Catholici ſanguinem Chriſti prout in paſſione effuſus eſt, eſſe univerſale pretium noſtræ redemptionis, quod per alias cauſas, imò per omnia Sacramenta nobis applicatur cumprimis per Baptiſmum & Pœnitentiam, *Qui lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Apoc. 1. Imò contrà Lutherum & Calvinum docent Catholici Euchariſtiam per ſe non eſſe inſtitutam ad remittenda peccata. Ita Trid. ſeſſ. 13. c. 2. Et tamen omnis peccatorum remiſſio fit in ſanguine Chriſti, uti Vaſquez te docebit diſp. 205. c. 1. & 2. Si qui verò dixerint ſanguinem non prodeſſe niſi ſacramentaliter ſumatur, dixerunt contra eos, qui ſpirituali ſumptioni hanc vim tribuĕre quam ſacramentalis habet ex opere operato, quæ hæreſis eſt a Tridentino damnata ſeſſ. 13. can. 9. in eoque veſtra damnatur, qui negatâ reali præſentiâ per fidem ſpiritualiter manducatis, quæ ſanè manducatio nihil prodeſt, cùm hæretica ſit.

In Lombardo & Innocentio nihil ſimile, quod tu tibi fingis; Agit enim Magiſter ſententiarum eo loco fusè de conſecratione Sacerdotum ſub utraque ſpecie, & quærit cauſam cur? cùm totus Chriſtus ſit præſens in una ſpecie, ſub utraque tamen conſecratio & oblatio fiat; *Quia caro*, inquit, *pro ſalute corporis, ſanguis verò pro animâ offertur.* Eodem modo

do D. Thomas q. 80. ad Sacerdotem pertinere utramque ſpeciem conſecrare & perficere & ſumere, ex parte non conſecrantium & ſumentium id non requiri, cauſam dat in reſponſione ad ſecundum: *Quod perfectio hujus Sacramenti non ſit in uſu fidelium poſita, ſed in conſecratione; ideò nihil derogari perfectioni hujus Sacramenti, ſi populus ſumat corpus ſine ſanguine, dummodo Sacerdos utrumque ſumat:* Eadem Innocentii III. doctrina, ut titulus indicat citati à te capitis, cur Euchariſtia ſub duplici ſpecie conſecretur, & ſimili modo reſpondet, ut Innocentius ex Lombardo ſua exſcripſiſſe videri poſſit. Si Innocentii cap. 7. legiſſes, inveniſſes alterum Ambroſium de reali præſentia diſſerentem, ſi cap. 19. ejuſdem libri inveniſſes tranſubſtantiationem. Tandem Magiſter ſentent. Lomb. ex quo hæc doctrina: *Sub utraque ſpecie*, inquit, *totus ſumitur Chriſtus, nec plus ſub utraque, nec minus ſub alterâ tantùm ſumitur. Eadem enim eſt ratio, ut ait Hilar. in corpore Chriſti, quæ in Manna præceſſit, de quo dicitur, Qui plus collegerat, non habebat ampliùs, nec qui minùs paraverat, habebat minùs.* Ubi nunc legitur tuum mendacium, ſanguinem non prodeſſe populo, niſi ſub ſpecie vini ſumatur, cùm in una ſpecie tantùm ſit ejus teſtimonio, quantùm ſub utraque.

Lombardus obiit anno 1168. Innocent. creatur Pontifex an. 1198.

VII. Argumentum.

Chriſtus inſtituendo Sacramentum, ſimul Teſtamentum condidit, & in eo omnibus legavit panem & vinum ſuum. Ergo *altera ſpecies non debet ſubtrahi:* Poteſtne major hujus Teſtamenti falſarius eſſe, quàm hic Prædicans? qui pro corpore panem, pro ſanguine vinum ſubſtituit; quomodo legis tabulas Teſtamenti Luc. 22. & 1 Cor. 11: Hic calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine: Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti. Præclarum ergò

Matth. 26. Marc. 14.

Teſta-

Teſtamentum in nudo pane & vino. Longè minus quàm in Manna & Agno Paſchali: & hæc egena adhuc erant & vacua elementa, quid erit fruſtum panis, & ſorbillum vini in Calvini Teſtamento? Potuitne egenis & vacuis illis elementis à Chriſto minus dari? Ergo ſi actio violati Teſtamenti inſtituenda; rei ſunt Sacramentarii, *In quo judicas alterum, teipſum condemnas.*

Si qua tamen querelæ ſpecies, ea Lutheranis manet: quibus jam toties reſponſum ex illorum præſcriptis, totam hæreditatem eſſe corpus & ſanguinem, quæ tam integrè datur in una ſpecie quàm in utraque, ut pueris Catholicis notum. Parum ſpecies faciunt, niſi quòd quis idem Teſtamentum ſub duplici tabula accipiat, quod alius ſub una tabula accipit. Igitur quid ad huncSyllogiſmum reſpondes?

Qui ſic inſtituit Euchariſtiam ſub duplici ſpecie, ut tota ejus ratio ſit etiam ſub una ſpecie, is Euchariſtiam non ſub duplici tantùm ſpecie inſtituit, ſed ſub una etiam; atqui Chriſtus ita inſtituit Euchariſtiam, Ergo.

Major ex ſe nota eſt, veluti ſi quis hæres duplici codicillo inſtituatur, quorum uterque eandem Teſtatoris voluntatem & hæreditatem etiam ſeorſim contineat, hunc utique dixeris non duplici ſolùm codicillo, ſed etiam unico perfectè & integrè conſtitutum hæredem: Minor ſimiliter evidens eſt ex dictis ſuperioris controverſiæ; Nam ſive Euchariſtiam ſpectes ſecundùm rem ipſam, Chriſtus eſt tam in una ſpecie totus, quàm in utraque; ſi in ratione ſigni ſenſibilis, ea quoque in una ſpecie integra eſt.

Quanquam ſi Vaſquez Maldonat. & Becanum conſulas, hæreditas propriè non tam eſt caro Chriſti & ſanguis, ut Lutherani obtendunt, multò minus panis & vinum, ut abſurdiſſimè omnium Calviniſtæ; ſed eſt ipſa vita æterna, Rom. 8. ad Titum 3. Jac. 2. Perinde uti Manna, figura hujus ipſa hæredi-

Digitized by Google

tas non erat, ſed terra Chanaan, ſolùmque cibus & viaticum ad hanc hæreditatem erat: Accedit quòd hæredibus non ſoleat dari præceptum adeundæ hæreditatis, quod hîc intervenit.

Saltem inquiet ex utraque ſpecie major gratia majorque fructus datur quàm in una ſpecie, proinde cùm Sacramentum ſit ſignum gratiæ, deerit illa quoque integritas: Nota quæſtio & trita reſponſio. Alii majorem gratiam ex utraque affirmant, ut Vaſquez, Geliſonus, Præpoſitus, Gaſp. Hurt. Gammacæus, Lugo: Negant alii Dom. Soto, Ledeſma, Suarez, Coning, & multi ex antiquioribus Theologis: Verùm Suarez controverſiam aſſerit, quæ inter limites Scholaſticorum conſiſtat, & in utramque partem adhuc ventiletur, ut parum hinc ſubſidii Prædicans habeat: aut ſi quid gratiæ deficiat, id nec ex neceſſariis gratiæ ſubſidiis eſſe, & aliunde ſatis compenſari, quàm ut jactura, quàm utraque ſpecies invexit, ferenda fuerit, proindeque Bell. ex duobus hîc malis Eccleſiæ eligendum fuiſſe minus. Neque illi qui majorem gratiam utrique ſpeciei tribuunt, præceptum utriuſque ſpeciei ex hoc capite urgent.

VIII. Argumentum.

Perquàm illuſtre & ingenioſum ex Matth. 19. c. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet; atqui Deus conjunxit panem & vinum in Euchariſtia, ergo homo non debet ſeparare.* Miratur Prædicans, nihil ſibi ad hoc argumentum reſponderi ab Embricenſibus nec vim ejus capi: tota Theologia ad illud trepidat, imò pueri rident; nec enim iis jam licebit ceraſa & poma carpere, nec uvas à vite avellere. Quare? *Quod Deus conjunxit homo non ſeparet*, atqui Deus illa conjunxit ramis. Quid opus erat Embricenſibus reſpondere, jam Becanus reſponderat; Si quod

quod Deus conjunxit homo non ſeparet, jam nullus princeps , nullus magiſtratus reos ſupplicio punire poteſt ſeparando animam à corpore. Quantus hoc argumento furum & reorum patronus es? Mitto hæc quæ non niſi plebejas nugas ſapiunt. Multo potiore jure à Calviniſtis, Lutheranis & Anabaptiſtis quæri poſſet quâ auctoritate & poteſtate doceant matrimonium eſſe ſolubile quoad vinculum: vide Bell. lib. de matrim. c. 15. & Calvinum lib. 4. c. 19. Hîc illud valet, *Quod Deus conjunxit homo non ſeparet*. Rurſum Lamiæ domum ingreſſæ ſunt.

IX. *Argumentum.*

Ex Jure Canon. de conſec diſt. 2. c. Comperimus, ubi hæc Gelaſii Pontificis verba à Gratiano referuntur: *quod quidam ſumptâ tantummodò corporis ſacri portione à calice ſacri cruoris abſtineant; quod proculdubio (quoniam neſcio quâ ſuperſtitione docentur obſtringi) aut Sacramenta integra percipiant, aut ab integris arceantur, quia diviſio unius & ejuſdem myſterii ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire.* Rurſum cum antiquis mercibus prodit Prædicans: in mille foris & libris hæc nauſea: Duplex Catholicorum reſponſio & rejectio: Selige quod placet: Alii Gelaſium volunt loqui de Sacerdotibus, quibus ſine ſacrilegio non licet in unica ſpecie celebrare: atque ita Gratianus ipſe reſpondet. Gerſon de com. Laic. S. Thom. q. 80. art. 12. Vaſq. diſp. 216. Bellarminus, aliique, & quid tum ad rem facit argumentum: Alii Gelaſium de Laicis loqui permittunt, ſed eos duntaxat reprehendere, qui vel errore vel ſuperſtitione à vino & calice abſtinebant; quales erant Manichæi & Priſcilianiſtæ: Hos & Leonem M. volunt juſſiſſe obſervare Serm. 4. de Quad. non qui modò ſub una, modò ſub utraque communicabant, ſed eos qui nunquam ſub utraque

communicabant. Error & ſuperſtitio in eo erat, tum quòd à vino abhorrerent Manichæi ut à felle draconum, tum quòd Chriſtum veram carnem & ſanguinem habuiſſe negarent, quo errore ſublato omnes ordinariè ſub unâ ſpecie communicabant; ut Bell. ex ordine Rom. oſtendit. Cætera lege in Becano concl. 11. Suarez diſp. 71. ſ. 1. Valentia de leg. uſu Euch. c. 9. obſ. 11. Baron. tom. 6. An. 496. Quid autem Gloſſa quam æſtimas? *Diviſio de ſpeciebus ipſis exterioribus intelligitur. Impoſſibile eſt enim corpus Chriſti ſine ſanguine ſumi & vice verſâ.* Quare ex ipſis Gelaſii & Gloſſæ verbis non diſcis corpus & ſanguinem? Sumitis quod vultis & creditis quod vultis. Si quis Lutheranus inde procederet, qui veritatem corporis & ſanguinis admittit, utcunque ferendum. Sed ſacramentarium id, quod primarium eſt in Gelaſii teſtimonio ſeponere & umbras ſectari, aut nugacis, aut fallacis eſt mercatoris.

Alterum quem Gelaſio jungit. Julius Pontifex eſt c. cum omne diſt. 2. de conſec. ſed quot fraudes hic Prædicans obtrudit: recita integrè, verba Julii ſunt hæc: *Illud verò, quod pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis, nec hoc probatum ex Euangelio teſtimonium recipit, ubi Apoſtolus corpus ſuum & ſanguinem commendavit; ſeorſim enim panis & ſeorſim calicis commendatio memoratur.* Quid igitur Pontifex hoc decreto? Sacerdotes in ſacrificio errantes corrigit, qui aut lac pro vino offerebant, aut intinctam populo Euchariſtiam porrigebant, aut integrum botrum offerebant, aut ſolam aquam in calice offerebant; Hæc Julii verba repetit Petrus Damian. Epiſt. 64. reprehenditque Monaſterium, in quo intincta in ſanguine Chriſti buccella dari cœpta eſt. Sed fuerit tum communio ſub utraque in uſu? Quis id negat? rurſum à ſcopo cœcus aberras. Præceptum Chriſti petitur.

Digitized by Google

titur. At quare omittis illa verba Julii? *ubi Apoſtolus corpus ſuum & ſanguinem commendavit.* Quare cùm totum caput ſit de ſacrificio, nihil de ſacrificio memoras? Nunquid Pontifex ſic claudit decretum? *De cætero aliter faciens tam diu à ſacrificando ceſſabit:* Quot dolis & mendaciis hic Prædicans nundinatur, ubi mel ſugendum erat, cum araneâ venenum exſugit, & populo propinat.

X. *Argumentum.*

Nulla, inquit, *ratio dari poteſt ſubtracti calicis poſtremis temporibus, quæ non etiam in prima Eccleſia dari potuerit; ergo ſi tum calix ideo ſubtractus non fuit, nec modò ſubtrahi debet;* Enimverò tu ille tandem vir es, qui id perſpicaci ingenio & judicio videat, quod tot Epiſcopi, Theologi & Doctores non viderunt. Cauſas quas Eccleſia habuit, ſapientiſſimi totius orbis Theologi & Epiſcopi expenderunt in utroque Concilio Conſtantienſi & Tridentino. De quibus paſſim Theologi Bell. Vaſq. Suarez Valentia, Coturius, & ipſa Concilia & Eccleſia: tuum eſt audire quod Deut. 17. legis: *Facies, quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegit Deus:* quod & Tridentinum ſeſſ. 21. c. 2. reſpondit.

Verùm demus Prædicanti huic cauſas illas, quas poſterior Eccleſia adducit, etiam in prima Eccleſia locum aliquem habuiſſe, nec proinde tamen continuò altera ſpecies abroganda erat, ſed exſpectandum fuit, donec tandem ipſa experientia ſatis evidenter doceret mutationis utilitatem & neceſſitatem. Sapienter enim S. Aug. Epiſt. 118. *Conſuetudinis mutatio adjuvat quidem utilitate, novitate autem perturbat:* Exemplum manifeſtum eſt in pueris, quibus longo tempore & uſu Euchariſtia data fuit; tùm in communione privata, aliiſque quàm plurimis, quæ non ſtatim abrogata fuerunt; ſed poſt-

Digitized by Google

poſtquam eò ſe incommoda & mala accumularunt, ut Epiſcopis & Eccleſiæ viſum fuerit abroganda: Et quem locum aut finem haberent OEcumenica Concilia, ſi per decreta fidei & morum, ſi per canones & leges, Eccleſiæ incommodis mederi, & quæ in uſu modoque Sacramentorum, hominum & temporum vitio & malo interveniunt, ſanare non poſſet; eò referunt illud Auguſtini Epiſt. ad Jan. 118. *Non præcepit Chriſtus, quo deinceps ordine ſumeretur Euchariſtia, ut Apoſtolis per quos Eccleſiæ depoſiturus erat, ſervaret hunc locum.* Eò illud Pauli,
Cor. 11. *Cætera cùm venero diſponam.* Quapropter Innocentius III. in cap. non deb. *Non debet reprehenſibile judicari, ſi ſecundùm varietatem temporum ſtatuta quandoque mutentur humana, præſertim cùm urgens neceſſitas, aut evidens utilitas expoſcit, quoniam ipſe Deus ex his quæ in veteri Teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutavit in novo.*

Quòd verò Prædicantes ex ſeptem Sacramentis ſibi unum tantummodò in ſubſtantia integrum relinquant Baptiſmum ſcilicet, quòd legem, quòd Sacerdotium & Sacrificium ſuſtulerint, quòd Eccleſiæ præcepta, & totius Eccleſiæ ordinem & Hierarchiam interturbaverint: hoc aut nihil eſt, aut
Matth. 23. v. 24. ludicrum eſt. *Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes.*

Cauſæ legis latæ pro unâ ſpecie.

Cauſæ, quæ Eccleſiam moverunt, cùm graves & juſtæ ſint, tum multiplices & neceſſariæ, quæ ſapientiſſimorum hominum judicio, diu multumque expenſæ ſunt, antequam Eccleſia legem ſcriberet.

I. Uniformitas & concordia populi Chriſtiani, de quâ Con. Conſtant. Bell. & omnes ferè Theologi. Huc accedit, quòd Chriſtus totus non minùs

ſub

ſub unâ ſpecie detur quàm ſub utraque, & omnis fructus ad ſalutem neceſſarius ſub unâ ſpecie abundè percipi poſſit; de quâ cauſâ Becan. Bell. Vaſq. Suarez, Valent. & qui non Theologi? Et quid Eccleſiæ poſtquam una ſpecies præcepta, aut antè in tot Provinciis, ubi ante legem recepta erat, unquam viſum eſt deficere in juſtorum ſubſidiis, & juſtorum numero, ſanctitate & concordiâ; è diverſò ſi hæreticos aſpicias, qui utramque ſpeciem contra Eccleſiæ legem vi perruperunt, quis obſecro fructus ex obtenta illa utraque ſpecie, in qua ſe quæſiviſſe & inveniſſe majorem juſtitiam & pietatem & caritatem gloriantur? Quis inquam fructus à Bohæmis uſque ad noſtra tempora, niſi bella, hæreſes, diſcordiæ & omnium ſcelerum & vitiorum libertas? viſane idcirco unquam apud Lutheranos major & tenerior pietas, caritas & caſtitas in utraque ſpecie, imò hoc experientia à ducentis annis dedit, non ſolùm ab Eccleſia Catholica ſchiſma factum, ſed inter ipſos Huſſitas, Lutheranos, Sacramentarios, Anabaptiſtas tot ſectas & diſcordias religionis & odia nata eſſe, quot nulla unquam ætas vidit. Quomodo autem fieri potuit, ſi veritas illa ſolùm apud hæreticos ſit, & hoc Sacramentum ſit unionis & caritatis Sacramentnm, ut ex Scriptura omnes oſtendunt, quomodo autem, inquam, fieri potuit ex vinculo illo religionis & Sacramento concordiæ tot ſubitò naſci diſcordias, ſectas & hæreſes.

II. Cauſſa, hæreſes: tum ut obortæ contrà hanc veritatem extirparentur; de quo Turrianus lib. 4. Conſt. Apoſt. c. 13. Vaſq. Bell. Becan. Suarez diſp. 71. ſect. 3. Tum ut errores & ſcandala vitarentur, qui unam ſpeciem damnarunt, tum ut occaſio erroris tolleretur, ne ſimplices ſibi perſuaderent ſub una ſpecie non contineri totum Chriſtum. De quo Valent. & alii cumprimis Alenſis, qui ſuo tempore aliquos

aliquos hoc errore abductos memorat: tum vel maximè ut Eccleſia frangeret & refutaret Huſſitarum hæreſin, quæ utramque ſpeciem jure divino voluit neceſſariam eſſe, & in eo Catholicos damnabat, quod à nulla adhuc hæreſi factum erat: proinde neque hæc cauſa fuit ſub initium Eccleſiæ.

III. Cauſa, irreverentia & profanatio hujus Sacramenti, quæ cum multitudine fidelium crevit, ut ſuprà ex teſtimonio D. Thom. audiviſti, tum etiam difficulter evitari poterat in tantâ multitudine, ne quid ex calice efflueret, & tamen quantâ religione SS. Patres Euchariſtiam tractari docuerint, ne vel particula vel guttula efflueret: retuli ſupra in Controv. 5. c. 6.

IV. Cauſa, conſuetudo conſenſu gentium & populorum & Epiſcoporum jam ante Conſtant. Concil. introducta, quæ uti maximè nata, ita fundata erat in tertia cauſa aſſignata, ut cum ſummâ reverentiâ & religione Euchariſtia ſumeretur, cui conſulere ex præcepto Chriſti Eccleſiæ injunctum eſt; atque his conſideratis ſapienter D. Thomas longè ante Conc. Conſtantienſe pronuntiat. *Tametſi communio ſub utraque in ſe ſit perfectior, ſi tamen ex parte ſumentium conſideretur, eam ſub una ſpecie magis convenientem eſſe ob ſummam religionem & reverentiam, quam exigit*, videlicet ex jure divino, naturali & Eccleſiaſtico. Cajetanus adeò in eandem q. 80. d. art. 12. ſcribit & judicat communionem ſub alterâ ſpecie abſolutè & ſimpliciter populo eſſe utiliorem & magis conſentaneam divinæ voluntati & inſtitutioni, quæ eò demum ſpectant, ut Sacramentum cum ſummâ religione & reverentiâ tractetur; Quam religionem & reverentiam, & legem ſimul Chriſti, cùm Eccleſia videret ita profanari in calice & ſanguinis effuſione, quæ moraliter in tantâ multitudine, & frequentia evitari non poterat. 1. Per conſuetudinem paſſim, & piè & juſtè legem

de

de unâ ſpecie introduxit, poſtremùm in Conciliis ſancivit, cùm ex alterâ parte nullam legem pro utraque videret, eundemque totum Chriſtum cum omni fructu ad ſalutem neceſſario & ſufficiente gratiâ in unâ ſpecie agnoſceret. Atq; hæ ſi tibi cauſæ non ſufficiant, ut omittam abſtemios & inopiam vini in multis provinciis; Næ tu ſolus plus ſapis quàm omnes Epiſcopi & Doctores totius orbis, & tuum judicium trium Conciliorum judicio præferendum erit; ſed meminiſſe te oportet ab Apoſtolo tradi quoſdam, qui *ſubverſi ſunt & proprio judicio condemnati.*

Ut igitur videat hic Prædicans non omnes cauſas in principio Eccleſiæ fuiſſe, quæ poſtea obortæ ſunt ad hanc legem juſtè ferendam, oſtendam vel in unica conſuetudine unius ſpeciei latiſſimè per Eccleſiam introducta, ex qua cauſa potiſſimùm lex data eſt. Nam cùm conſuetudinem unius ſpeciei in prima Eccleſia Prædicans non admittat, eam tamen in poſteriore Eccleſia admittere debeat, manifeſtè falſum ſcripſerit neceſſe eſt, imò legem per conſuetudinem jam antè latam fuiſſe, antequam Eccleſia legem ſanciret.

I. Ergò tria Concilia hanc conſuetudinem unius ſpeciei probant, ad quam & ſe referunt in ferenda lege. Conſtantienſ. ſeſſ. 13. Baſil. ſeſſ. 30. Trid. ſeſſ. 21. c. 2. cujus hæc ſunt verba. *Licet ab initio Chriſtianæ religionis non infrequens utriuſque ſpeciei uſus fuerit, tamen progreſſu temporis latiſſimè jam mutatâ illâ conſuetudine gravibus & juſtis de cauſis hanc conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit.* Cui nunc credemus? Prædicanti an Concilii Patribus, qui conſuetudinem unius ſpeciei ante 200. annos pro ſe allegant, idem cæterorum Patrum in Baſileenſi & Conſtantienſi judicium eſt.

II. Eadem conſuetudo probatur ex P P. & Theo-

Theologis & Scriptoribus. Siquidem Beda ante octingentos annos, Angliæ celebris Scriptor unam ſpeciem in Anglia uſitatam non obſcurè memorat. Ex Anglia Apoſtolici viri S.Bonifacius,S.Willibrordus, S.S Wibertus, cæterique, de quibus Marcellinus, ex eodem numero, Twentiæ primus Euangelii præco in vita S.Swiberti. Horum Epiſcoporum & Sacerdotum calices hodiedum ſuperſunt,utî S.Willibrordi Embricæ pro ſacrificio Miſſæ, at pro populo & utrâque ſpecie nulli. Quo argumento Vaſquez, Valent. & alii utuntur, quos calices tamen in magnis Parochiis capaces eſſe oportuit, cùm conſecratio extra ſacrificium nec fiat, nec tùm facta ſit,maximè in Parochiis paſſim populoſis,ubi unum tantummodo ſacrum per Paſtorem celebratum eſt, aliud eſt in Lutheranis modò, qui ſub uno officio toties conſecrationem ſuam repetunt, quoties infundere neceſſe habent. Adeoque S. Bonifacius Moguntiâ poſtremùm in Friſiam deſcendens vaſcula & lagenas vini pro ſacrificio ſecum deportavit: Et quæ non vini inopia tum in illis Provinciis & Regnis quando etiam longè poſt Innocentius IV. cum Norwegis diſpenſavit pro unâ ſpecie in ſacrificio, ut teſte Volaterano alii cenſent: & quis in India S. Thomam, & in remotiſſimis terræ partibus Apoſtolicos viros tantam vini copiam reperiſſe credet? ut populo ſufficeret,cùm ne modò in multis Indiarum regnis vini ea ſæpè ſit copia. Idem de S. Ludgero reliquiſque primis Epiſcopis judicium eſto. Tempore Caroli Magni, Widekindus in Euchariſtiâ ſpeciem pueri videt, quo miraculo una ſpecies oſtenditur:Alexander Halenſis natione Anglus D. Thomæ & S. Bonaventuræ Magiſter quanto tempore ante Concil. Conſtantienſe in 4 p. ſum. q. 53. memb. 1. ſcribit: *Licet ſumere corpus Chriſti ſub ſpecie panis tantùm, ſicut ferè ubique fit à Laicis in Eccleſiâ, ac licèt ſub utraque*

ſpecie

ſpecie ſit majoris efficaciæ & complementi; Eccleſia tamen utitur alio modo propter cauſas pertractatas, quas ponit, tum ne ſimplices credant ſub unâ ſpecie non integrè contineri Chriſtum, tum ob periculum effuſionis. Refert idem Doctor, Religioſos aliquos utramque ſpeciem flagitaſſe; ſed miraculo monitos ut uni ſpeciei acquieſcerent: Idem S. Bonaventura exemplum repetit: at verò Bonaventura lib. diſt. 11. q. 2. duo in Euchariſtia dicit, *Efficaciam & ſignificationem*. Quoad efficaciam in unâ ſpecie integrum dari Sacramentum; Etſi quoad ſignificationem expreſſius ſit in utraque ſpecie; non tamen ideò Laicis dari nec dandum eſſe in utraque, tùm propter erroris, tùm propter effuſionis periculum. His accedat teſtimonium D. Thomæ q. 80. de eadem conſuetudine ſuprà relatum. Quis verò credat tantos doctores ignoraſſe conſuetudinem Eccleſiæ? in quâ vixêre & docuêre. Petrus Paludanus Burgundus ordinis S. Dominici & Patriarcha Hieroſolymitanus Anno Chriſti 1330. diſt. 2. q. 1. art. refert in quibuſdam tantùm Monaſteriis conſuetudinem ſub utraque fuiſſe: Prætermitto reliquos Doctores antè Concilium Conſtantienſe, quos longum eſſet recenſere.

Gabriel Biel Germanus Philoſophiæ & Theologiæ Profeſſor & Præſes Academiæ Tubingenſis eâ ætate facilè celeberrimus, & profundiſſimus Theologus diſtinct. 12. q. 2. quærit *an communicare ſub utraque Laicis ſit de neceſſitate ſalutis, tùm an liceat?* reſpondet ad primum, id inter cætera determinatum eſſe ab Eccleſiâ, non eſſe de neceſſitate ſalutis, & ſi quis adſtruat, hæreſin adſtruere: ad ſecundum reſpondet, multa licere quæ non expediunt 1 Cor. 6. maximè ſi occaſionem erroris, aut ſchiſmatis, aut alterius mali dent, ſic communicare ſub utraque de ſe non eſſe illicitum, quia olim in quibuſdam Eccleſiis erat conſuetum, & in quibuſdam Monaſteriis.

Gerſon

Digitized by Google

Gerſon Gallus ordinis Cæleſtinorum & Cancellarius Pariſienſis, vir inſignis doctrinæ & pietatis, & unus ex Patribus Conc. Conſt. de commun. ſub utraque: *Debet concedi potuiſſe fieri, & factum eſſe ſine peccato Laicos communicare ſub utraque, ſicut aliquando conſecratio fiebat in fermentato. Nunc verò dum certâ ratione inolevit oppoſita conſuetudo per Eccleſiam laudata & juſſa, quæ juſſio patet ex tali conſuetudine quæ eſt optima legum interpres. Sumptio talis temeraria eſt & præſumptuoſa, ſcandaloſa, ſeditioſa & Eccleſiaſticis ritibus turbativa:* Lege cætera uti cum Halenſi id ad Eccleſiæ auctoritatem referendum doceat in præclaro illo ſcripto de com. ſub utraque.

Bellarminus oſtendit in Romanâ Eccleſiâ communionem ſub unâ ſpecie pari conſuetudine uſitatam lib. 4. c. 24.

Cardinalis Hoſius in dialog. de utraque, teſtatur ex nullis hiſtoriis aut monumentis colligi poſſe unquam ſub utraque ſpecie datam eſſe Euchariſtiam in Poloniâ.

Henriquez lib. 7. c. 44. aſſerit in Hiſpania, quæ ferè in omnibus ſemper imitata eſt ordinem Romanæ Eccleſiæ non niſi brevi tempore permiſſum fuiſſe Laicis uſum calicis. Idem Vaſquez contendit, addit is nullibi in Hiſpaniâ tam capaces calices inter monumenta reperiri, qui id oſtendant; ſuperſedeo reliquis teſtimoniis, cum una Patrum auctoritas in tribus illis Conciliis extra omne dubium eam conſuetudinem collocet. Agnovit ipſa Auguſtana confeſſio, non poſſe oſtendi quando uſus unius ſpeciei primùm cœperit. Itaque nunc rurſum petitur à Prædicante, ut hujus erroris & hæreſis, quam Catholicis affingit, unius ſpeciei 1. auctorem indicet. 2. Tempus; nam ante Conſtantienſe jam ſatis oſtenſum eſt ubique conſuetudinem unius ſpeciei in uſu fuiſſe. 3. Locum & Provinciam, in

quâ

quâ hic error primùm cœperit. 4. Ut vel unum proferat ex omni antiquitate, qui antè Petrum Dreſdenſem & Jacobellum dogmaticè diſputarit & docuerit uſum unius ſpeciei in Laicis, hoc ipſo per ſe quòd non altera etiam ſpecies ſumatur, pugnare cum præcepto divino. Hîc ſuam ſapientiam explicet & communicet, quam tam magnificè plebi venditat. 5. An communio ſub unâ ſpecie ſit contra jus divinum naturale, quod à Suarez eruditè diſputatum; aut ſaltem non ſit contrà ſpeciale Chriſti mandatum, & quomodo tunc ſub unâ ſpecie pro ægris aſſervata & porrecta ſit. Quomodo communio Laica, quomodo communio ex præſanctificatis, quæ hodiedum obtinet uſum ſuum unquam ab Eccleſia permitti potuerit, cùm de his tàm luculenta teſtimonia ex omni antiquitate exſtent, ut Vaſquez oſtendit & omnes alii: demùm an omnes, qui in illa vulgatiſſima per orbem conſuetudine unius ſpeciei, communione ſub utrâque deſtituti fuerunt etiam neceſſario ſalutis medio deſtituti fuerint, & cum totâ Romanâ Eccleſiâ æternùm perierint, per errorem Epiſcoporum, Sacerdotum, Paſtorum & Doctorum tot ſæculis etiamnum delirantium, antequam Petrus Dreſdenſis & Jacobellus primam ſalutis viam rurſum invenerint. Hæc ſi Leidenſis Prædicans oſtendere poſſit, quis non ſpondeat Catholicos omnes cum Jeſuitis ad novum mundi oraculum confluxuros.

Poſtremùm Leidenſis Prædicans, cùm omnia pertentaſſet, perinde ſi fractam vim ſuorum argumentorum præſentiret, incipit criminari Concilium Conſtantienſe; fuiſſe illud Concil. Schiſmaticorum in tres factiones diſtractum, tum hominum conjuratorum contra veritatem, & perfidorum contra pactam Joanni Hus fidem, proinde ne fabâ æſtimandum: Quæſo paulò mitius, ita furioſæ fœminæ agere ſolent, quæ ubi ſe omnibus præſidiis

juſtæ

juſtæ defenſionis deſtitutas vident ad calumnias & omnes diras, execrationeſque confugere ſolent; non illa prudentem & gravem virum magnoperè movere ſolent; quæ de violata fide Cæſaris & Joannis Hus calumniaris, leges dilucidè à Becano refutata lib. 5. c. 15.

Quæ de Concilii ſchiſmate refers, non illa plus nobis obeſſe debent in Concilii auctoritate, quàm ſchiſma veſtrum inter Arminianos & Gomariſtas, ad quod ſopiendum Synodus illa convocata eſt, utî Conſtant. Concil. propter trium Pontificum ſchiſma tollendum, & pacem Eccleſiæ firmandam; Deinde ſtante hoc ſchiſmate veſtro, Synodus veſtra nationalis proceſſit ad deciſiones & condemnationem Arminianorum, cæterique Articuli definiti ſunt, quibus per ſchiſma nullam vim eliſam vultis: Hic tu Lamiarum oculos introducis denuò, aut certè feſtucam in alieno oculo vides, ut trabem in tuo non videas; Cæterùm Conſtantienſis Concilii is ex inſtituto fine feliciſſimus exitus fuit, ut Joanni XXIII. & Benedicto XIII. Pontificatus abrogatus ſit, quorum alter tamen acta contra ſe probavit, veſtimentiſque pontificalibus ſe exuens ſponte magis ceſſit: Martinus verò ut legitimus Pontifex electus ſit; cujus auctoritate idem Concilium poſtea confirmatum eſt. Hæreſeſque Joannis Wiclef & Joannis Hus damnatæ ſunt, utî inter cæteros docebit te Azorius tom. 2. lib. 5. c. 17.

Hæc univerſim argumenta ſunt, quibus Leidenſis Prædicans Catholicorum Theologos convenire & publicè provocare auſus, trita prorſus & obvia in Scholis & centum libris confutata, quibus tamen plebi magnum ſe Theologum in patriâ & plebejâ linguâ obtrudit, verùm niſi aliter excoquantur, nec digna quidem quæ ad eruditas aures & Theologorum congreſſus proferantur, & quocumque etiam modo per omnem ſubtilitatem ingenii verſet & ob-
verſet,

Digitized by Google

verſet, in nullo unquam ſolido fundamento collocabit, quia ſine principiis oberrat, niſi ad infallibile Conciliorum judicium & Eccleſiæ auctoritatem reducat, cujus eſt de ſolo ſenſu Scripturæ judicare, & cùm neque in fidei, neque in morum decretis errare poſſit, ejus quoque ſolius eſt fidelibus Sacramenta fideliſſimè diſpenſare.

CONTROVERSIA VII.

De Cultu beatiſſimæ Virginis Mariæ & SS.

VETUS odium inter Virginem & hæreticum, ex quo in Paradiſo fatales inimicitiæ inter ſerpentem & mulierem; quæ & in ſe, ut matre; & in ſemine ut Servatore, caput ſerpenti obtritura erat: inde ubi in Eccleſiâ ὁμούσιον cæpit oppugnari ab Ario, poſt etiam θεοτόκον à Neſtorio, ut pari ſemper odio & Filii Divinitas, & Matris Virginitas ſit tentata. Nulla exinde propemodum hæreſis, quæ in Filio ſe colliſit, quin eadem ſe, & in Matre colliſerit; eadem utriuſque odii cauſa, idem belli ſemen ex ſemine; & quàm multa in Virgine, quæ Hæretici oculos vulnerant: tota vita & nulla non virtus; Duæ cumprimis ex his, Humilitas & Virginitas, veluti offendiculum ex latere, & ſudes in oculis; *Joſue 23.* de alterâ candidè S. Auguſt. Omnes hæreſes una *Tom. 9. de* omnium mater Superbia genuit. Thema illud di- *Paſtor. c. 8.* lucidè pertractatum à Bellarmino in Præſ. & Lenſæo lib. de Perſ. c. 18. de altera Hieronymi judicium in Oſeam: *Difficile eſt hæreticum hominem invenire qui Caſtitatem diligat*, ut exemplis firmet ad

R Cte-

Cteſiphontem Catalogum pertexit. *Simon Magus hæreſin condidit Helenæ meretricis adjutus auxilio: Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor choros duxit fœmineos: Marcion Romam præmiſit mulierem; Montanus immundi Spiritus Prædicator, multas Ecleſias per Priſcam & Maximillam auro corrupit, deinde hæreſi polluit. Arius ut orbem deciperet, ſororem Principis antè decepit: Donatus Luciliæ opibus adjutus eſt, in Hiſpania Agape Elpidium, mulier cæca cæcum duxit; Nunc quoque Myſterium operatur iniquitatis, duplex ſexus utrumque ſupplantat;* de ſolo Photino ut Phœnice dictum, cum multa continentiæ bona, uno ſuperbiæ malo perdidiſſe: Nihil de Vigilantio, Helvidio, Joviniano & cæteris ad Lutherum percenſere operæ pretium. Quid noſtra ætas ex hoc myſterio iniquitatis experta, orbi pervulgatum: poſtquam vota laxata à Luthero, & Sacrilegæ primùm nuptiæ à Carolſtadio Sacramentariorum principe publico auſu ſunt perruptæ, quanta jactura & ruptura! Jovinianum ex Monacho Epicurum paucæ ſancti-Moniales ex clauſtris ſecutæ; attamen teſte S. Auguſt. hæreſis
Hæreſ. 82. illa ad Sacerdotis deceptionem non pervenit, tantò integrior ætas illa quàm noſtra, quæ cum Luthero integros greges traxit, quos inter Armiger, quem libelli & triumphi tui præconem adſciſcis, olim apud nos Monachus nunc Maritus apud vos, cum Moniali profugâ. Poſſes integram ex his turmam ex Hollandiâ evocare. His tu ſtipatus transfugis tibi acclamantibus & deſertoribus bellum indicis Eccleſiæ & Virgini: quid mirum ab his Virginitatis deſertoribus Virginem proſcindi? Scitum eſt D.
Epiſt. 137. ad Hipp. Clerum. Auguſtini judicium: *Simpliciter fateor Caritati veſtræ coram Deo noſtro, qui teſtis eſt ſuper animam meam, ex quo Deo ſervire cœpi. Quomodo difficile expertus ſum meliores quàm qui in Monaſteriis profecerunt, ita non ſum expertus pejores, quàm qui in Mo-*

Monaſteriis ceciderunt: Tam Monachi falſi, quàm & clerici falſi, & fideles falſi. De tribus iſtis generibus dictum eſt: Erunt duo in agro. Quàm diſpar ſenſus SS. Patrum & Epiſcoporum & Sacerdotum de Virginitate & Virgine, à quibus Germania & Hollandia primò Religionem accepit; vitæ exempla, Synodorum ſtatuta, & Conciliorum decreta & Cœnobiorum monumenta eloquuntur. Tot hæreſes intra unum ſæculum enatæ: ullane inter omnes quæ continentiam illâ priſcâ Majorum fide doceat? Sola Eccleſia Catholica Sponſa & Virgo Chriſti, Virginitatem & Virginem in ſuo amore & cultu tuetur. Gaude Virgo Maria, cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo, Humilitatis exemplo, & Virginitatis voto. Cabeljavius ex hoc novo hoſtium numero, novus Virginis Maſtix librum claudere non potuit, niſi vetus odium & inſitum virus evomeret, ſed ubique ſui ſimilis ut plebeja ex ore vulgi tantùm fundat, Thuſcum Jurgium & Serra per eandem lineam reciproca, nihil à Theologo exquiſitum & ingenio vibratum; colloquium interprotere quod cum ſua Hecuba aliquis ad focum miſcuerit inter calices: Quæ cauſa mihi data ut paucis percurram, quamvis ab Embricenſibus iſta jam ſatis ſuperque diluta ſint. *In Pſ. 1*

CAPUT I.

Falſa Prædicantis principia de cultu Virginis.

PRimum principium falſitatis: *Doctrina Catholica*, inquit Prædicans, *nunquam certiùs explorata eſſe poteſt, quàm ex libellis manualibus, qui Mariale, Roſarium, & Stellarium Virginis inſcribuntur*, quibus poſtremùm adjungit libellum P. Euſebii Nierenbergii S. I. de amore Chriſtianorum erga

Digitized by Google

Deiparam, quem tranſlatum in Belgicum Idioma à Patre Andrea de Boye, cenſumque Antuerpiani typi dederunt Anno 1641. Ex hoc libello tanquam aranea ex flore virus ſugit, ex quo cæteri mella legunt, qui pietatis ſuccum ſectantur, & candidum Scriptoris animum prudenter æſtimant, nihil fidei præjudicare velle. Sapienter à Tertulliano contrà Hermogenam animadverſum eſt Hæreticorum genium ferri ut ſimplicia detorqueant, quibus ſimplicium animos perturbent. Hoc ſpiritu totam Controverſiam ex Nierenbergii ſcriptis pertexit. Quantâ fraude hîc agis. I. Libelli illi non ad dogmata fidei explananda & tradenda ſcripti ſunt, ſed ad pietatis ſenſum, in quo ut quiſque maximè abundat, nemo tamen ita exundat Sapiens; quin omnia Eccleſiæ judicio ut infallibili regulæ ſubmittat: Quaſi verò, inquit Caniſius lib. 5. c. 11. de hac ipſa materia, Catholici propugnent & excuſent quidquid in ejuſmodi libellis circumfertur. Quid Pii V. optimi Pontificis caſtigationes, in ſimiles? ad te appello: Eſtne continuò pro fidei articulo habendum? quidquid inter Arminianos & Gomariſtas tot libellis ſparſum eſt. II. Si ex his libellis dogmata fidei petenda. Quid Theologorum placita? quid Patrum ſcripta? quid Conciliorum decreta? quid Epiſcoporum ſalubria ſtatuta? tantus Theologus haberi vis, quare Theologis non inhæres, ut ad plebeja tua deliria recurras. Quare Embricenſes provocas ſcripto, & non Belga Belgas ut tuo tibi idiomate refundant: ſunt illic cenſores cum interprete; Supereſt Nierenbergius aut ejus Collegæ, ætatem & doctrinam habent, ipſi loquantur, ſed Embricenſes veſtro imperio comprehenſos vexare voluiſti, nullus inter illos Belgicâ linguâ utitur; ut tamen pro Nierenbergio reſpondeam, id quod res & veritas poſtulat, hoc veriſſimum principium tuo falſo oppono.

Appo-

Digitized by Google

Appoſita ſunt quædam ſive Epitheta, quæ nemini quàm uni Deo poſſunt attribui, qualia ſunt omnipotens, æternus, infinitus, principium, creator, aliaque quam plurima: de his intellige: *Gloriam meam alteri non dabo:* Alia verò ſunt quæ promiſcuè in Deum & res creatas conveniunt, ſeu nomina ſunt, quæ primò propriè & abſolutè Numini conveniunt; proportione tamen & ἀναλόγως. Sanctis, & creatis rebus tribuuntur, oſtendam clarè. Deus Pater dicitur, adeoque ſibi nomen illud vendicat ut ſcriptum ſit *Patrem nolite vobis vocare ſuper terram.* Et tamen Abraham pater dicitur, & Paulus ſe patrem vocat, *Nemo bonus niſi ſolus Deus.* Matth. 10. & tamen Matth. 12. *Bonus homo de bono theſauro profert bona. Magiſter veſter unus eſt Chriſtus:* peccatne ideo? qui Magiſtros appellat Doctores, Paſtores, cùm Paulus ad Epheſios ſe Magiſtrum & Doctorem appellet, Chriſtus Petra eſt 1 Cor. 10. Et Petrus & Abraham Petra dicuntur Matth. 16. Iſa. 51. Lux mundi dicitur Chriſtus, ita & Apoſtoli Matth. 5. Philippenſes gaudium & coronam vocat Apoſtolus: Theſſalonicenſes ſpem ſuam, gaudium & gloriam compellat Theſ. 1. c. 2. Quid ergo criminaris in Virgine cùm dicitur *Spes vitæ & dulcedo?* aut ergo Prædicans inſanit, aut Paulus; quod ea à Deo, *Ex quo, per quem, & in quo ſunt omnia*, transferat ad Chriſtianos homines. Sexcenta ejuſmodi ſunt in Scripturis obvia, etiam quoad effectus. Vide. Deus eſt qui *remittit iniquitatem plebis ſuæ*; at nunquid Joan. 20. de Apoſtolis, *Quorum remiſeritis peccata &c?* Deus transfert ad æterna tabernacula; id tamen attribuitur Eleëmoſinæ & eam accipientibus. Ita caput ſerpentis contrivit, ita cunctas hæreſes ſola interemit: ita multa alia Virgini attribuuntur ſecundariò, ἀναλόγως, impropriè: Quare doctiſſimus Suarez de cultu Virginis reſpondet ad eadem quæſita Regi Angliæ lib. 2.

Iſaiæ 42.
Matth. 23.
Luc. 16.
Rom. 4.
Iſaiæ 51.
Pſ. 83. v. 3.

Digitized by Google

cap. 8. Quando B. V. dicitur *Mediatrix*, *Advocata*, *Spes ſalutis*, *vitæ Dulcedo*, quando juriſdictio in dona Spiritus, & amor quo mundum ita dilexit ut Filium ſuum unigenitum daret, aliaque Virgini tribuuntur, quæ in Nierenbergio criminaris, ea Virgini tribui per tropum, vel per participationem, vel per exaggerationem, vel in alio accommodatitio & allegorico ſenſu, qualia in Pſalterio Bonaventuræ reperiuntur, imò hoc etiam ſenſu Patres accipiendi ſunt; ubi Virginis Encomia nimium exaggerando Virginem attollere videri poſſunt. Atque ita verbo ad omnia Cabeljavii deliramenta reſponſum eſt jam ante centum annos ab Eruditis: quæſtio ſanè, quæ non tàm Theologum quàm Dialecticum aut Rhetorem aut Grammaticum ſpectat, & quantam in his ſapientiam nundinantur verborum aucupes: *Erratis neſcientes Scripturam & virtutem Dei.* Matth. 22.

II. Principium falſum ex Calvini doctrinâ ſumit, ſcilicet *cultum eſſe aut Latreuticum aut civilem, cùm igitur Sancti Latriâ adorari non poſſint, neceſſe erit civili tantùm cultu illos colere.* Hæc nova Theologia ex figmento hæreticorum. Cultus triplex eſt Latriæ, Duliæ & Civilis, utî triplex excellentia eſt quæ objectum eſt formale cultus: lege D. Thom. 22. q. 103. art. 3. Bell. Vaſq. Suarez, Leſſium, & tot Theologos. Latria ſoli Deo debetur, quia reſpicit divinam & infinitam excellentiam. Dulia dona ſupernaturalia, ut gratiam & gloriam, ſiquidem abſolutus ſit cultus, aliud eſt de reſpectivo. Cultus civilis humanam, & politicam excellentiam habet, quam colit, quæque poſita eſt in humanis virtutibus, dignitatibus & gradibus, & in varias ſpecies ſubdividitur, ut Ariſt. lib. 9. Eth. c. 2. docet. Nam alius debetur honor Parentibus, alius Regi & Principi, alius Sapienti, alius aliis. Hæc principia Philoſophiæ & Theologiæ primùm debes convel-

lere,

lere, antequam te jactare incipias. Quomodo cultus SS. alius ſit duliæ, alius hyperduliæ, tum quomodo cultus duliæ ſit religioſus, & ad religionem ſpectet, docebit te Leſſ. lib. 2. c. 36. de relig. ad quam nemo ſanus cultum civilem & profanum unquam revocabit.

III. Principium falſum Prædicans in voce *Adorationis* collocat. Nomen ſiquidem Adorationis commune eſt, ut nunc latriæ, nunc duliæ ſubſerviat, & quandoque etiam civili cultui; res tamen & cultus in ſe ex animo colentis longè diverſus eſt ſub eodem nomine. Quod ſapienter S. Aug. tom. 4. quæſt. ſuper Exod. & tom. 6. lib. 20. contra Fauſtum c. 21. explicavit: *Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vitâ coluntur ſancti Dei homines; ſed illos tantò devotiùs quantò ſecuriùs poſt incerta omnia ſuperata*, ſcilicet ob excellentiam ſupernaturalem gratiæ & amicitiæ Dei, ſeu ob gratiam & gloriam: *At illo cultu quæ Græcè* λατρεία *dicitur, latinè uno verbo dici non poteſt, cùm ſit quædam propria divinitati debita ſervitus, nec colimus, nec colendum docemus, niſi unum Deum. Cùm ad hunc cultum pertineat oblatio Sacrificii.* Nota id diligenter D. Cabeljavi, ut ſacrificium diſcas & invenias: Nec in Hebræa lingua proprium nomen eſt, quo ſecernas res ipſas, id clarum eſt in verbo השתחוה & עבד Nec in Græco diſtinctio illa reperitur: εὐσέβεια, θρησκεία, λατρεία, δυλία; ſolùm θεοσέβεια exprimit latriam, quo tamen raro utuntur Græci; Hinc & Eccleſia nomina diverſa diverſo cultui aſſignavit; Latriam, duliam, & hyperduliam ut claritati rerum ſerviret. Proinde Trid. ſeſſ. 25. *Chriſtum adoremus & Sanctos veneremur.* Rurſum S. Aug. *Honorat omnis qui adorat; non verò adorat omnis qui honorat.* Quàm falsò ergo vos Catholicos dololatriæ accuſatis apud plebem ex cultu Sancto-

 rum,

rum, quem illi toto cœlo diſtingui docent. Quàm falsò Cabeljavius Nierenbergium traducit, quòd Virginem adorari ſcribat: quo cultu adorationis id dixit Nierenbergius? Latriæ, an duliæ, an hyperduliæ? non primo, ſed poſtremo. Vox adorationis communis eſt: *Dummodo intelligatur*, inquit Aug. *quod intelligendum eſt non magnoperè curandum quid vocetur*. lib. de Gen. ad lit. c. 4.

IV. Principium falſum conſtituit Prædicans *in actu externo adorationis*, ut jam oſtendam; nam actus externi per ſe non facilè diſtinguunt ſpecies adorationis ſolo ſacrificio excepto V. C. incurvatio, & genuflexio latria eſt, ſi ſoli Deo fiat, dulia ſi Sancto, cultus civilis ſi Regi. Hîc videndum, ex quo cultu interno & quo animo fiat. Abraham eodem actu incurvationis adoravit Deum Gen. 17. Angelos Gen. 18. Homines Gen. 23. En tres ſpecies cultus in eodem actu incurvationis externo! Quando ergo Prædicans ſuperſtitionis & idololatriæ incuſat Catholicos quod B. Virgini per actus externos ex ſe indifferentes honorem deferant, collocando imagines, offerendo munera, donando ornamenta aurea & argentea, oſtendit ſe ne quidem principia Theologiæ intelligere, ut ad Scholas Jeſuitarum primò remittendus ſit, & elementa exordii diſcat antequam Doctor & librorum Scriptor eſſe velit. Corona ſi deferatur Crucifixo latria reſpectiva eſt; ſi Sancto, dulia eſt; ſi Sponſæ, cultus civilis eſt: Oportet hunc Prædicantem per anatomiam reſolvere, ita omnia inteſtina convoluta ſunt, antequam in ordinem redigas.

V. Principium falſum Prædicantis. *Nec Virginem*, inquit, *nec Sanctum colendum, invocandumque eſſe; quia de hac re nullum in Scriptura præceptum eſt explicitum*: Hoc principium turpiſſimè rurſum fallit Prædicantem, uti cætera omnia; quàm multa, & legitimè, & laudabiliter fieri poſſunt, quæ tamen

à Deo

Digitized by Google

à Deo præcepta non ſunt, ut ſervare virginitatem, dare omnia pauperibus, ſtatos dies orationis, & Concionis ſervare in hebdomada, utî Prædicantes religioſiſſimè ipſi ſervant in Hollandia: Euchariſtiam ſumere ante cibos, ſacros ordines ſuſcipere, concionari, aliaque innumera. Quod præceptum Hechabitis de temperantia à vino Jer. c. 35. & quàm laudabilis tamen illa memoratur. Adhæc in propoſita quæſtione teſte Franciſco Suarez neceſſe eſt opus à fide, & uſum à judicio ſecernere; Nam etſi fortè alicui ſatis eſſe poſſit ad ſalutem, Deum per Chriſtum invocare, etſi Sanctos non invocet, non tamen ſola per Chriſtum invocatio ſatis eſt ad ſalutem, ſi de SS. invocatione malè ſentias & judices, per hoc enim judicium pertinax Hæreticus conſtituitur; ac tùm hæretico ſola invocatio Chriſti prodeſſe non poteſt, quia neque ex vera fide, neque cum caritate conjuncta eſſe poteſt talis contemptoris oratio, *ubi enim ſana fides non eſt, non poteſt eſſe juſtitia, & ubi caritas non eſt, non poteſt eſſe juſtitia.* Dixit ex eodem principio S. Aug. lib. 1. de Serm. Domini in monte c. 9. Accedit quòd ex divina ordinatione & admirabili providentia ſæpè Sanctorum invocatio neceſſaria ſit: de quâ S. Aug. ſerm. 1. de Sanct. c. 4. *Si Stephanus ſic non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet:* Vidimus falſa Prædicantis principia, videamus & falſa argumenta; Hæc enim ſe propè conſequuntur. Quale fundamentum tale ædificium.

CAPUT II.

Falſa Prædicantis argumenta ex Scripturis contra cultum Virginis & Sanctorum.

I. EX Apoſt. 1. ad Timoth. 2. *Unus eſt Mediator Dei & Hominum, Homo CHRISTUS JESUS,*

SUS, ergo Sancti ut mediatores non ſunt invocandi? Reſp. Alio modo Chriſtus, alio Sancti ſunt mediatores, Chriſtus ut qui ſimul eſt & Deus & Homo, atque adeo de utroque extremo participans. 2. Dignitate propriâ infinitæ perſonæ divinæ, & non beneficio alterius. 3. Redemptione ex juſtitiâ, quâ ſatisfecit & interceſſit apud Patrem; Hinc ſubdit, *Qui dedit ſemetipſum Redemptorem pro omnibus.* Sancti verò ſolùm mediatores ſunt intercedendo precibus & impetrando à divinâ miſericordiâ & liberalitate: ſicuti Moyſes Deut. 5. *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos.* Hîc qui diſcrimen non videt, nec inter cœlum & terram chaos videt; adde cætera de quibus c. 1.

Secundò, Appellat Prædicans ad S. Aug. lib. 22. contrà Epiſt. Parm. c. 8. ab hoc addit Jeſuitas informandos. Factum bonum: ſed nulla verba citat Prædicans. Reſp. Ergo S. Auguſtinum non alio ſenſu loqui de Chriſto Mediatore quàm Catholicos. 2. S. Aug. refellit Hæreticos, qui preces Sanctorum non admittebant, ut legenti patebit; adeoque aſſerit orationes peccatorum exaudiri pro aliis, ut exemplo Baalam oſtendit, ex quo porrò concludit, *Undè non mirum eſt, verba bona, quæ pro populo dicuntur in precibus, etiamſi à malis dicantur Epiſcopis, exaudiri tamen non pro perverſitate Præpoſitorum, ſed pro devotione populorum.* Quin ipſum Parmenianum ſuis verbis revincit, quòd Epiſcopum velit eſſe mediatorem inter Deum & populum. Vides quomodo te ex ipſo Auguſtino jugules. Sed quod judicium contrà vos pronuntiat? *Lacus detriti fumoſam aquam, iſtorum ſuperbiam, ferunt, & Spiritum Sanctum continere non poſſunt, ut ſervent unitatem ſpiritus in vinculo pacis & in omnibus orationibus ſuis de uno mediatore ſecuri ſint.* Legiſtine hæc? nunquid hæc ipſiſſima tua hæreſis, quam hîc tractas & in quo Parmenianum reſuſcitas. Hinc & Paulum ora-

orationes fidelium pro ſe petiiſſe affirmat. Quot dolis ubique diffluis hàc illàc rimarum plenus.

Tertiò, Ne nomen mediatricis carpas Virgini attributum, habes ſanctos Patres qui aliis Sanctis tribuerunt. S. Baſil. & Cyrill. Apoſtolos & Martyres vocant mediatores: ſanctus Bernardus, Petrum & Paulum & ſanctum Victorem appellat mediatores: Nazianzenus Martyres dicit μεσιτεύειν, Damaſcenus ipſam Virginem μεσίτην appellat, quo mediatricis titulo exornata inſuper eſt ab Epiphanio, Matthæo Philadelphienſi, Anſelmo, ſancto Bernardo: ergo mediatrix virgo eſt, ſed longè inferiori gradu, & modo quàm Chriſtus, de quo jam dixi: & Catechiſmus Caniſii informat pueros, proinde tua crepundia hîc verſas.

Quartò, Hoc tuum argumentum de uno mediatore ſi quid probet etiam evincit viventes pro viventibus non poſſe orare, cùm illâ oratione non minùs mediatores conſtituantur quàm Sancti in cœlo. Quod in omnibus propè argumentis veſtris retorquetur, quæ ex Scriptura promitis. Quocirca Bell. hoc Catholicorum argumentum dicit inſolubile eſſe, viventes poſſunt orare pro aliis, ergo & Sancti in cœlo: Antecedens ex Scripturâ manifeſtum eſt. 1 Theſſ. c. 5. *Fratres orate pro nobis*: 2 Theſſ. 3. *de cætero Fratres orate pro nobis*: Heb. 13. 1 Reg. 7. Jac. 4. *Orate pro invicem, ut ſalvemini*: ad Col. c. 4. Jer. 42. Baruch 13. Rom. 15. Conſequens certiſſimum eſt. Quid Prædicans ad hæc? negare non poteſt, ait ergò unum expreſsè ſcriptum eſſe, ſed non alterum: antecedens videlicet, ſed non conſequens. Eſto, quare ergò Catholicis ex iis quæ apertè poſita ſunt in Scripturâ ſecundùm regulam ſancti Auguſtini à te adductam non licebit cætera deducere & invenire? imò à fortiori urgent. Nam ſi viventes & mortales orare poſſunt pro mortalibus, ergò viventes in cœlo & immortales pro aliis orare

Digitized by Google

orare poſſunt: ſi oratio Epiſcopi mali pro populo exauditur, ut ſuprà Auguſt. quantò magis Sancti & amici Dei in cœlo. Hîc tu Prædicans ut effugias vim argumenti, aliter reſpondere debes, aut dare implicantiam, aut Sanctorum ignorantiam, aut impotentiam, aut Dei injuriam, aut aliud quid obtendere debes; At ſi Theologos te eruditiores conſulas, reſpondent Scripturam non de viventibus ſolùm in ſpecie loqui, ſed in genere omnium orationes implorari poſſe; ſive viventes in terrâ ſint, ſive Sancti & Juſti ſint in alterâ vitâ. Quare à centum annis nullus adhuc hæreticorum repertus eſt, qui argumentum ſolveret, neque â Cabeljavio exſpectandum erit. Fruſtrà ergò hominem fatigamus: Mirum hæretici hominis ingenium, cultum Sanctorum ex adductis obſcuræ & alienæ Scripturæ locis vult damnari, & ex propriis & manifeſtis Scripturæ locis non vult probari.

II. 1 Joan. 2. *Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Deum IESUM Chriſtum juſtum:* Quid infert? ergò nec B. Virgo, nec Sancti advocati eſſe poſſunt apud Deum: quomodo hoc ſequitur? ex nihilo nihil fit. Quare non infers? ergo viventes non poſſunt orare apud Deum pro viventibus, quia ſolus Chriſtus advocatus eſt. Par omninò ratio eſt: quid ergò cùm in Græco ſit παράκλητος utrique reſpondendum, & tibi & mihi maximè; Chriſtus ergò advocatus eſt oratione interpretativâ exhibendo ſe, & ſua vulnera, & merita; Hinc ſubdit, *Qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris;* non ita Sancti; ſed advocati ſunt, ut interceſſores & deprecatores per merita Chriſti. Quâ ſuper re fusè Vaſq. diſp. 82. c. 1. 2. 3. 4. Ac tametſi Chriſtus etiam oratione propriâ dictâ advocatus ſit, ut alii admittunt, non tamen oratione, quâ denuò mereatur & impetret ſed quâ ut comprehenſor rogat Patrem exigendo jus in hâc vitâ promeritum, & ſibi promiſſum, ideo-

que

Digitized by Google

que debitum ad gratiam & ſalutem noſtram: Non ita B. Virgo nec Sancti orant Advocati. Cæterùm B. Virginem ſuo modo Advocatam dici, legis apud Irenæum lib. 5. c. 29. *Ut Virginis Evæ Virgo Maria fieret advocata*, ſcilicet humani generis; atque ita S.Hermannus Comes in cantico illo, Salve Regina, poſuit, & Eccleſia tot ſæculis publicè decantavit, de quo vide Caniſium lib. 5. c. 13. Bell. lib. 1. de bonis oper. c. 15. Suarez lib. 3. de orat. c. 9. tom de relig.

III. Cap. 4. Act. Apoſt. v. 12. *Nec enim eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*: igitur non licet invocare Sanctos. Rurſum ex nihilo nihil fit. Ergo etiam non licet petere ut viventes pro nobis orent, nec Prædicantes orare debent pro Republicâ. Quid ergò uterque reſpondebit? nempè utî Chriſtus eſt Mediator, Homo & Deus, & ex juſtitiâ ſatisfecit, & dedit redemptionem pro omnibus, ita Chriſtus eſt unicum nomen ſalutis per Hebræam Metonymiam ſumendo nomen pro re nominata; hinc omnes orationes clauduntur apud Catholicos. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum.

IV. Matth. 11. Chriſtus dixit, *Venite ad me omnes qui laboratis &c.* non verò dixit: ite ad Mariam & Sanctos: Dignum tali Prædicante argumentum. *Serionè*, inquit Auguſt. ad Maximum *an joco agere vis?* Chriſtus dixit, Sinite parvulos venire ad me, & non dixit, Sinite parvulos ire ad Prædicantes, ergonè parvuli baptizandi non ſunt? 2. Hoc argumentum rurſum tollit orationem viventium pro viventibus, quæ tamen juſtè & piè petitur: Quare? Venite ad me omnes; non verò: Ite ad Prædicantes, ut è Cathedrâ orent pro Principe. Reſpondet ergò Suarez ad idem argumentum l. 2. c. 9. Chriſtum dixiſſe ſe eſſe unicum Redemptorem qui peccatorum onus, & labores, & pœnas ex peccatis

Epiſt. 44.

catis contractas auferre poſſit, & ſe eſſe auctorem gratiæ & legis Euangelicæ, atque ita ad ſe vocat; Nec tamen ideò prohibuit Sanctos & viventes implorare, nec ullus ſanctorum Patrum ita torſit, ut patet ex Chryſ. Hom. 39. S. Aug. Serm. 9. & 10. de verb. Domini & aliis. Novi hæretici, novi interpretes, & novi corruptores.

V. Joan. 14. *Ego ſum Via, Veritas & Vita, nemo venit ad Patrem niſi per me*, ergo non licet invocare Sanctos & B. Virginem. Rurſum ex nihilo nihil fit. Ergò etiam non licet per viventes petere aliquid à Deo: Quare? Ego ſum via. Reſp. Chriſtus via eſt per fidem, doctrinam, gratiam, redemptionem & paſſionem quâ cœlum aperuit & vitam. Nihil hoc impedit quò minùs Paſtores etiam ſint via, quando ſuos informant & ducunt ad Chriſtum, & per Chriſtum ad Patrem. Quid hæc contra invocationem Sanctorum? nugæ ſunt Prædicantum.

VI. Iſa. 63. v. 3. *Torcular calcavi ſolus & de gentibus non eſt vir mecum*; ergo non licet invocare Sanctos, nec B. Virginis allegare dolores Quis non miretur inſanias hujus Prædicantis? quoties jam dixi redemptionem & propitiationem factam eſſe ex paſſione & meritis Chriſti; atqui Nierenbergius gladium doloris, qui Virginis animam tranſivit, hîc introducit in noſtrum ſubſidium: ſed quomodo introducit jam dixi, utî preces Virginis, & utî Mediatrix & Advocata dicitur ſubalterna & impropriè. Quid verò ad illud dicis Col. 1. *Gaudeo in paſſionibus meis pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore ejus quod eſt Eccleſia.* Nunquid paſſioni Chriſti aliquid defuit, quoad valorem & ſufficientiam? abſit: unica gutta toti mundo & mille mundis ſatis erat. Quid ergo defuit? Communicatio, participatio, & applicatio, atque ad hæc tria ſerviunt preces Sanctorum, & paſſiones Martyrum, & B. Virginis; imò & ſatis-

Digitized by Google

tisfactio ex meritis Sanctorum ut Chriſti meritis junguntur, & cum capitis meritis unum theſaurum conſtituunt merita membrorum. Quâ ſuper re lege Corn. à Lapide: Bell. & Franciſc. Suarez, Salmeronem. Cætera quæ addis ex Emm. Sa nugamenta ſunt, eadem Chryſ. & Hieronym. dicunt; nec rem intelligis, nec fundum tangis: ſolùm per rapſodiam loca Scripturæ convolvis, quæ omnia involvunt.

Atqui Nierenbergius ſcripſit dubitari poſſe utrumnè pro nobis plus Mater fecerit permittendo Filium ire in mortem, an Filius moriendo pro nobis: Dura fateor ſunt verba, ſi nudè capias, verùm ut Suarez de ſanctis Patribus ſtatuit, illos per exaggerationem ſæpè loqui; ita proculdubiò Nierenbergius ad oſtendendam magnitudinem doloris in Virgine non ex æqualitate cum Chriſto, ſed cum proportione: Hinc nihil aſſerendo, ait dubitari poſſe, qui loquendi modus Oratoribus & aſceticis quàm Theologis liberior eſt. Simile illud eſt S. Anſelmi faciliùs invocato nomine Mariæ ſubindè nos exaudiri, quàm invocato Chriſto, tùm quòd Chriſtus ita rogari vult, tùm quod Anſelmus in Virgine ſolùm miſericordiæ ſinum proponat, cùm in Chriſto judicis munus ſimul inveniat, ſi quid ultrà deſideres, auctorem, & cenſorem, & interpretem conſule.

VII. Joan. 2. v. 4. *Mulier quid mihi eſt & tibi.* His verbis Chriſtus, inquit Prædicans, omnem auctoritatem & imperium Matri abrogavit; Ergo Nierenbergius malè ſcripſit Virginem imperare Filio. Reſp. Ad hunc locum ſe colliſêre veteres hæretici ut Montaniſtæ, Valentiniani, Manichæi, Helvidiani. Quid mirum noſtros hæreticos ſe collidere? Mulier dicitur, ita eſt; ſed & Eva à Deo Virgo creata Mulier dicitur. *Nomen Mulieris ſexum non corruptionem ſignificat*, dixit Epiph. Nulla quoque

repre-

reprehenſio, nec derogatio, ſed ſummum ſpecies reprehenſionis ob alios ſe non tanquam hominem & mulieris filium hoc miraculum facturum, ita Orig. Aug. S. Greg. Theoph. Antioch. Gaudentius, ex quibus Maldonat. Ne mulieris nomen offenderet, bis in eodem Euangelio Matrem appellat, &
Luc. c. 2. qualis illa Mater? de quâ Luc. Et erat ſubditus illis. Proinde S. Bernardus dixiſſe vult, ſe hactenùs ſubditum fuiſſe, modò cùm Doctoris munus ordiatur, ſe facturum ea, quæ Patris ſunt. Ad ſecundum reſpondent Embricenſes per imperium Matris capi imperium amoris, qualis loquendi modus uſitatus eſt inter parentes ad filios & filias, & inter conſanguineos; dum dicunt: fac hoc, expedias illud; non ex ſtricto imperio ſed confidentiâ. Quid ergo carpis verba hæc: *Vinum non habent*, quæ precationis non imperii modum ferunt. Cæterùm quando Nierenbergius dixit Matrem imperare Filio, idem dixit, quod Hymnus privatus, *Roga Patrem, jube natum, & jure Matris impera.* Quorum verborum ſenſus eſt, roga confidenter, quantùm Mater â Filio rogare & impetrare poteſt: idem Beza carpſit antè Cabeljavium: ſed quid ad illud dicis Cabeljavi, Deut. 9. Quando Deus Moyſi dicit *Dimitte me*, poteſtne homo Deum vi attincre? ut propriè di-
Joſue 10. mitti petat. Quid illud, *Obedienti Deo voci hominis.* Ubi obedientia, ibi imperium. Sed quales modi loquendi? Improprii: ergò & hîc accommoda Virgini. Rectè ergò Suarez Regi Angliæ ad idem reſpondit Metaphoricas has eſſe locutiones. Ita & Auguſt. & Damaſc. verbo jubendi pro petendi uſi ſunt; *Tentavit jubere tanquam Domina, quæ agnoſcebat ſe Ancillam.* Dam. *Accedit non ſolùm rogans, ſed etiam imperans, Domina, non Ancilla.* Quid ergò in Nierenbergio criminaris, quod in his etiam Patribus criminandum erat.

VIII. Jerem. 17. *Maledictus homo, qui confidit* in

Digitized by Google

in homine. Ergò non eſt fiducia ponenda in B. Virgine. Ex nihilo rurſum nihil fit. Quare ergò Paulus Philippenſes & Theſſalonicenſes vocat ſpem ſuam? Reſpondet S. Thomas 22. q. 7. art. 4. Licet ſperare in creaturâ & homine tanquam agente ſecundario; ita ſpes ponitur in Principe, Magiſtratu, & Patrono. Prædicans hic agit veluti qui glebam luti projicit ad parietem & perindè habet, ſive hæreat, ſive non hæreat.

IX. Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; ergo B. Virgo non debet diligi ex toto corde. Ergo nec tua uxor te ex toto corde diligere debet, nec filius nec filia. Quæſo mitte iſta nugumenta, cæteroquin exiſtimabunt alii nos ignorare objectum formale divini amoris & proximi, itemque objectum ſpei, ita me Dii ament, ignorare te crediderim, aut tam ruſtico ſaltu non intrares Chorum Theologicum. Quid quæſo Jeſuitæ dicent ubi hæc legerint. Deus diligitur appretiativè, ut ſummum bonum, & finis ultimus, & propter ſe; non ita creaturæ, nec homines, nec Angeli, nec B. Virgo.

X. Matth. 4. Deut. 6 v. 13. *Dominum Deum adorabis & illi ſoli ſervies*; ergò non licet colere Sanctos & B. V. lippis & tonſoribus notum Jeſuitarum Theologis offers, Deus latriæ cultu ſolùm colitur ſolus, Sancti duliæ: ſi ſoli Deo ſerviendum, quomodo conſiſtet cultus civilis, pari modo hunc aliquis tuo argumento tollet, quo duliam. Quid ex Hebræo evincis in quo תַעֲבֹך Quod Gen. 27. dictum eſt attributumque Jacobo homini non Deo ab Iſaac, v. 29.

Hebræa lectio. יַעַבְדוּךָ עַמִּים וְיִשְׁתַּחֲוּוּ לְךָ

Chaldaica lectio. יִפְלְחוּנָךְ עַמְמִין וְיִשְׁתַּעְבְּדוּן לָךְ

Græcè δουλευσάτωσάν σοι ἔθνη, καὶ προσκυνησάτωσάν σοι ἄρχοντες.

Digitized by Google

Deut. vero 6. ex quo Matth. locus ſic habet

תִּירָא וְאֹתוֹ תַעֲבֹד

Deum timebis & illi ſervies, Græcè κύριον τὸν θεόν σου φοβηθήσῃ καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, καὶ πρὸς αὐτὸν κολληθήσῃ. Chaldaicè:

יָת יְיָ אֱלָהָךְ תִּדְחַל וְקֳדָמוֹהִי תִּפְלַח

Itaque nihil definitè ex ipſis verbis & textu habes, niſi rem, de quâ agimus ſectêre: res verò ex ſe nota, Deum latriâ coli, Sanctos duliâ, cæteros civili cultu, & quis unquam Angelos quibus toties honor & cultus in Scriptura delatus eſt, aut latriâ adorandos dixit, aut civili cultu: Quid ſupereſt ergò niſi dulia, quo eodem cultu Sancti ob excellentiam gratiæ & gloriæ pariter coluntur.

XI. Arrodit Prædicans illud de Virgine Luc. 1. *Gratiâ plena*, Nam in Græco ait eſt κεχαριτωμένη, quod gratioſam ſignificare vult. *Græculus eſuriens in cœlum juſſeris ibit*. Ita quidem Eraſmus vertit teſte Hen. Stephani, tum Lutherus, & Toſſanus, & alii Neoterici quidam, ſed vetus interpres teſte Stephano in Lexico vertit gratiâ plena, atque ita tota Eccleſia à tot ſæculis in Salutatione Angelicâ recitavit, reſpondet in Hebræo נְחוּנָה & מְחֻנָּה ita vertit Syrus, Arabicus, Ægyptius, Perſicus: ita SS. Patres legunt Epiph. hæreſ. 48. Athan. ſerm. de Deip. Ephrem in Lam. v. Orig. Hom. 6. S. Hier. Epiſt. ad Princip. Beda, S. Bern. S. Aug. in Ench. c. 36. S. Amb. in Luc. *Benè ſola gratiâ plena dicitur quæ ſolam gratiam, quam nulla alia meruerat conſecuta eſt*. Rationem Grammatici meliores dant, quod verba in οω à nominibus derivata aut mutationem rerum in id, quod de illis dicitur, aut actionem, aut qualitatis intenſionem ſignificant. Innumera ſunt exempla; ita à πῦρ deducitur πυρόω & πεπυρωμένος igneus factus, ignitus & igne plenus: ita à

χάρις

χάρις χαριτόω & κεχαριτωμένος gratificatus, in gratiam verſus, & gratiá plenus, ſeu ut Henr. Steph. gratiâ donatus, hoc ſenſu Eph. I. ἐχαρίτωσε ab eodem verbo; aliud eſt de verbo χαρίζω & χαρίζομαι quod illam vim non habet, utî Col. 3. legis ἐχαρίσατο: Leidenſis Prædicans ο ſcribit loco ω. Exigua Leidæ laus non peritiores Græcos dari. Reformatis Eccleſiam & non intelligitis Grammaticam Qualis Theologus talis Græcus, & Grammaticus. Hac vertigine Valla, & omnes ſcioli rotati: Chriſtus ergo fuit fons gratiæ, ex illo fonte Virgo inter reliquos plenior, proinde longè alio modo Chriſtus plenus gratiâ, alio Virgo, Apoſtoli, Stephanus. Aquâ plenus eſt fons, inquit Mald. plenus fluvius, pleni rivi, ſed diverſo modo. Hinc & eleganter Chryſolog. *Hæc eſt gratia quæ dedit Cœlis gloriam, Terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus diſciplinam. Hanc gratiam detulit Angelus, accepit VIRGO, ſalutem ſæculis redditura.* S. Aug. *Impleta eſt Maria gratiâ, & Eva vacuata eſt culpâ.* Dilucidè S. Hier. ſerm. de Aſſump. B. V. *Benè plena, quia cæteris per partes præſtatur, Mariæ verò ſe tota infudit plenitudo gratiæ.* Sed qualis illa plenitudo? lege quod ſubjungit. *In Mariam totius gratiæ plenitudo quæ in Chriſto eſt, venit, quamvis aliter, quia etiamſi in ſanctis Patribus & Prophetis gratia fuiſſe creditur, non tamen eatenus plena.* Quid jam habet hæreſis ut carpat, ſi modò capiat.

Serm. 143.

Serm. 18. de SS.

CAPUT III.

An Catholici in cultu B. Virginis ſint Collyridriani:

BRuto hîc quoque fulmine tonat Prædicans contrà cultum B. Virginis omneſque Catholicos & totam Eccleſiam Collyridrianæ ſuperſtitionis inſimulat;

Digitized by Google

ſimulat: ſed aut ignorantis aut excandeſcentis calumniæ: paucis eluam.

Contrà cultum Virginis duæ extremæ hæreſes fuêre, quorum altera excellit, altera defecit. Prima docuit nullum cultum duliæ Sanctis impendendum eſſe, atque hæc hæreſis à Vigilantio primùm procuſa, quàm ſecuti poſteà ſunt Petrobruſiani, Waldenſes Fratricelli fæces hæreſeon. Pòſt excepêre Wicleſiſtæ & Taboritæ, demùm omnes hujus ſæculi hæreſes, inter quos Mario-Maſtix Petrus Cabeljavius: Altera hæreſis ſeu potiùs certarum mulierculařum ſuperſtitio fuit, quæ Virgini divinos honores & latriæ cultum abſolutum detulit, prorſus in alterum extremum obnixa. De hâc ſuperſtitione Epiph. hæreſi 78. & 79. quam vehementer, ut par eſt, inſequitur, & hi non tàm Collyridriani erant, quos idcircò S. Aug. in Catalogo omiſit teſte Caniſio, quàm certæ quædam mulieres Arabum ex partibus Thraciæ, inter quas illa impietas ſtetit, ad viros vix diffuſa: Hæ ſtato per annum die pilentum, ſellamve ornabant linteis intectam impoſitiſque placentis (quas κολλυρίδα interpres Damaſceni ſcribit panem, collyridam alii) annuum ſacrificium offerebant; tùm peracto ſacrificio partem quiſque placentarum domum referebant, in qua ſuperſtitione duo errores, alter quòd Virginem Deam facerent, alter quòd ſacrificium uni Deo debitum offerrent Virgini, imitatione Alexandrinorum in Ægypto, qui Theneutinam Pharaonis filiam, quòd Moyſen undis eripuerat, divinis honoribus & ſtatis ceremoniis colerent; ſimilem ſuperſtitionem Jeremias damnat c. 7. *Mulieres conſpergunt ut faciant placentas reginæ cœli, & libent diis alienis.* Per reginam cœli S. Hieronymus & Thomas Lunam intelligi volunt, quam Phœben & Dianam Gentiles vocabant colebantque; in quam idololatriam reginæ cœli Judæos prolapſos ſatis Jeremias deplorat c. 7. c. 44.

c. 44 v. 17. 18. 19. 25; Eò referre videtur Epiphharum mulierculararum inſaniam, quam idcirco perſtringit & damnat: idem Catholici omnes damnant & proſcribunt. Cæterùm Epiphanium prudentiſſimum Cypri Epiſcopum Virgini ſuos honores & cultum detuliſſe ſatis ſuperque ex ſcriptis ejus manifeſtum eſt. *Revera; inquit, ſanctum erat Mariæ corpus, non tamen Deus, revera Virgo fuit ipſa Virgo & honorata, non autem propoſita eſt ad adorationem; ſed ipſa adorans eum, qui ex carne genitus eſt ex ea, ſit in honore Maria; Pater & Filius & Spiritus Sanctus adoretur, Mariam verò nemo adoret, Deo debetur hoc myſterium.* Solam latriam negat Virgini & omnes Catholici Virgini negant cum S. Aug. lib. de Trinit. c. 6. *Quis enim ſacrificandum cenſuit niſi ei quem Deum ſcivit, aut putavit, aut finxit.* Nullus Catholicus tam inſanus eſt, utî Prædicans per criminandi libidinem fingit & publicis ſcriptis in vulgus ſpargit.

At Catholici donaria offerunt B. Virgini ex auro & argento, utî inſanæ Arabum mulieres tortiles placentas; Reſpondeo, non per latriam ſed cultum Sanctorum: actus externi per ſe indifferentes ſunt, ut ſuprà retuli; animus offerentis ſpectandus eſt, nemo ut Deæ offert, ſed ut Matri Chriſti: ſecundò hæc donaria teſſeræ tantùm ſunt præſtiti acceptique beneficii Valent. judice; quàm verò antiquæ hæ ſint oblationes docet Prudentius in Hymn. Theodoretus, Synodus Gangrenſis. contrà Eunomianos; aliique Patrum, & ſi in his ſuperſtitio, quid ergò argenteæ pelves Baptiſmi apud vos? quid lances pro cœnæ panibus? quid calices? quid auro illuſæ cathedræ, ceteraque ornamenta in veſtris templis, niſi ut Sacramentis & Verbo Dei ob ſuam excellentiam hæc deferatis. Ubi verò Euangelium hæç ex auro argentove præſcribit?

Imò, inquit Prædicans, Catholici Virginem ap-

Digitized by Google

pellant Divam & Deam; ergo cultu Latriæ adorant: probat, nam Lipſius lib. de diva Aſpricoll. & Leo X. apud Bembum lib. 8. Epiſt. 17. Deam appellat: quin ipſi Embricenſes Divam appellant: ſolens tuum facis dum criminaris, & cum araneâ virus ſugis. Purius ſuxit, qui dixit: *Hîc lactor ab ubere, hîc paſcor à vulnere.* Reſp. Ergo Divam appellamus, ut S. Hier in cap. 1. ad Gal. S. Petrum & Paulum divos appellat, & omnes Sanctos divos dicimus. Deam verò non ſcripſit Leo X. ſed Bembus exterſiore Epiſtolarum lima. Id Poëtis & Oratoribus dùm permittitur, ſcimus tropicè loqui, nec ab iis dogmata fidei ex eorum tropis & licentiâ peti. Ain tu Prædicans, ſoluſne Bembus Deam dixit? Nunquid & Nazianz. in Tragœd. proloquitur: *Veneranda Virgo, caſta, feliciſſima, æternitatis pallio ornata, ut Dea habita, ſenectæ expers.* Quid illud Pſalmi 81. *Ego dixi Dii eſtis.* Ita Principes & Judices illîc appellari volunt interpretes? Quid illud Pauli 1 Cor. 8? *Nullus eſt Deus niſi unus*, & mox ſe reprimit, *Siquidem Dii multi ſunt & Domini multi.* Quomodo Cyro Chriſti nomen tribuitur, Iſaiæ 45. Hæc ſi in Scripturâ ferre debes, quomodo in ſyncero ſtomacho eructas Poëtarum tropos? nunc Syllogiſmum tibi ponam, ut concoquas, quo Sanctorum cultus perſpicuè revincitur:

Quandocunque defertur cultus Virgini à Catholicis, qui non poteſt Deo deferri, Tum non committitur idololatria; Atqui talis cultus defertur à Catholicis Virgini: ergo.

Auguſt.

Major evidens eſt, cùm latria ſit cultus qui ſoli Deo defertur, nulli Sancto deferri poteſt: dulia viciſſim ſoli Sancto: *Gloriam meam alteri non dabo:* Minor probatur, cultus ſiquidem, qui defertur Virgini aut Sancto, eſt ut orent pro nobis, tanquam ſubalterni advocati & mediatores.: atqui is cultus non poteſt Deo deferri; non enim Cathololici orant,

orant, Chriſte ora pro nobis; ſed Chriſte Fili Dei miſerere nobis: nec dicunt, Sancte Deus ora pro nobis, ſed miſerere nobis. Tandem aliquid ſolidi repone, non iſta vulgi. Tempus muſto dandum ut deſpumet, ſic animis ut iſtas aliquando opinionum fæces ejiciant.

Aſſurgit in novam calumniam Prædicans, & prædeſtinationem noſtram ſcribit judicio Catholicorum factam eſſe per Virginem: deſipis, ſi Theologos inſpexiſſes de prædeſt. in 1. partem D. Thomæ legiſſes merita Chriſti eſſe cauſam prædeſtinationis noſtræ, probant ex illo Eph. 1. v. 4. *Benedixit nos omni benedictione ſpirituali in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Rurſum, *Prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Chriſtum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ.*

Ita S. Amb. Anſelm. Aug. lib. de prædeſt. SS. c. 17. c. 18. & S. Thom. in 3. p. q. 24. art. 4. Sed Nierenbergius hoc dixit: jam toties reſpondi, non aliter hæc Virgini tribuit quàm cætera redemptionis opera & media ſecundariò & improprie Virgini tribuuntur. Quando ſimul ab æterno mater Chriſti redemptionis electa eſt; nec enim incarnatio ſine Matre facta eſt, proinde nec decreta: Nemo Catholicorum hæc ſomniavit, quæ tu affingis. *Non eſt mirum*, exclamat S. Aug. *ſi Pelagiani dicta noſtra in ſenſus, quos volunt, detorquere conantur, quando Scripturis ſanctis, non ubi obſcurè aliquid dictum eſt, ſed ubi clara & aperta ſunt teſtimonia, id facere conſueverunt, more quidem Hæreticorum cæterorum.* tom. 7. lib. 2. de nupt. & concup. c. 31.

CAPUT IV.

Cætera Prædicantis deliramenta.

DIximus non requiri expreſſam ſcripturam pro cultu Sanctorum, utî ad multa alia ſola traditio

tio ſufficit, & Eccleſiæ judicium, ſatiſque eſſe dummodò ſit opus in ſe bonum, Deo gratum, & homini utile, nec ſit contrà Scripturam; tùm etiam quia in ipſo opere & uſu cultus, prout à judicio & contrario actu fidei ſecernitur, nullum præceptum eſt.

Urget Prædicans Num. 15. & liberrimè pronuntiat, *ne ullum quidem veſtigium invocationis Sanctorum exſtare in tota Scriptura, ſed omnia, quæ Catholici docent, & exercent ſine fide in ſolâ hominum phantaſiâ fundata eſſe.* O confidentiam! quantus tu homo, ut tot ſæculorum judicia, tot Provinciarum Epiſcopi, imò totius orbis ſenſus & conſenſus, & tot Conciliorum decreta unius Prædicantis cenſuræ ſerò ſe tandem ſubmittant, & in pietate ſuperſtitionem in veritate phanthaſma credant. Multa vana & ſtolida legi in hoc libello.

τοῦτο γ' ἐστὶν ὑπερβολὴ μανίας

Iſtud verò culmen eſt omnis inſaniæ: Audi D. Prædicans. Hæc tria in Scripturâ ſunt fundatiſſima. Primò, *Viventes pro viventibus poſſunt orare & intervenire*, ut cap. 2. Scripturæ teſtimoniis oſtendi, ad 1. arg. n. 4. Secundò, *Angeli orant pro nobis ergo & Sancti.* Antecedens probat locus Gen. 10. v. 1. Gen. 48. Zach. c. 1. Joſue c. 5. 1 Par. 21. Luc. 15. Apoc. 8. conſequentiam probat. Luc. 20. *Æquales enim Angelis ſunt, & filii Dei ſunt*; tum ratio ipſa. Tertiò, *Defuncti orant pro vivis, ergo & Sancti in cœlo orant pro vivis.* Antecedens patet Jer. 15. v. 1. Apoc. 5. 2. Machab. 15. Apocal. 6. Sancti vindictam petunt, quare non bona? Luc. 16. Epulo orat pro fratribus.

II. Prædicans pergit & ſcribit palàm *Nullum exemplum reperiri poſſe, eis qui Sanctos implorant, unquam quicquam bene eveniſſe*; Eſtne in totâ Hollandiâ, qui tam capax mendaciorum dolium in cerebro verſet? Hoc tamen nemo tibi credet, qui cerebrum in capite habet. Pleni ſunt ſanctorum Patrum

trum

Digitized by Google

trum libri, plenæ omnium Eccleſiarum tabulæ, plenæ hiſtoriæ antiquitatis: Quot ubique volumina & monumenta de miraculis & beneficiis B. Virginis. Quot anathemata tholis ſuſpenſa! vel in ſolo Belgio teſtantur. Habet Embrica B. Virginis elegantem ſtatuam miraculis illuſtrem, ſi Bredenbachio credimus & traditioni: ubertim illa lacrymis in publica ſupplicatione manavit, ob id totâ urbe feſtus campanarum ſonus, jam tùm antè belli & hæreſis turbas, quæ id deflere viſa & præmonere quod poſteà experti ſunt: eſtne ulla Provincia quæ aut Virginis aut Sanctorum beneficia cælitùs non ſenſerit. Hoc ipſum ergò quartum eſt principium, quod in ſcriptura fundatum eſt; *Deus ob merita Sanctorum multa hominibus conceſſit; ergò Sancti poſſunt invocari*: Antecedens tum citata loca ſcripturæ oſtendunt, tum Dan. 3. Oratio puerorum per preces Abraham & Iſaac. 3 Reg. 11. Deus regiam dignitatem non ſuſtulit à Salomone propter David ſervum ſuum item Baruch 3. omitto alia. Quin ad preces fidelium Petrus è carcere eductus.

III. *Invocatio Sanctorum*, inquit Prædicans, *aut eſt diffidentia de bonitate Dei, aut dubitatio de potentia.* Anile hoc nugamentum denuo eſt: reſpondit Becanus de invocatione Sanctorum c. 7. Bell. Valent. Suarez & qui non controverſiarum ſcriptores. Quare ergò viventes orant pro viventibus, eadem hîc ratio valet; eadem hîc accuſatio diffidentiæ & dubitationis. aperta eſt.

IV. *Nulla eſt ſecuritas*, clamat Prædicans, *Sanctos ſcire quid in terris à nobis petatur*: Hîc tu jam ex Concilio Deorum redis, ut id mundo renunties tandem. *Quid non vident? qui videntem omnia vident*, cenſet D. Gregorius, Beda, Proſper: etiam modos oſtendunt Theologi, ut vel in verbo videant, vel per revelationem habeant, quâ ſuper re Bell. lib. 1. c. 20. Pineda in Eccleſ. c. 9. Cajet. &

Theo-

Theologi cum D. Thomâ 3. p. q. 10. art. 2. & 2,2. q. 83. art. 4. Stephanus è terrâ: *Vidit cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris.* Cur non viciſſim è cœlo in terram viſum porrigant Sancti? nunquid idem intervallum & διάςημα, ex quocunque termino proſpicias. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi*, Pſal. 137. *Angeli eorum vident faciem Patris.* Quid illud Luc. 15? *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Quid illud Tob. 12. *Quando orabas cum lacrymis ego obtuli orationem tuam?* Quis Prophetis arcana & futura aperuit? Quis Samueli ſecreta cordis Saulis 1 Reg. 9? Quis Eliſæo ea, quæ abſente puero agebantur, aperuit? 4 Reg. 5. Eidem Eliſæo conſilia regis Syriæ delecta ſunt, 4 Reg. 6. Daniel ſomnium Nabuchodonoſoris penetravit. Dan. 2. Petrus fraudem Ananiæ & Saphyræ. Plena exemplorum eſt Scriptura. Jam ſi Prophetæ in mortali adhuc vita conſtituti tam arcana & recondita reſciverunt; quid Sanctis in cœlis negabimus? Arioli in Lappiâ & Finniâ dæmonis ope ſcire poſſunt, quid in extremis Mundi partibus agatur: & Deo aut Angelis id negabimus, ut ſuis intimis id non pandant aut pandere non poſſint. Sed quibus argumentis hunc fatalem SS. ſoporem, & ignorantiam rerum mortalium perſuadere audes? videamus.

Iſaiæ 63, inquit Prædicans, ſcriptum eſt: *Abraham neſcivit nos, & Iſrahel ignoravit nos.* Rurſum ex officina Sutoris; quoties reſponſum eſt: Primò, non ſequi Patres illi in limbo ignorarunt quid agatur in terris, ergò nec Sancti in cœlo. Secundò, Abraham neſcivit vos, id eſt, non approbat facta veſtra, ſcientiâ ſcilicet approbationis: ita Chriſtus ad impios, *Neſcio vos*, & tamen nihil Deo reconditum. Tertiò, ſenſus eſſe poteſt quem Hieronym. probat: Abraham neſcit vos, id eſt non agnoſcit ampliùs vos pro filiis ſuis ob ſcelera veſtra. Ita rectè dixero,

Digitized by Google

dixero, ſanctus Willebrordus & cæteri Apoſtolici viri & Patres in cœlo non agnoſcunt vos Gomariſtas pro filiis ſuis; nam degeneres eſtis à fide Majorum: *Novi recenteſque venerunt quos non coluerunt Patres eorum.* Deut. 32.

Procedit Prædicans.

Eccleſ. c. 9. *Mortui nihil noverunt ampliùs nec habent ultrà mercedem*, & Job c. 14. *Sive nobiles fuerint ſive ignobiles non intelligunt*; Quid tritius in ore vulgi? Ad primum reſpondent Embricenſes ex Auguſt. agi illic de pœnitentiâ, quam viventes, cùm morituros ſe ſciant, explere poſſunt; mortuos verò in peccatis, nullum apud inferos remedium, nec locum pœnitentiæ invenire. Queritur Prædicans ſe in Auguſt. hæc non reperiſſe. Legat Aug. in Enchirid. c. 110. non verò decimo. Ita Becanus, ex quo credo Emb. non quidem illic locum cit. tractat Aug. ſed ſtatum defunctorum, quibus ſacrificia & ſuffragia proſint, quibus non proſint. Cæterùm ſenſus illius loci communis eſt, mortuos non habere ampliùs guſtum voluptatum, cùm anima à corpore ſoluta ſit; nam quantùm ad cognitionem, ea multò expeditior & clarior eſt (de quo S. Thomas 1. p. q. 89. & Schol. in 4. diſt. 45. & Conimb diſp. 5. art. 1.) in animâ ſeparatâ, quoad res naturales, quàm fuerat in conjuncto corpore; atque ita Prædicans ſe oppugnat, ut ſolet, vide Pinedam, Corn. à Lapide. Ad ſecundum reſpondent Emb. cum S. Gregor. lib. 12. mor. c. 14. Jobum loqui de carnali homine, qui in vita ſolicitus fuit de filiis & familia; Huic verò apud inferos ſolicitudinem non prodeſſe, cùm neſciat, quid agatur cum filiis: eodem prope ſenſu Pineda agi iſtic de damnato apud inferos, ubi *neque ratio neque ſapientia neque ſcientia eſt.* Eccleſ. c. 9. v. 10; At verò de Sanctis in cœlo addit S. Greg. *Quod tamen de animabus ſanctis ſentiendum non eſt, quia quæ intus Omnipotentis Dei claritatem*

Digitized by Google

tem vident, nullo modo credendum eſt, quia foris aliquid ſit, quod ignorent. Quare hoc non legiſti? Demùm verbo reſpondent Catholici ad tria citata loca, agi illîc de naturali ſcientiâ, quâ mortui ſcire non poſſunt, quid agatur. Ita Bell. lib. 1. c. 20. Ex his tamen nemo prudens infert, ergò Sancti in cœlo per ſupernaturalem ſcientiam aut viſionem aut revelationem ſcire non poſſunt, quid in terris agatur.

Ex quibus conſequitur, Patres veteris Teſt. ordinariè non fuiſſe invocatos, quòd nondum ad viſionem Dei admiſſi eſſent in limbo attenti, nec ordinariam revelationem haberent; Hinc rariora in V. T. exempla; in novo verò multa traditioni & Eccleſiæ judicio & pleniori Spiritus Sancti inſpirationi relicta ſunt, quàm rudi illi populo. Accedit quòd invocatio Sanctorum nullum in uſu & opere præceptum ferat, tum etiam quod indecorum videri poterat, ut Apoſtoli vivi ſuam invocationem aut vivæ adhuc Virginis patrocinium præſcriberent.

Et verò quot fidei capita, & quanti momenti concident? ſi ſoli expreſſo verbo ſcripto inhærendum, cùm ne ipſum verbum ſcriptum ex ſcripto demonſtrari poſſit. Id nunc requiritur à Prædicante, non ut tantùm loca illa obvia & tritiſſima Scripturæ per rapſodiam cumulet, quod cuilibet civi & textori facilè eſt, ſed ut ad reſponſiones Catholicorum ſolidè & eruditè aliquid ut Theologus reponat. Græculus quidam de fortitudine apud Cleomenem Spartæ regem perorabat; & cùm Græculus ille magnum plauſum exſpectaret, riſit rex & aures avertit. Illo mirante, quia, inquit rex, ſi Hirundo hæc diceret, idem quod nunc facio, affatim riderem; ſi autem Aquila, aures & mentem darem. Jeſuitæ hoc ſæculo viri eruditi, Aquilas ex Theologis audire malunt; garrientes illas in plebe hirundines faſtidiunt: Continuo ut Cuculi ſic vos

Prædi-

Digitized by Google

Prædicantes, cum eodem ſono & tono, & cum eodem ſtrepitu & cumulo locorum Scripturæ prorepitis. Quærit Vincent. Lerinenſis, an hæretici teſtimoniis ſacræ ſcripturæ utantur: *Utuntur*, inquit, *planè & vehementer; nam videas eos volare per ſingula quæque ſanctæ Legis volumina. Lege Pauli Samoſateni, Priſcilliani, Eunomii, Ioviniani, reliquarumque peſtium opuſcula, cernas infinitam exemplorum congeriem, propè nullam paginam omitti, quæ non V. & N. T. ſententiis fucata & colorata ſit.* Idem noſtrâ ætate omnium hæreticorum genius & ſpiritus, verùm ſi connectas, non aliter cohærent, quàm quæ Naſius centur. 2. cenſuit, verbo: Saccus girgillis plenus.

CAPUT V.

Quibus PP. teſtimoniis Cabeljavius cultum Sanctorum oppugnat?

EX tanto Patrum numero duos tantummodo ſiſtit Chryſ. & Auguſt.. Primo, Chryſoſt. Hom. 16. ex variis in Matth. locis, quem multis refert Prædicans differentem de Cananæa. Quòd ea, nec à Petro, nec Jacobo, nec aliis Apoſtolis opem implorarit, ſed immediatè Chriſtum adierit. Quid totus ille Chryſoſtomi diſcurſus contrà Catholicos. Quis unquam immediatum acceſſum negavit? aut quis ita mediatè per Sanctos orat, ut non ſimul per Chriſtum. Quin ipſi Apoſtoli pro Cananæa apud Chriſtum intervenerunt Matth. 15. *Et accedentes diſcipuli ejus rogabant eum, dicentes, dimitte eam:* Quid hoc aliud quàm Sanctorum interceſſio apud Chriſtum, de quâ agimus: rurſum tuo te telo perfodis.

Secundò, Auguſtinum opponit lib. de cur. pro mort. c. 13. *Si parentes non interſint, qui ſunt alii* mor-

mortuorum, qui noverunt, quid agamus, quidve patiamur. Iſaias Propheta dicit, Abraham vos neſcivit. Hæc Aug. perinde ſi diceret. Tanti Patriarchæ ignorant, quid agatur apud mortales, quomodo cæteri mortuorum ſcient; verùm ipſe Aug. c. 15. & 16. eodem libro quæſtionem, uti ipſe poſuerat, ita reſolvit. Quærit enim quomodo Martyres in cœlis ſciant, ut nos in terris juvent, & reſpondet, naturaliter id mortuos non ſcire, ſed per divinam potentiam id tamen ſcire: ita enim ſcribit: *Hîc ſolvitur illa quæſtio, quonam modo Martyres ipſis beneficiis, quæ dantur orationibus, dicant ſe intereſſe rebus humanis, ſi neſcierunt mortui, quid agant vivi. Verùm iſta divinitus exhibentur longè aliter, quàm ſeſe habet uſitatus ordo ſingulis creaturarum generibus attributus.* Poteratnè clariùs Catholicam doctrinam in luce collocare, & hunc ipſum errorem veſtrum refellere? Vis adhuc clariorem Auguſtinum? *Alii itaque ſunt humanarum limites rerum, alia divinarum ſigna virtutum; alia ſunt, quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt*; & mox de eadem quæſtione. *Non igitur putandum vivorum rebus quoſlibet intereſſe poſſe defunctos, quoniam quibuſdam ſanandis, vel juvandis Martyres adſunt, ſed ideo id potiùs intelligendum eſt, quòd per divinam potentiam Martyres vivorum rebus interſunt. Quoniam defuncti per naturam propriam vivorum rebus intereſſe non poſſunt.* Nondùm ſat clarè Auguſt? Dein lege Epiſt. Aug. 137. Quereris Embricenſes ad hunc locum non reſpondiſſe tibi, jam tibi reſpondeo. Lege & legat Leida & Hollandia, ut aut tuam ignorantiam, aut fallaciam recognoſcat. Atque hæc S. Aug. de invocatione Sanctorum & eorum cognitione non ſolùm citato libro docet, ſed in aliis quamplurimis lib. 22. de civit. Dei c. 29. lib. de ver. Rel. c. 65. conc. 93. con. 108. Quàm miſerè hic Prædicans ſemper vapulat quoties ad Auguſtinum appellat? Quid mirùm

rùm Patrum judicia à Prædicantibus interverti, cùm eâdem arte Scripturam ad ſuos errores obtorqueant. Utinam retectis larvis illis nudam & candidam veritatem à te deluſi aliquando aſpicerent.

CAPUT VI.

Firmamenta Catholicæ Religionis pro cultu B. V. & SS.

POſt deliramenta Prædicantis, collocanda ſunt firmamenta Catholici.

I. Firmamentum, in quo hoc dogma conſiſtit, jam ex Scripturâ poſui capite ſuperiore quatuor principiis ſeu columnis innixum, plura qui volet legat Bell. Becanum, Valent. Suarez de relig. & lib. ad Regem Angliæ, cæteroſque controverſiarum ſcriptores & interpretes cum Theologis.

Hîc unum tantummodo ſyllogiſmum Prædicanti ponam.

Rectè & utiliter imploramus eorum interceſſionem, qui & poſſunt efficaciter & benignè volunt pro nobis intercedere;

Atqui Sancti in cœlo & poſſunt efficaciter & benignè volunt pro nobis intercedere: Ergo.

Major ex eo probatur, quod Scriptura in multis locis ſuprà citatis generatim doceat utiliter implorari aliorum piorum interceſſionem apud Deum, nullâ in ſpecie mentione factâ hujus vel illiùs conditionis, ſintne in hâc vitâ vel in alterâ? *Omnes enim Deo vivunt* Luc. 20. ſintne vivi an mortui? & ſi quis rogatus fuiſſet, cur ejuſmodi interceſſionem peteret, reſpondiſſet utique: quia generatim utile eſt petere interceſſionem piorum & ſanctorum: Jer. 42. Baruch 3. Rom. 15.

Minor ut probetur duo requirit. Primò, Sanctos poſſe efficaciter: Secundò, Velle benignè. Primum oſten-

oſtenditur ex eo, tùm quòd cognoſcant preces noſtras, Apoc. 5. Matth. 22. *Sunt ſicut Angeli Dei in cœlo.* Luc. 20. *Æquales Angelis.* Apoc. 21. *Eadem illa eſt menſura hominis, quæ eſt Angeli*; ex naturâ deinde beatitudinis & glorioſi luminis præſtantiâ, & viſionis clarâ cognitione: tum quod gratiâ & favore polleant apud Deum ut efficaciter poſſint. Gen. 26. Exod. 32. 3 Reg. 15. Dan. 3. Secundum, quòd benignè velint, probatur ex naturâ charitatis, quæ eſt in Sanctis: *Caritas nunquam excidit.* 1 Cor. 13. tum quia ultrà Sancti pro nobis orarunt: Tob. 12. Matth. 22. Luc. 20. Apoc. 21. Jer. 15. Zach. 1. 2. Pet. c. 1. Apoc. 5. Vides denuò quantis Scripturæ firmamentis hoc dogma ſit innixum.

II. Firmamentum eſt in Conciliis: Ac primò in Niceno II. Gen. Act. 6. *Cum timore Dei omnia agamus, poſtulantes interceſſiones incontaminatæ Deiparæ & ſemper Virginis Dominæ Mariæ, item ſanctorum Angelorum, omniumque Sanctorum, ſalutantes venerandas eorum reliquias, ut nos ſanctitatis eorum fiamus participes.* Quid ad CCCL. Patrum judicium dicet Cabeljavius. Accedit Conc. Gangrenſe can. 20. quod Anathema dicit Euſtachianis primis antè Vigilantium hoſtibus cultus Sanctorum, Conc. Conſtantienſe contrà errores Wicleſiſt. demum Tridentinum ſeſſ. 25. Secundò, eadem veritas oſtenditur ex publicis litaniis, in quibus invocatio Sanctorum antiquiſſimam conſuetudinem habet per tot concilia approbatam. Conc. 1. Aurelian. c. 20. Concil. Gerundienſe: Conc. Tolet. v. & Toletan. VI. c. 2. Bracarenſe II. can. 9. Tria poſteriora confirmata ab Honorio ante 1000. annos.

III. Firmamentum eſt in traditione Eccleſiæ, eâque perpetuâ à temporibus Apoſtolorum. Hanc primò oſtendit memoria Martyrum in publico ſacrificio Miſſæ facta, ut ex Liturgiis clarum eſt; tum & conſuetudo invocationis, de quâ Cyp. Epiſt. 34. c. 37.

Digitized by Google

c. 37. Cyrill. Hier. Catech. 5. Euſeb. lib. 4. Hiſt. c. 14. vel ut alii 15. de S. Polycarpo. Tertull. de coron. milit. c 3. ubi hanc conſuetudinem ponit inter traditiones non ſcriptas. Clemens Papa lib. 8. Conſt. c. 39. Epiſcopi Europæ ad Leonem. Secundò, hanc traditionem probant ſanctorum Patrum Conciones & Homiliæ. Nazianz. orat. 18. in S. Cyp. Baſilium & Athanaſium: Gregorii Nicæni orat. in Theod. Martyr. Ambroſii, Auguſtini, Chryſoſtomi, & quæ non Patrum teſtimonia hîc ſe exſerunt. Hîc illa fundatiſſima Auguſtini regula præſcribit Epiſt. 118. c. 5. *Quæ toto orbe ſervat Eccleſia de quibus diſputare, quin ita faciendum ſit, inſolentiſſimæ eſt inſaniæ.*

Ex quâ S. Bernardus de hoc ipſo cultu Sanctorum conſultus, ad Canonicos Lugdunenſes ſcribit & reſpondet: *Ego quod ab Eccceſia accepi, ſecurus & teneo & trado.*

Ut hîc rimam elabendi inveniat Prædicans ad Auguſtinum appellat l. 2. de doct. Chriſt. c. 9. *In his quæ apertè poſita ſunt in ſcriptura, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem moreſque vivendi.* ℞. cum Bell. lib. 4. de verbo Dei c. 11. Auguſtinum loqui de dogmatibus, quę neceſſaria ſunt omnibus ſimpliciter, qualia ſunt, quæ habentur in Symbolo Apoſtolico & Decalogo; At præter ea ſunt multa alia, quæ traditione habentur, atque ita ipſe Auguſt. docet, aut manifeſtè ſibi Auguſtinus contradicat neceſſe eſt: oſtendo; Auguſtinus docet lib. 2. de Bapt. c. 7. Baptiſmum puerorum ex traditione haberi, quam conſuetudinem credo ex Apoſtolica traditione venientem: idem tradit lib. 4. c. 6. Quid Cabeljavius dicit ad hæc Auguſtini teſtimonia? *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi Apoſtolicâ auctoritate traditum rectiſſimè creditur.* l. 4. de Bapt. c. 24. rurſum: *Apoſtoli exinde nihil quidem præcepe-*

 runt,

runt, ſed conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium ſumpſiſſe credendum eſt. Sicut ſunt multa, quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta benè creduntur; quamquam ſcripta non reperiantur lib. 5. c. 23. Igitur tametſi cultus SS. non ſit expreſsè in ſcriptura, & in aperto loco de quo agis, uti Eckius permiſit, ſatis tamen per implicitam & certam ſcripturam oſtenditur; tum vel maximè ex manifeſta traditione Eccleſiæ, ipſoque verbo Dei tradito, utî alia quàm multa, quæ & magis neceſſaria, & ſimul præcepta ſunt, ut Baptiſmus puerorum ex aperto traditoque verbo Dei ſecuriſſimè tenetur & creditur. Vis conſtantem ſibi Auguſtinum in hoc principio lib. de unitat. Eccl. c. 19. *Cùm hoc nuſquam legatur, crédendum eſt teſtimonio Eccleſiæ, quam veracem eſſe Chriſtus teſtatus eſt*, lib. 1. Contra. Creſc. c. 33. *Quamvis certum de ſcripturis non proferatur teſtimonium, tamen earundem ſcripturarum a nobis tenetur veritas, cùm id facimus, quod univerſæ placet Eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum commendat auctoritas.* Vide quot teſtimoniis Auguſtini, appellantem te ad Auguſtinum convictum teneam, ut videas quàm cæcè te ſemper in Auguſtino collidas.

Quod ex Apoſtolo 2. ad Timoth. 3. præmittis: *Omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum*; ergo, omnia quæ ad fidem ſpectant & mores, cultuſque SS. ex Scriptura oſtendi debent, prorſus non ſequitur, nec id S. Paulus dicit. Aliud enim eſt, Scriptura eſt utilis ad docendum; aliud in Scriptura omnia ad fidem & mores ſpectantia expreſsè inveniuntur: primum Paulus dicit, ſecundum ſomniat Prædicans, ut jam ex Auguſt. oſtendi, & tota controverſia de verbo tradito revincit. Quòd ſi tamen Cabeljavius apertam explicitamque Scripturam deſideret pro cultu SS.

cæte-

cæteriſque; hoc principium generale teneat: *Qui vos audit me audit: & qui Eccleſiam non audierit; ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus. Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*; de quo S. Aug. *Ego Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret auctoritas*: Ac tametſi vos millies obtendatis Scripturam contra Catholicorum dogmata; ea tamen Scriptura non eſt, ſed veſtra Criteria tantùm ſunt, cùm non de materiali ſed formali Scripturâ veroque ſenſu agatur. De hac communi Hæreticorum fraude & hæreditario iniquitatis myſterio, quo orbis decipitur, S. Auguſt. lib. 32. contra Creſc. c. 19. *Videtis*, inquit, *id vos agere, ut omnis de medio Scripturarum auferatur auctoritas, ut ſuus cuique animus auctor ſit; quid in quàque Scriptura probet; quid improbet.*

Luc. 10. Matth. 18. Act. 20.

CAPUT VII.

SS. Patrum ex primis ſæculis teſtimonia pro cultu B. Virginis.

V. FIrmamentum pro cultu Virginis ex Patrum teſtimoniis ſumunt Catholici. Rurſum in Epilogo Prædicans occupat & appellat ad Patres; at timidè & callidè. Scilicet ut Nierenbergii propoſitiones ex Patribus probentur: ridiculum hoc & inſulſum, cauſam ipſam & cultum Virginis deſerere, quid de eo univerſa doceat Ecelesia, & ad privatum hominem transferre & tantùm quærere quid Nierenbergius in libello ſcribat: Ἤ σ' ἐχρῆν τοῖον ἔοικε, μαψιδίως ψεύδεσθαι. Quid opus te, cùm talis ſis fallere aſſiduè, & per ambages circuire. Multa ipſi Patres pro affectu ſuo pietatis ſenſu ſcripſerunt de Virgine, ut S. Anſelmus, Damaſcenus, Germanus, Ildephonſus, Bernardus, quæ continuò non in aliis Patribus reperias; in Tridentino Concilio dog-

Hom. od. ξ.

mata & capita fidei Catholicæ habes, & in his quid Catholico credendum de cultu Sanctorum invenies ſeſſ. 25. de invocatione, veneratione & reliquiis Sanctorum. Nunc omiſſis tuis nugamentis rem ipſam ex ſanctorum Patrum teſtimoniis probemus, ac primùm Græcos, non omnes ſed aliquot ſiſtamus.

Græci Patres.

S. Irenæus lib. 5. c. 19. *Sicut Eva ſeducta eſt ut effugeret Deum, ſic Maria ſuaſa eſt obedire Deo, ut virginis Evæ, virgo Maria fieret advocata*, ubi per Evam intelligit poſteritatem Evæ.

S. Athanaſius ſerm. de S. Deiparâ, aut certè vetuſtus auctor: *Exaudi nos ô filia David, aurem tuam ad ſupplicationes noſtras accommoda, ne immemor ſis populi tui.* Et paulò poſt: *Ad te clamamus, memor eſto noſtri ſanctiſſima Virgo.* Deinceps: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum, intercede Hera & Domina & Regina & Mater Dei pro nobis.*

S. Ephrem in lament. Virg. apud cruc. *At verò nos te ô immaculata & benedicta Filii tui, Deique omnium Mater inculpata, pura, integra, ſacroſanctiſſima deſperatorum ſpes, & damnatorum, collaudamus & benedicimus, ut gratiæ plenæ, quæ Deum genuiſti, omnes tibi advolvimur, omnes te imploramus, erue nos ô intemerata Conciliatrix & Advocata in horâ judicii, libera nos à futuro igne & tenebris.*

S. Chryſ. ſerm. de Deip. *Salve templum Dei animatum, cœli terræque pariter domicilium, & illius, qui comprehendi non poteſt, ampliſſimum habitaculum:* Lege ſerm. de Annunt. Virg. ſerm. de interd. arbore.

S. Cyrillus Alexand. Homiliâ, quæ in Concilio Epheſino lecta eſt; *Salve ſancta Deipara, eximium illud Orbis decus & ornamentum, ſalve lampas inextinguibilis, corona Virginitatis, ſceptrum rectæ doctrinæ, templum indiſſolubile.*

S. Me-

S. Methodius primùm in Licia poſt Tyri Epiſcopus & ante Conc. Nicen. martyr, quem Hieron. inter Eccleſiæ ſcriptores laudat, quantis in Epiph. Domini encomiis Virginem appellat: *Facem fidelium, infiniti & interminati clauſtrum, vellus divini roris, propitiatorium, in quâ Deus humanâ carne indutus, ſalve in æternum: ad te rurſum recurrimus, tu pretioſa regni cœleſtis Margarita; tu fons uberrimus totius ſanctitatis; tu animarum altare, panis vitæ, ſalve Spiritus Sancti umbraculum.* Et quæ non ſubjungit?

S. Epiphanius ſerm. de laud. Virg. *Salve gratiâ plena, multis virtutibus exornata Virgo; ave gratiâ plena, quæ es urna aurea continens manna cœleſte; Ave gratiâ plena, ſplendidum cœlum: ſolo enim Deo excepto cunctis ſuperior exiſtis*: quibus exinde laudibus excurrit?

S. Greg. Naz. in Tragœd. *Regina, Domina, generis humani bonum, amica ſemper eſto tu mortalibus, maximaque quovis in loco mihi ſalus.* Lege cætera orat. 18. de S. Cyp. refert B. Juſtinam a Dæmone ſollicitatam, B. Virgini ſupplicem fuiſſe & adjutam.

S. Baſilius Seleuciæ Archiepiſcopus, qui Conc. Conſtantinopolitano interfuit orat. 1. de Deip. *O ter ſancta Virgo, aſpice nos de cælo oculo propitio, & nunc quidem educ tuos hinc cum pace.*

Quæ non S. Greg. Nyſſ. orat. de nat. Andræas Cretenſis, Chryſippus Preſb. quinto ſæculo de Virgine ſcripſerunt, quæ non Theophanes & Theoteriſtus apud Nicætam cum Suida de Copronymo. *Vetuit is, ne quis mortalium Mariæ interceſſionem imploraret*, ita Suidas: at Nicæt. *Interceſſiones Virginis, per quas mundus conſiſtit, ne nominari quidem voluit, cùm diceret nemini poſſe eam opitulari.* Tu nunc vide Cabeljavi, an cum Copronymo Imperatorum ſpurciſſimo ſentiendum ſit? an cum vetere

Eccleſia, quæ Virginis cultum amplexa eſt; quæ vindicta Copronymum exceperit, hiſtoriarum tabulæ oſtendunt.

Latini Patres.

S. Amb. orat. 2. præpar. ad Miſſ. *Efficax mea ſit deprecatio B. Mariæ Virginis ſuffragio peto, quam tanti meriti eſſe feciſti, ut prima inter mulieres novum munus offerret, & nulla præter ipſam tàm novum acciperet.* Quibus non laudibus Virginem extollit, lib. 2. de Virg. com. in c. 1. Luc.

S. Auguſtinus lib. Med. c. 35. *Propter bonitatem tuam ſuſcipe preces ſervi tui, & da mihi effectum petitionis meæ, & deſiderii mei, intercedente & orante & impetrante glorioſa Virgine genitrice tua Maria Domina mea cum omnibus Sanctis.*

Cap. 40. lib. Med. *Sancta & immaculata Virgo Dei genitrix Maria & Mater Domini noſtri Ieſu Chriſti, intervenire pro me digneris apud illum, cujus meruiſti effici templum: ſancte Michaël, ſancte Gabriel, ſancte Raphaël, ſancti Chori Angelorum atque Archangelorum, Patriarcharum atque Prophetarum, Apoſtolorum, Evangeliſtarum, Martyrum, Confeſſorum, Sacerdotum, Levitarum, Monachorum, Virginum omniumque juſtorum, per illum, qui vos elegit, & de cujus contemplatione gaudetis, vos rogare præſumo, ut pro me culpabili ipſi Deo ſupplicare dignemini.*

Serm. 18. de Sanctis: *Sancta Maria ſuccurre miſeris, juva puſillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fœmineo ſexu. Sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam commemorationem.* Hæc Auguſtinus. Quare, cùm tantus eſſe velis ſub Patrocinio S. Auguſtini, hæc teſtimonia non inſeris tuis libellis, ut populus legat, & te conſulat, & tu judices. Reformatæne an Catholicæ Religionis fuerit Auguſtinus? ô pectus niveum & priſci candoris hominem!

S. Ful-

Digitized by Google

S. Fulgentius ſerm. de laud. Virg. *Venite Virgines ad Virginem, venite Matres ad Matrem, ideo omnes iſtos curſus naturæ virgo Maria in Domino noſtro* IESV CHRISTO *ſuſcepit, ut omnibus ad ſe confugientibus fœminis ſubveniret.*

S. Gregor. Mag. in Antiph. *Salvator Mundi ſalva nos, ſancta Dei genitrix virgo Maria ora pro nobis.*

S. Ildephonſus lib. de Virg. c. 12. *Concedas etiam mihi adhærere Deo & tibi ſervire.* ſerm. 2. de Aſſump. *Quam deprecantes veneramur, venerantes deprecamur, ut ipſa pro nobis intercedere dignetur.* Siſto: quis enim omnia teſtimonia Patrum accumulet, Damaſceni, Anſelmi Germani, Bernardi, Laurentii Juſtiniani, cæterorumque Patrum. Lunam in cœlo neget, qui cultum Reginæ cœli negaverit, ut nihil de cultu aliorum Sanctorum: quin etiam ipſe Juſtinianus imperat: quàm magnificè & ſuum & orbis judicium ſcribit. *Hoc etiam deprecantes exoramus, ut glorioſæ ſemper Virginis & Dei genitricis Mariæ precibus, ut quidquid minùs eſt Reipublicæ noſtræ, per nos ultimos ſervos ſuos reſtituat.* *Inſtit. lib. cod. de off. Pret. A.*

Diſcas à Regibus & Imperatoribus, quod à Patribus & Doctoribus diſcere recuſas; diſcas ex hiſtoriis, tabulis, monumentis, tholis, miraculis, beneficiis, quid omnis antiquitas & pietas de cultu Virginis ſenſerit, atque ejus patrocinio experta ſit. Non libros, ſed volumina librorum Eccleſia producit, ut cum D. Chryſoſtomo in Pſalm. 118. majorum fidem pronunties. *Hæc fratres monumenta & documenta ſunt in quibus confirmabit vos Dominus Deus, dans vobis uberes miſericordias & miſerationes ſuas, cuſtodiens vos ab omni malo, atque cœleſti ſuo regno vos donans per interceſſiones incontaminatæ Dominæ noſtræ Deiparæ ac ſemper Virginis, atque omnium ipſius Sanctorum.*

Non igitur Patres patroni tui ſunt, ad quos appellaſti, ſed Helvidiani, Marcionitæ, Ebionitæ, Joviniani,

viniani, Novatiani, Copronymi, Cathari, quorum effoſſis ſepulchris hæreſin reſuſcitaſti; quibus ne Calvinus quidem accenſeri viſus, quando in lib. de reform. Eccleſ. ſcribit: *Omni ſtudio Mariam virginem honoramus Magiſtram omnium, ejuſque ſequimur tum doctrinam, tum præcepta:* nunquid hæc Legiſlatori Chriſto derogant, abſit dices, ita Nierenbergio ἀναλόγως dicta accipe, & calumnias tuas ex Calvino tibi abſterſiſti.

Prætermitto Liturgias Latinas, Armenas, Æthiopicas, Græcas, cumprimis Chryſoſtomi, ut etiam ab Eraſmo verſæ, quoties in his invocatio B. M. V. prætermitto Euchologium Græcum & Horologium, in quo legis ὑπερένδοξε ἀεὶ παρθένε μήτηρ χριστοῦ τοῦ θεοῦ προσάγαγε ἡμετέραν προσευχὴν τῷ υἱῷ σοῦ, καὶ θεῷ ἡμῶν, ἵνα σώσῃ διὰ σοῦ τὰς ψυχὰς ἡμῶν. Jam ſi elogia ſanctorum Patrum, ſi figuras, ſi titulos, de quibus Carthagena, Caniſius: demum ſi teſtimonia Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum adjunxeris, quibus Sanctorum cultus, & invocatio probatur, quæ integrum volumen explent, nova te teſtium nube obrutum videbis: nec quicquam ad illius controverſiæ firmamentum deſiderari poſſe. Provocat deinde in Epilogo Cabeljavius ad Auguſtinum, ex quo generatim ſeptem hæ Controverſiæ probari poſſint; in eoque ſe plus præſidii habere pro Reformatorum doctrina, quam in ullo Patrum. σὺ δὲ μένεαι ὐκ ἐι ἀνεκτῶς: non modò falleris, ſed intolerabiliter inſanis: Nihil minùs in Auguſtino quàm Calvinus; ut vel ea legenti, quæ hîc diſtrictè inſperſi, planiſſimum erit: in nullo Patrono ita Catholici triumphant, quàm in Auguſtino, quem S. Bernardus ſerm. 80. in Cant. *validiſſimum Malleum dixit hæreticorum.* Rupertus *munimen Catholicæ fidei*; Hieronym. *conditorem rurſum antiquæ fidei.* Hilarius *defenſorem fidei Catholicæ.* Hinc omnes Theologi & ſcriptores controverſiarum ſingula

7. de r. Sp. S. 19. iſt. Hier. Aug. er xxv.

gula propemodum capita Catholicæ fidei ex Auguſtino producunt, uti inter cæteros ſelecto libro Hieron. Torrenſis S. I. Confeſſionem Auguſtinianam contexuit.

Poſtremùm Prædicans Confeſſionem Waldenſium ſeu Pauperum de Lugduno in Epilogo producit, ut conformem Reformatorum Religioni: magnum ſe præſidium & oraculum orbi oſtendiſſe ratus: at primò, Quo auctore confeſſio illa eruitur? quâ fide? Boxhornii Heinſii primùm diſcipuli, & Neoterici, ſi non Prædicantis potiùs figmentum tota illa Waldenſium confeſſio. Enimverò ſi Hiſtoricorum teſtimoniis de fide agendum, mille Hiſtoricorum teſtimoniis Fides Catholica revincitur. Quæ ſucceſſio Epiſcoporum & Sacerdotum in Waldenſium confeſſione & religione? Non alia quàm in aliis ſectis, quæ nullum Epiſcopum proferunt: Auctor Waldo civis Lugdunenſis. Hæc Waldenſium confeſſio, à quocunque tandem procuſa eaſdem antilogias, quas Calvini doctrina; eandem novitatem, & condemnationem à Catholicâ Eccleſiâ habet. Mirùm tam nobilem Hollandorum gentem & tam avitæ Religionis Populum Belgicum ad tam obſcuram, conciſam, & vilem ſectam demùm hoc poſtremo ſæculo remitti, ut toto Orbe Catholico contempto fidem veram in illis latebris quærat; cui id prudenti non ridiculum, & inſanum videri poteſt? *Ab ortu ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus*, & non in illis latibulis Waldenſium. Scio aliquos articulos Reformatis cum Waldenſibus communes eſſe; maximè de cultu Sanctorum; & multos non eſſe: quos nulli Reformati unquam pro ſuis agnoſcent. Vide nunc & in tabulâ cenſe.

Biblioth. Belg. Valert.

Articuli

Digitized by Google

Articuli Waldenſium, & ſectæ hæreſes, ad quas pro Reformatis appellat Cabeljavius.

PRæter Waldenſium hæreſes contrà Catholicam Eccleſiam de cultu Sanctorum, de Purgatorio, de Sacramentis aliiſque, quas ſupra quadraginta cenſent Scriptores & Hiſtorici. Hæ etiam contra Reformatos ipſos proferuntur. I. Docebant Waldenſes omnia bona in pauperes diſtribuenda eſſe, inde pauperes de Lugduno dicti. II. Templa & Eccleſias evertendas. III. Eccleſiam non poſſe leges condere. IV. Liberum eſſe prædicare omnibus Verbum Dei. V. Omnes laicos, dummodo juſti ſint, poſſe corpus JESU Chriſti conſecrare. VI. Cantica Eccleſiæ ludibrio habenda. VII. Nullam orationem uſurpandam præter Dominicam. VIII. Conſecrationem fieri ſeptenâ Oratione Dominicâ. IX. Euchariſtiam ſemel in anno conſecrandam feriâ v. Cœnæ Domini, atque inde per totum annum aſſervandam in uſus. X. Tres eſſe Ordines Eccleſiaſticos, Diaconatum, Preſbyteratum, Epiſcopatum; Epiſcopos & Preſbyteros ſuam poteſtatem Ordinis uno peccato letali amittere; Magiſtratus pariter ſuâ dignitate per peccatum excidere. XI. Eccleſiaſticos non poſſe ullos agros, aut divitias poſſidere. XII. Symbolum Apoſtolicum contemnendum. XIII. Jusjurandum Chriſtianis illicitum. XIV. Omnem carnalem commixtionem permiſſam dum fervet concupiſcentia. XV. Neminem morti adjudicari poſſe, nec judicis quidem legitimi ſententiâ. Ob has aliaſque fœdas hæreſes damnati Waldenſes in Concilio generali XI. & Lateranenſi generali III. ſub Alexandro III. poſtquam cæperat Anno 1160. vel ut alii 1170. Prateolus, Urſberg, Guido, Trithemius, Paulus Æmilius,

lius, Caſtro, aliique non incelebres ſcriptores. I nunc in triumphum cum Waldenſium ſecta: quid cum illis erroribus commune Reformatis, ut ad Waldenſium confeſſionem Hollandos remittas; *Tuba*, dixit Tullius, *civilis belli.* Quàm multa verò vobis cum Catholicis communia: è quibus Belgæ poſſident terras, provincias, urbes, patrimonia, portus, maria, majorum ſanguinem & vitam; Euangelium & Chriſtianam Religionem, fortè nec Deum in cœlo noſſent, niſi per Catholicos & Apoſtolicos viros lumen fidei illatum eſſet; verbo, omnia à Catholicis, præter hæreſin: Quod ergo conſilium tuum, ut Hollandos ad Waldenſes revoces? Quare non ex conſilio Pauli Heb. 13. v. 7. *Memento te Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem:* Si veram tuis Eccleſiam oſtendere cogitas, oſtende illam, quam Irenæus, Optatus Milevit. Ambr. Hieron. Lerinenſis: Auguſt. & omnes ſancti Patres oſtenderunt. Audi S. Aug. de ver. rel. c. 8. *Tenenda nobis eſt Chriſtiana Religio, & ejus Eccleſiæ communicatio, quæ Catholica eſt & Catholica nominatur, non ſolùm à ſuis, ſed etiam ab omnibus inimicis.* Quàm dilucide de Gen. c. 1. *Catholica dicitur ex eo quòd univerſaliter perfecta eſt, & in nullo claudicat, & per totum orbem diffuſa eſt:* Quàm contentè lib. de Symb. c. 10. *Totum* (illa Eccleſia) *poſſidet, quod à viro ſuo accepit in dotem. Lego tabulas matrimoniales ejus: recitabo. Audite Hæretici quid ſcriptum ſit: Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum per omnes gentes: Omnes gentes, totus mundus eſt; Eccleſia totum poſſidet, quod à viro ſuo accepit in dotem. Quæcunque congregatio cujuſlibet hæreſis in angulis ſedet, concubina eſt, non matrona; ô Hæreſis Ariana quid inſultas? quid exſufflas? quid etiam ad tempus multa uſurpas? injuriam*

à te

Digitized by Google

à te patitur Domina ab Ancilla; multas ei ingeris contumelias, licèt hæc doleat, non te magna metuit Sponſa Chriſti, Sancta, Catholica; cùm reſpexerit magnus ille Sponſus, ejicieris tu, ut Ancilla cum filiis tuis, quoniam non erunt hæredes filii Ancillæ cum filiis liberæ. Cognoſcatur una ſancta & vera Regina Catholica, cui Chriſtus tale regnum dedit, quod eam per totum orbem diffundens ab omni maculâ, & rugâ mundans totam pulchram ſuo adventui præparavit. Quod ergo judicium ex hoc conſilio tuo, ut ad Waldenſes nos abducas: quos equidem, quotus quiſque latitare ſciviſſet, niſi nuper belli flamma & concitatio prodidiſſet. Haud diſſimile tuum conſilium, quàm ſi hominem in regia via ad Solis lumen ambulantem, rapias è viâ, jubeaſque ad fatuum ignem in montibus & paludibus avium & devium oberrare. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum; id eſt, in manifeſto*, inquit Auguſt. *Tabernaculum ejus caro ejus eſt. Tabernaculum ejus, Eccleſia ejus in ſole poſita, non in nocte. Quid amplius dicturus ſum, quàm cæcos, qui tam magnum montem non vident*; denuò *Catholicam dicit toto orbe diffuſam; quia diverſorum hæreticorum Eccleſiæ ideo Catholicæ non dicuntur, quia per loca & per ſuas quaſque provincias continentur. Hæc verò à Solis ortu uſque ad occaſum unius fidei ſplendore diffunditur.* Perlege quæ tot locis unus Aug. ſcripſit: tract. 1. in Joan. Epiſtolam, lib. 2. contra lit. Petil. c. 4. lib. 2. contra Creſcent. c. 36. lib. 4. c. 58. Eadem voce allocutionis Vincentius Lerinenſis circa Auguſtini tempora pius & celebris ſcriptor ſub Theodoſio & Valentiniano: *Ille eſt verus & germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Eccleſiam, qui corpus Chriſti diligit, qui Divinæ Religioni, qui Catholicæ Fidei nihil præponit, non hominis cujuſpiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non Philoſophiam; ſed hæc cuncta deſpiciens, & in fide fixus & ſtabilis permanens, quid-*

Tract. 2. in Epiſt. S. Joan.

Serm. 131. de tempore.

Digitized by Google

quidquid univerſaliter antiquitus Eccleſiam Catholicam tenuiſſe cognoverit, id ſolùm ſibi tenendum credendumque decernit, quidquid verò ab aliquo deinceps uno (veluti Luthero & Calvino) *præter omnes vel contra omnes Sanctos novum & inauditum ſubinduci ſenſerit, id non ad religionem ſed ad tentationem potius intelligat pertinere. B. Pauli Apoſtoli eloquiis eruditus, oportet, inquit, hæreſes eſſe; ut qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* Scio D. Cabeljavi, qui libros tuos in Hollandia ex plebe legunt, & in his tot Scripturæ loca in ſpeciem tantummodò accumulata perlegunt, magnoperè, & ſibi & tibi applaudere; ſed & illud Auguſtini mihi in mentem venit: *Quæcunque enim ſeductores integra & legitima tenent, nec ea etiam ſibi ipſi arrogarent, & quaſi propria vendicarent, niſi à plebibus ſeductis viciſſim ſeducerentur, cum eis creditur, & tales honores deferuntur, ut per eos habeant poteſtatem talia dicendi, & ſibi talia vendicandi, ut error eorum veritas appelletur, & ſcelus eorum juſtitia putetur, propter Sacramenta, & Scripturas, quas ad ſpeciem tenent, non ad ſalutem.*

Quòd ſi nunc appellatio petitur pro veræ Fidei antiquitate & veritate, non ſanè ad Waldenſium Eccleſiam confugiendum eſt, ſed ad illam Eccleſiam appellandum eſt, ad quam totus orbis appellavit; ea verò eſt Eccleſia univerſalis, & Catholica, *quæ ſemper, quæ ubique, quæ apud omnes nationes fuit*, in quâ infallibilem auctoritatem, Conciliorum œcumenicorum firmamentum, Epiſcoporum & Sacerdotum ſucceſſionem, in quâ demùm omnes Chriſti promiſſiones, & veræ Eccleſiæ notas poſſidemus: talis equidem Eccleſia non modò eſt, neque unquam fuit apud Waldenſes, ut cuivis ſanæ mentis homini, ſi res poſceret, demonſtrari poteſt.

At verò ſi particularem depoſcat Eccleſiam Cabeljavius, ex quâ fidei antiquitatem, veritatemque

ſuis

Digitized by Google

ſuis perſuadere velit, habet propriam Belgarum, & Hollandorum, ut alienâ Waldenſium non indigeat, habet in ea *Præpoſitos* & Apoſtolicos viros,
13. *Qui nobis* primò *Verbum Dei locuti ſunt, quorum intueatur exitum converſationis*, *ut* Majorum ſuorum *imitetur fidem*. Habet antiquitatem longè ſanè ante Waldenſes, & Pauperes de Lugduno, ut Lugdunenſibus Batavis ad Lugdunenſes Gallos, ac hæreticos perfugium eſſe non poſſit, niſi ſecta ſectam appellare malit; habet in ea primam Ultrajectenſem Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum Cathedram à mille propemodum annis, ex quo S. Willibrordus à Sergio Pontifice in eâ collocatus fuit, quanquàm jam diu ante Belgium, Flandria, vicinæque Gallis Provincię Catholicam Religionem coluerint. Enimverò anno Chriſti ſexcenteſimo nonageſimo, duodecim Apoſtolici Sacerdotes, à S. Wilfrido Lindiſfarnenſium Epiſcopo, & S. Egberto Præſule miſſi venerunt ex Angliâ in haſce Provincias. SS. Willibrordus, Swibertus, Acca poſt Angliæ Epiſcopus, Wigbertus martyr, Willibaldus Epiſcopus Eiſtadienſis, Winibaldus Abbas Heidelamenſis, Lebuinus primus Daventrienſium Apoſtolus, duo Ewaldi martyres, & Weſtphalorum Apoſtoli, Werenfridus Bataviæ Apoſtolus, Adelbertus Hollandiæ, & Marcellinus Tranſiſulaniæ Apoſtoli: Tum præter illos S. Vulfrannus Senonenſis Epiſcopus, & Friſorum Apoſtolus, S. Bonifacius Exceſtrienſis, ſecundus Ultrajectenſium Epiſcopus, S. Willehadus ex Nortumbria Angliæ primus Bremenſium Epiſcopus, S. Wiro Deirorum Epiſcopus, S. Plechelmus *de Maſſa*, ſeu ut Beda, *de Caſa candida* Epiſcopus, & Aldenſalienſium Apoſtolus, S. Ludgerus Friſiæ Apoſtolus, & primus Monaſterienſium Epiſcopus, S Otgerus, aliique ſanè innumerabiles aut vitæ ſanctimoniâ, aut fuſo ſanguine orbi teſtes, quorum ingreſſum atque exitum converſationis

tionis intuentes, nos Catholici imitamur fidem majorum noſtrorum

Etenim ſi primi illi Sacerdotes, & ſanctiſſimi Epiſcopi, cum totâ ſuâ antiquitate & poſteritate, ac totius Europæ Epiſcopis & Doctoribus nunquam nobis veram, atque integram fidem, utî ſpes ſalutis exigit, tradiderunt, juſta nobis cum Tertulliano, & toto orbe Chriſtiano adverſus Deum querela eſt. *Perperam* videlicet *tot ſæculis euangelizatum, perperam creditum eſſe, tot millia millium perperam tincta*, & Baptiſmate abluta; *tot opera fidei perperam adminiſtrata, tot virtutes, tot chariſmata perperam operata, tot Sacerdotia, tot miniſteria perperam functa, tot denique martyria perperam coronata.* Hæc omnia inquam in Apoſtolicis illis Sacerdotibus, & per tot ſæcula conſequentibus ſe Epiſcopis non niſi fallaces impoſturæ, & inſanæ populorum ludificationes fuerint, neceſſe eſt. Adde tot prodigia è cœlo in horum ſanctorum virorum ortu à Deo data, quando S. Columbanum in Sole, Willibrordum in Luna, Swibertum cæteroſque in cœleſti lumine jam nunc Deus oſtendit, & ita oſtendit, ut quale lumen fidei allaturi eſſent, è cœlo ſatis proſpici potuerit. Adde tot admiranda opera ſupra vires humanas in perſanandis hominum corporibus, de quibus tot ſcriptorum monumenta, & fidei teſtimonia. Adde tot miracula in reſuſcitandis mortuis patrata, & omnium oculis inſpecta, probataque. *Conteſtante Deo ſignis & prodigiis.* Quibus vel unus D. Swibertus totam Hollandiam & Germaniam in ſtuporem, & Catholicæ fidei divinam æſtimationem erexit. Quid Splinterus? quid Gocelinus, nobiles adoleſcentes ſubmerſi, & rurſum ad vitam revocati? Gocelinum certè Carolus Magnus Imperator cum totâ aulâ, & Leo ſummus Pontifex cum Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & innumerabili hominum turbâ ad ſepulchrum S. Swi-

Lib. de præſcript.

Beda in ejus vitâ c. 1. Flacc. Alcuinus in vita S. Marcellinus.

Heb. 2.

S. Marcel
S. Ludg.

cunque gloria Chriſti diffuſa eſt. Sanè verò, ſimul ac hi Apoſtolici viri (ſi perinde ut & S. Columbanus cum duodecim clericis ſuis) ex Anglia Galliam, Belgium, Germaniam ſunt ingreſſi, continuò ab omnibus Catholicis Epiſcopis, & toto Chriſtiano populo in eandem communionem, & unius fidei ſocietatem accepti ſunt. Nec alia in illis fides agnita fuit, quàm quæ jam toto orbe explicata erat: *Quò diffuſa eſt gloria Chriſti.* Nec aliam illi ex Angliâ fidem exportarunt, quàm quæ jam antè in totâ Angliâ, Scotiâ, Hiberniâ ab Auguſtino, cæteriſquè Apoſtolicis collegis à S. Gregorio M. ſubmiſſis quàm latiſſimè propagata erat. Nec aliud Francorum Reges permovit, ut S. Willibrordum, S. Swibertum, S. Bonifacium, S. Ludgerum, atque alios ex his tot beneficiis exciperent, & tot præſidiis firmarent, & tanta, tamque regia liberalitate dotarent Eccleſias, quàm ut Majorum ſuorum fidem proferrent. Quanta unius Caroli Magni in hoc ſacro negotio munificentia? quot ille Epiſcopatus vel in ſolâ Saxoniâ fundavit? quot illuſtres ſanctimoniâ vitæ Epiſcopos primis ſedibus impoſuit?

At verò ubi ſe nova Huſſii, Lutheri, Zwinglii, Calvini, Mennonis doctrina cum novis illis auctoribus oſtendit, quantus illico animorum motus, & concitatio in Eccleſiâ? quæ ſummorum Pontificum ſtatæ legationes & ſupremæ curæ? quæ Conciliorum convocatio? quæ imperii comitia, & comitiorum æſtus? quæ Principum arma & fœdera? quæ Epiſcoporum ſollicitudines & congreſſus? quæ ex omnibus Europæ Academiis oppugnatio? ne in hanc fidei ſocietatem veniret, quod aliter venire non poterat, niſi ut omnem compagem & juncturam illius vetuſtiſſimi & pulcherrimi ædificii diſſolveret.

Quæ Apoſtolicis viris oblata eſt ad primum ingreſſum communio ab omnibus Galliæ, & Germa-

Digitized by Google

niæ Epiſcopis, eadem in Italia à ſummo Pontifice; nec enim alio ritu, aut in alia religione S. Willibrordum Sergius, nec S. Bonifacium Gregorius II. nec S. Willehadum Adrianus, nec S. Ludgerum Leo, nec alios alii Pontifices aut conſecrarunt, aut in has regiones deſtinarunt Epiſcopos, quàm quæ in Italia ab ipſis Apoſtolis fundata, & per ſucceſſiones SS. Pontificum ac Martyrum ad ipſos tranſlata erat. In qua equidem fundatiſſima illius cathedræ ſucceſſione, & perpetuitate ſupremi Sacerdotii; utî Eccleſia validiſſimum ſemper robur, & firmamentum ſuæ cauſæ habuit, ita ad eam contra omnes hæreſes appellarunt Patres, Tertullianus, Cyprianus, Irenæus, Optatus Milevitanus, Hilarius, Hieronymus, Lerinenſis cum omnibus œcumenicis Conciliis; quæque D. Auguſtini libera fuit provocatio:

Lib. contra Ep. Fund. c. 4.

Tenet me in Eccleſiâ, ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum, ſucceſſio Sacerdotum. Eadem ad hanc uſque ætatem, & hunc Pontificem Alexandrum VII. appellatio tenuit.

Lib. de Præſc.
l. 4. Ep. 8.

A Matrice & Originali Eccleſiâ, utî Romanam compellant Tertullianus & Cyprianus, eadem ſucceſſio & propagatio, veluti in venas *corporis* Chriſti, *quod eſt Eccleſia*, deducitur:

Col. 1.
Eph. 1. & 4

Quando ex Moguntinâ Eccleſiâ ad S. Creſcentem; in Colonienſi & Tungrenſi ad S. Maternum; in Trevirenſi ad S. Eucharium, in Metenſi ad S. Clementem, in Tullenſi ad S. Manſuetum, in aliis Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ & Italiæ Eccleſiis pari modo ad ipſos vel Chriſti, vel Apoſtolorum diſcipulos per innexam Epiſcoporum ſeriem, & doctrinæ perpetuitatem appellamus. Nihil ſimile in ulla hæreſi hujus ſæculi aut exhiberi, aut per ſpeciem veriſimilitudinis obtendi poteſt, ut non ſit mirum compelli Cabeljavium ad Berengarii & Waldenſis ſectam, veluti ad vanum deſperationis aſylum ſe recipere: & quò ultra Berengarii

ætatem

Digitized by Google

ætatem ſe extendet? hîc rupta eſt catena hæreſis, hîc Cabeljavius hæret ad ſpatium imaginarium deductus. Quòd ſi quæras, quomodo Reformatorum Religio à Berengario, à Waldenſium ævo in omnibus cohæreat cum Berengarianis & Waldenſibus; hîc eadem ruptura & lacuna. Sive doctrinam per ſingula ſpectes, ut ſuprà oſtendi, ſive ſucceſſionem Sacerdotum & Epiſcoporum deſideres; quæ enim Miſſæ, quæ poteſtas ordinis, quæ juriſdictio à Waldenſibus ad Calvinum ducta? aut ab illis ad Apoſtolicos Epiſcopos ac Sacerdotes transfuſa. *Edant hæretici origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem Epiſcoporum, ita per ſucceſſionem ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus ex Apoſtolis, aut Apoſtolicis viris habuerit auctorem.* Ex eodem veſtigio Tertulliani Optatus Milevitanus Epiſcopus. *Vos veſtræ Cathedræ originem oſtendite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vendicare.* Hîc novarum religionum artifices inter binos illos ſcopulos illiſi ſunt, ut poteſtatem ordinis, & juriſdictionem (in quâ ſucceſſionis vis poſita eſt) in ſuis Miniſtris, & in illâ ſerie, utî Catholici, oſtendant. Eædem ſunt anguſtiæ ſi miſſionem exigas, ſitnè ordinaria, an extraordinaria; mediata, an immediata. Hîc Caudinæ furcæ, & intercluſæ Samnitium fauces. Nullus Prædicantum tam ingenioſus adhuc repertus eſt, ut exitum inveniret. Si Cabeljavius, qui nova machinamenta ſpondet, patefacere poſſit, inter rerum atque artium novarum inventores referri poterit. Interea premit Auguſtinus: *Videtis certè multos præciſos à radice Chriſtianæ Societatis, quæ per ſedes Apoſtolorum & ſucceſſiones Epiſcoporum certa per orbem propagatione diffunditur, de ſola figura originis ſub chriſtiano nomine, quaſi areſcentia ſarmenta gloriari, quas hæreſes, & ſchiſmata nominamus.* Liceat nobis cum Tertulliano adverſarios convenire. *Qui ergo eſtis vos? unde & quando veniſtis?* Liceat cum Hilario:

Lib. de Præſc.

Lib. 2. cont. Parm.

Epiſt. 42. tom. 2.

Lib. de Præſc.

Digitized by Google

Epiſt. ad Panim. & Ocean. *Lib. 6. de Trinit.*

lario: *Tardè mihi hos piiſſimos Doctores ætas nunc hujus ſæculi protulit.* Liceat cum Hieronymo: *Quiſquis es aſſertor novorum dogmatum, quæſo te, ut parcas Romanis auribus. Parcas fidei, quæ Apoſtolico ore laudata eſt. Cur poſt quadringentos annos docere nos niteris, quod antè neſcivimus, uſque in hanc diem ſine veſtra illa doctrina Chriſtianus mundus fuit.* Itanè verò illa appellatio ad quadringentos annos tantum præſidii habet? quantum habitura eſt, quæ ad mille ſexcentos annos porrigitur in Eccleſia Moguntina, Colonienſi, Trevirenſi: Ad mille trecentos annos in Eccleſiâ Santenſi à Conſtantino Magno, ejuſque matre Helena; à quâ illa admirabilis fabrica templi: ſupra mille annos in Ultrajectenſi Eccleſiâ, quando jam tempore Clodovei, & Heraclii ædes ſacra S. Thomæ Ultrajecti à Chriſtianis ſtructa erat, ſuper cujus rudera per Friſones ſubverſæ S. Willibrordus, & S. Swibertus novam templi molem erexêre. Niſi nos magnoperè fallat S. Marcellinus, qui præſens omnia ſpectavit, & ſexaginta quinque annos, ut ipſe de ſe memorat, aut ut S. Ludgerus ſupra ſeptuaginta annos, magnarum virtutum & prophetici ſermonis plenus, & miraculis conſpicuus (de quibus idem S. Ludgerus, cui & Epiſcopatum prædixit) in vineâ illâ excolendâ ad ſupremum ſenium expendit; commoratus ut plurimum Daventriæ, ubi & cum S. Lebuino ſepultus quieſcit. Covordiæ, Aldenſaliæ, totam illam gentem Tranſiſulanam cum S. Lebuino, Plechelmo, Gerhardo, Onone, Adalgero ac S. Ludgero cæteriſque Sacerdotibus ad Chriſti leges & ſacra traduxit. Prætermitto Scriptores quamplurimos, tabulas, antiquitatis monumenta; Palatium Neomagi à Carolo Magno, & Francorum Auſtraſiæque Regibus frequentatum: ex quibus in ſingulis Hollandiæ Provinciis, è parœciis horum omnium, fides ſe aſſeret.

S. Marcell. Brouwerus in ſiderib. de S. Ludg. ann. ad c. 6. Surius.

Hic

Hic ut novarum religionum auctores ſimulationum involucra ad populum ferant quid obtendunt? Id, quod priſci hæretici, Auguſtino teſte: *Illa*, inquiunt, *Eccleſia, quæ fuit omnium gentium, periit.* *In Pſ. 10 con. 11.* Nimirum à S. Gregorii Magni ævo ſublabi ſenſim cœpit, admiſſiſque rimis tota demum in ruinam procubuit. *Hoc dicunt illi, qui in illâ non ſunt. O impudentem vocem! illa non eſt, quia tu in illa non es, vide ne tu ideo in illa non ſis; nam illa erit, etſi tu non ſis. Hanc vocem abominabilem, & deteſtabilem, præſumptionis & falſitatis plenam, nulla veritate ſuffultam, nulla ſapientia illuminatam, nullo ſale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, pernitioſam prævidit Spiritus Sanctus.* Quam idcirco multis argumentis, & Scripturæ teſtimoniis retundit S. Auguſtinus. Certè ut largiamur adverſariis noſtris tantiſper cum Tertulliano. *Quoquo modo ſit erratum, tàm diu utique erravit error, quàm diu hæreſes non erant, aliquos videlicet Marcioniſtas & Valentinianos liberanda veritas exſpectavit.* *Lib. de Præſcrip.* Ita prorſus noſtrâ ætate inquiunt, aliquos Lutheranos, Calvinianos, Zwinglianos, Puritanos, Anabaptiſtas *liberanda veritas exſpectavit*, imò verò aliquos ex quadraginta ſectis in Angliâ, inter quas quatuor Principes, & aliarum fontes, de quibus accuratus Reformatæ Religionis ſcriptor Honorius Regius. Quæſo, quos ex his ſerò tandem, ac poſt mille annos in Belgio, Hollandiâ, Angliâ, Saxoniâ, Friſiâ, & totâ Germaniâ ex illo tenebrarum carcere *liberanda veritas exſpectavit?* Omnes has ſectas ſimul? an unam aliquam ex his omnibus? eamque ſelectam præ reliquis, & à Spiritu Sancto deſignatam, proindeque ſecuriſſimam de ſuæ fidei integritate. Reformatam dicet Cabeljavius. At quam reformatam? Gomariſtarum an Arminianorum? Novum ſtultitiæ figmentum, & integumentum erroris, ex quo ſe nunquam evolvent. Quicquid enim una ſecta obtendit, idem

ugust. in il. 80. alia atque alia, idem omnes ſimul; nullo potiore jure, quam hæreſis præ hæreſi. *Opinio diverſa, vanitas una eſt; qui per fallaciam veniunt, quam fidem diſputant?* quærit Tertullianus. Quam Scripturæ interpretationem? quam ſucceſſionem? quam peculiarem Spiritus Sancti aſſiſtentiam? quam conſcientiæ tranquillitatem? quam reformandi legationem? ô poteſtatem, una ſecta jactabit præ aliâ?

b. de ſc.

Pſ. 47. n. 3. *Non inſultent hæretici per partes conciſi, unitatem promiſit Deus, reges in unum collecti, non per ſchiſmata diſſipati ſunt.* Auguſtini monitum eſt.

Non defuere multi ſapientes viri ex adverſâ religione, qui ex concordiæ ſtudio, & novitatis tædio, cùm hanc ſerpentem, & quotidiè increſcentem religionum gangrænam viderent, publicis ſcriptis teſtati ſunt, conſultiſſimum ſibi videri, in antiquâ religione ſemel à Majoribus accepta, & ab his Apoſtolicis viris tradita, conſtanter perſiſtendum eſſe, neque ullum capitalem, aut neceſſarium religionis articulum, quo ſubſtantia, ut dicimus, violetur, immutandum eſſe. Verùm ſi Sacerdotium, ſi ſacrificium, ſi poteſtatem ordinis, ſi Eccleſiæ Hierarchiam, ſi controverſiarum judicem, ſi Conciliorum auctoritatem, ſi Eccleſiæ viſibile caput, ſi magnam partem Sacramenta, ſi Catholicæ Eccleſiæ ſocietatem, ſi innumera denique alia, quibus nervus religionis inciditur, pro cujuſque ſectæ libertate tollas, quo tandem modo ac via conſilium illud quantumvis in ſpeciem ſaluberrimum confici poterit. Novum rurſus integumentum inſanabilis plagæ. cùm quinam illi ſint articuli neceſſarii nemo ſibi ex his ſectis certò præfiniat, neque ab infallibili Eccleſiæ judice & judicio (in quo cardo rei verſatur) ſibi præfiniri patiatur. Nullus hic exitus, niſi ad Eccleſiam Catholicam, undè omnes hæreſes

oan. 2. exierunt; fiat reditus. *Tenenda eſt nobis Chriſtiana Religio, & ejus Eccleſiæ communicatio, quæ Catholica*

lica

Digitized by Google

lica eſt, & Catholica nominatur, non ſolùm à ſuis, ſed etiam ab omnibus inimicis. *Aug. de verâ rel. c. 7.*

Quòd ſi nunc exigas, apud quam ex omnibus illis ſectis ſit Eccleſia Catholica. Hîc omnes illæ ſectæ unâ contentionis voce eam ſibi vendicant, ſimulque tantùm inter ſe diſſident, & pugnant, quantùm extrema cum extremis. In uno ſolùm concordes, ut Catholicos, & veram Eccleſiam oppugnent. Cæterùm toti inter ſe diſcordes, ne à priſcis hæreticis ſint diſcordes, qui ſimul ac nati exortique ſunt, in varias continuò partes factioneſque ſciſſi abierunt. Perinde ut de Simonis Magi, & Valentini hæreſi Irenæus [a] de Marcionitis, & Montaniſtis Epiphanius[b], de Manichæis Auguſtinus[c], de Meſſalianis Epiphanius [d] & Theodoretus[e], de Arianis in Acananos, Macedonianos, & Eunomianos diviſis, diſtractiſque Ruffinus[f], de Eutychianis Evagrius[g], atque ut S. Auguſtinus [h] Donatiſtas in minutiſſima fruſta conciſos deprehendit, qualis in Angliâ novâ illa religio modò conſpicitur; ita Hilarius Arianos ſingulis annis fidem ſuam immucaſſe ſcribit in conſtanti illâ ad Conſtantium Imperatorem oratione: quam mutationem cùm Auguſtana Confeſſio decies immutatá, & alia ſemper à ſe recuſa, utcunque referre poteſt; tum Anabaptiſtarum cumprimis hæreſis in tot ſectas pro inſanientium hominum vertigine diſcerpta exhibet. In Catholicâ Chriſti Eccleſiâ fidem, utî togam Chriſti ſine ſuturâ, & ſciſſurâ poſſidemus: in regno hæreſis fatale pallium ab Ahiâ in partes conciſum, utî tùm profecto hebræa religio cum regno fœdo dilacerata eſt. Quàm idcirco diſpar concordiæ facies apud Catholicos, & in Catholicâ Eccleſiâ; in quâ, uti apud omnes nationes, omnia in unam religionem à Spiritu Sancto ſunt collecta & colligata, ita omnia ſtant immota per Majorum fidem, continua per traditionem, firma per poſſeſſionem, ſolida per conciliorum auctori-

a *lib.* c. 5
b *lib.* 1. *tom.* 2.
c *lib. de hær. c.* 46.
d *Hæreſi* 8.
e *lib.* 4. *de hæret. fab.*
f *lib.* 5. *hiſt.*
g *lib.* 3. *hiſt.* & 4.
h *lib.* 1. *de Bapt. c.* 6.

3 *Reg.* 11.

ctoritatem, perpetua per tot ſæculorum ætates, inhærentia per ſucceſſionem Epiſcoporum ac Sacerdotum. Nec fides Eccleſiæ Catholicæ è ſuâ ſede
d Timoth. 3. unquam commoveri poterit, *Quæ columna & firmamentum eſt veritatis*, ut fruſtrà ſe fatigent tot conſpirantes hujus ſæculi hæreſes, fruſtrà cum his Cabeljavius ad immotam Eccleſiæ Petram ſe allidat.

Hæc paucis & candidè ad ſeptem controverſias, & obtruſam diſceptationem verbo ſcriptoque habitam, quæ tàm inani plauſu ſparſa eſt in vulgus,
Eph. 4. non alio ſanè animo & deſiderio, quàm *ut occurramus omnes in unitatem fidei*, & veritatis cognitionem, quam equidem quęſieritne Cabeljavius in tam turgido ſcripto, & in illis contra Catholicos obtrectationibus, cui veriſimile? Longè ſubmiſſiùs veritas & quæri & inveniri ſolet. Quò plus acerbitati indultum, eò inanior viſus eſt auctor: habent hoc vaſa vacua, ut magis ſonora ſint, quàm cùm plena ſunt. Ego ſi quid verbo læſi acerbiùs, aut jeci liberiùs, ignoſcet D. Cabeljavius, & æquo feret animo. Provocator eſt, in Comitem benignus, in Catholicos acerbus, in PP. Societatis amarus, in Sanctos injurius. Quæ ſubinde miſcui, dicta eſſe volui, non convitia, non illius temperamento, ſed meo. Quo quis ſono ſylvam percutit, eò ſe tono Echo repercutit, ſed leniùs. Ita ſanè ego mea malui, & Provocatoris frangi. Si quid reſpondent, excipiam, & componar, quanquam Auguſtini monitum jam
lib. 8. de Civit. Dei 4. ad Marcell. meum ſit præſagium. *Quis*, inquit ille, *diſputandi finis erit, & loquendi modus, ſi reſpondendum eſſe reſpondentibus ſemper exiſtimemus: Nam qui vel non poſſunt intelligere quod dicitur, vel tam duri ſunt adverſitate mentis, ut etiamſi intellexerint, non obediant; reſpondent ut ſcriptum eſt, & loquuntur iniquitatem, atque infatigabiliter vani ſunt; quorum dicta contraria ſi toties volumus refellere, quoties obnixa fronte ſtatue-*

Digitized by Google

ſtatuerunt non curare, quid dicant, dum quocumque modo noſtris diſputationibus contradicant, quàm ſit infinitum & infructuoſum vides.

FINIS
Diſceptationis ſeptem
Controverſiarum.

REGULA

Digitized by Google

REGULA Viva & vera,

Cabelſavio oblata.

HÆreſes in Eccleſiâ orituras denuntiavit Chriſtus & Apoſtoli; res certa & explorata. Ecce teſtimonia. Matth. 7. *Attendite vobis à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium.* Matth. 24. *Multi Pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos.* 1 Cor. 11. *Oportet eſſe hæreſes.* 2 Pet. 2. *Fuerunt verò & Pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis.* 2 Cor. 11. *Pſeudo-Apoſtoli ſunt, Operarii ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti, & non mirum, ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis, non ergo mirum ſi Miniſtri transfigurentur, velut Miniſtri juſtitiæ.* Ait ſecundò Paulus: *Ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* Omitto alia vaticinia. Cœpit lamentabile hoc diſſidium & fatale bellum jam ab ortu Eccleſiæ, vivis adhuc Apoſtolis, & Diſcipulis Chriſti. Inter hos Marcion Polycarpo obviam factus, & rogitans: cognoſcis nos? At Polycarpus, cognoſco, inquit, primogenitum Diaboli. Exinde ſingulis propemodum ſæculis aliæ atque aliæ ſine numero ſectæ & hæreſes. Hoc noſtro ſæculo ac ſuperiore, quàm fœdè Anglia, Polonia, Dania, Suetia, Hollandia, Saxonia, ac tota ferè Germania diſcerpta & lacerata: tot hæreſes, quot

quot fœta vix Arianorum ætas tulit. Heu quanto, & quot animarum interitu! & quando finis? niſi cum Antichriſti, & mundi excidio. Auguſtinus: *Quantùm accedit finis mundi, creſcunt errores, crebeſcunt terrores, creſcit iniquitas, creſcit infidelitas.*

Chriſtus, qui ut ſapiens Architectus, Matth. 7. Eccleſiam ſuam ſupra ſolidum fundamentum, & Matth. 16. ſupra immobilem Petram fundavit, ut *columna* eſſet, & *firmamentum veritatis*, contra inferorum portas, & hoſtes Eccleſiæ, cumprimis hæreſes, eâdem etiam ſapientiâ, & Providentiâ divinâ firmiſſimum præſidium, immutabile principium, ac refugium, veluti anchoram inter hos perpetuos ac præviſos fluctus, & motus dedit. Illud verò firmamentum omnes ſancti Patres ac Theologi in infallibili & immutabili Eccleſiæ judicio collocatum agnoſcunt, & commendant. Quo ſublato nec Chriſtus ſapienter Eccleſiæ ſuæ, nec fidelibus inter has turbas agitandis conſuluiſſe videri debet. De cujus tamen hac voluntate, ſapientiâ, providentiâ, ac potentiâ nulli, præterquam Atheo dubium, eſſe poteſt: Nam ſi quicquam incredibile eſt, tùm verò illud, Chriſtum fundaſſe Eccleſiam ſuam ſupra Petram, eamque deinde tàm glorioſam, & formoſam præ Synagogâ rectiſſimè ordinaſſe in omnibus, & ſimul haſce hæreſes prævidiſſe, nec tamen in hiſce controverſiis infallibilem regulam, & judicem cum infallibili auctoritate, & aſſiſtentiâ Spiritus Sancti reliquiſſe, qui litigantes haſce partes immutabili ſententiâ, eaque viva & clara, decideret & componeret: adeoque Suarez pronuntiat liberè; hujus animatæ Regulæ tantam eſſe neceſſitatem, ut ſi ea non eſſet in Eccleſiâ, impoſſibile fore, ut Eccleſia inter has præviſas hæreſes conſervari poſſit. Quocirca erranti, & litiganti primùm quærenda eſt vera Chriſti Eccleſia: Inventâ Eccleſiâ, invenitur infallibilis judex controverſiarum cum

aſſiſtentiâ

Digitized by Google

aſſiſtentiâ Spiritus Sancti, & infallibili ac vivâ Regulâ: Inventâ hâc regulâ invenitur demùm veritas, & quies conſcientiæ ad ſalutem. Id nunc digito tantùm intento oſtendam Cabeljavio ex falſis, utî ipſemet ponit, principiis de præſentiâ Chriſti in Euchariſtia; in qua controverſia, ut Scepticus Philoſophus oberrat, ut nihil certi, nec pro ſua ſecta, nec pro Catholica fide ſtatui velit, & quod conſequitur novam ſectam de arte non credendi ſeu nihil certi credendi fabricat. Qualis jam ſecta in Anglia Independentium proles inter Scepticos, ſive Quæſtioniſtas, Quærentes, & Exſpectantes latè ſerpit. Qui omnia Religionis Capita in dubium vocant, nihil certi ſtatuentes, niſi libertatem conſcientiarum, & Prophetiæ.

I. Ergo controverſiam de præſentia Chriſti in Euchariſtia Cabeljavius decidi vult ex Scriptura. Rectè. Sed quæramus primùm ex qua Scriptura; Materiali an Formali? In Materiali, quæ conſiſtit in nudis verbis & nuda litera, facilè convenimus Catholici, Lutherani, Zwingliani, Reformati, Anabaptiſtæ, Puritani, cæterique diſſidentes, iis duntaxat exceptis, qui Scripturam rejiciunt, aut in paucis demutant & truncant. Reſtat ergò Formalis Scriptura, quæ in vero verborum ſenſu, interpretatione, & explanatione poſita eſt, atque hæc anima & vitalis ſpiritus eſt Scripturæ, *Litera enim occidit, Spiritus autem vivificat.* Hic Lapis offenſionis, & Petra ſcandali eſt. Proinde Hilarius lib. 2. de Trinit. *De intelligentiâ hæreſis eſt, non de Scripturâ, & ſenſus, non ſermo fit crimen.* Eadem Auguſtini ſententia de Gen. ad lit. lib. 7. c. 9. *Omnes Hæretici Scripturas Catholicas legunt, nec ob alias cauſas hæretici ſunt, niſi quod eas non rectè intelligentes ſuas falſas opiniones contra earum veritatem pervicaciter aſſerunt.* Eadem in variis locis tradit, cum reliquis PP. quos longum eſſet referre. His poſitis, quæritur

2. Cor. 3.

tur

tur infallibilis judex, ac regula de vero ſenſu horum verborum: *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus.* Nec alia regula quæri aut dari poteſt, quàm infallibile Eccleſiæ judicium.

Nam tametſi *Quoad ſe* unus certus & infallibilis ſenſus à Chriſto & Spiritu Sancto ſit intentus, ac poſitus: quæritur tamen, unde ille ſenſus *Quoad nos*, isque infallibilis ex infallibili Regula ſit capiendus. Ut diſſidentes partes conveniant in uno vitali ſpiritu: idem eſt de Canone Scripturæ. Nam alius eſt Canon, *Quoad ſe*, alius *Quoad nos*. Idem eſt de cæteris controverſiis à Cabeljavio & Reformatis Auctoribus motis. Hic denuò infallibilis judex & viva regula petitur de formali Scripturâ, quam materialis dare non poteſt, cùm muta ſit regula.

II. Docet Cabeljavius: Verbum *Eſt* in hac propoſitione; *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus.* Figuratè accipi poteſt, ut ſenſus ſit, *Hoc ſignificat corpus, & ſanguinem meum.* Probat. Quia in multis Scripturæ locis ita accipitur. Ut his: *Agnus eſt Phaſe, Petra erat Chriſtus, ſeptem Boves & ſeptem ſpicæ, ſunt ſeptem anni*, atque ita in aliis. Par apud eum ratio eſt de nomine. *Corpus, ſanguis*, & aliis, quæ etiam figuratè accipi poſſunt. Ergò, inquit, Catholici nihil habent certi ex Scripturâ. Accipiamus hoc. Quid ergo Reformati habent certius? Prorſus nihil. Vide nunc. Catholici enim, & Lutherani docent, in his propoſitionibus, *Verbum caro factum eſt, Hic eſt Filius meus dilectus, Spiritus eſt Deus, conceptus de Spiritu Sancto: Natus eſt ex Maria Virgine, paſſus eſt, crucifixus eſt, mortuus eſt, ſepultus eſt, aſſumptus eſt in cœlum*, verbum, *eſt*, propriè accipi. Quid ex his conficitur? quam nec Calviniſtas etiam quicquam certi habere: par eſt ratio, eaque evidens. Quid conſilii? Hærebimusne Sceptici tecum, & artem incerti credendi populo perſuadebimus?

Digitized by Google

mus? abſit. Hîc viva, & vera regula eaque infallibilis quærenda & adhibenda, de formali Scripturâ; ſitne propriè, an tropicè hîc accipienda.

III. Appellat Cabeljavius in hoc diſſidio ad Patres. Ab his enim ait, nobis figuratum ſenſum tradi, & ſcribi. Verùm nec illud conſilium procedit Cabeljavio. Primò, quia unicum infallibile principium credendi Reformatis eſt in Scripturâ; ergo ex Patribus peti non debet, quos homines erroribus obnoxios docent. Ita Calvinus lib. 4. inſt. c. 8. §. 6. 7. 8. & in variis locis, tum in Antid. ad 4. ſeſſ. Secundò, Quinam Patres figuram hanc docent? Omnes, an aliqui? Non omnes, illos enim nec producit, nec unquam producet, cùm Catholici integra volumina ex Patrum teſtimoniis pro ſuâ ſententiâ ſiſtant. Ergo minimum aliqui Patres id docuerint neceſſe eſt. Sed illi aliqui Patres non faciunt infallibile judicium, nec infallibilem regulam vivam, quam quærimus. Tertiò, Illa pars Patrum figuram tradit. Sed quomodo? Non ut ſolam figuram, ſed figuram cum reali præſentiâ, ut ſuprà retuli. Demùm fuerit aliquorum Patrum obſcurior ſermo, imò diſſenſus etiam, ut de Canone Scripturæ jam vidimus in Controv. tertiâ. Idcircò hîc requiritur infallibilis judex, & viva regula, nec alius eſt exitus. Quamvis Catholici nullum Patrem agnoſcant realem præſentiam unquam abjudicaſſe, ſed omnes prorſus Catholicam Doctrinam profeſſos eſſe, ut paucis oſtendi ſuprà; proinde, ſi qua hîc regula infallibilitatis ex ſanctorum Patrum conſenſu, ea Catholicis manet.

IV. Appellat Cabeljavius ad rationem, ad experimenta ſenſuum, ad abſurda, quæ per errorem comminiſcitur: Sed nec illud conſilium procedit ad infallibile judicium, & regulam vivam, & immutabilem. 1. Quod nec in proponendo, nec in definiendo ſit infallibilis auctoritas in [illegible]e. 2. Ratio

Ratio

tio apud Catholicos in contrarium evidens eſt. Quod aſſenſus fidei immobilis non nitatur ratione, experimentis ſenſuum, & abſurdis, quæ quiſque ex cerebro ſuo procudit, ſed infallibili auctoritate Dei revelantis, & Eccleſiæ proponentis, ut ex Theologis diſces de formali objecto fidei. Cæterùm veriſſimè Auguſt. Serm. 147. de temp. *Homini carnali tota ratio credendi, eſt conſuetudo cernendi.* 3. Nullus ſanctorum Patrum, nullus Theologorum, nullus intelligens remiſit nos ad rationem tanquam vivam & infallibilem regulam credendi in altiſſimis myſteriis fidei, quæ ſupra rationem ſunt, ut captivus intellectus ſit in obſequium fidei, ex præſcripto Pauli.

V. Appellat Cabeljavius ad Joannem Erigenam, ad Bertramum, ad Berengarium, & cæteros obſcuros Hæreticos, ut Waldenſes, veluti ad cœtus, & conſenſus Eccleſiarum. Neque hîc infallibilem regulam invenit; tùm quia hos omnes, qui à Berengario Sacramentariorum doctrinam ſecuti ſunt, tota Eccleſia Catholica ut Hæreticos proſcripſit, & in tot Conciliis damnavit, ut totius orbis conſenſus ſit pro Catholicis, tum quia Scriptura Calviniſtis eſt unica infallibilis regula credendi, ergo ex his damnatis hæreticis illa deſumi non poteſt.

Neque hîc ad ſcripta ſymbolica appellare licet, ſi conveniant cum Scripturâ, ut dicitis: ratio, quia illi auctores ſcriptorum ſymbolicorum homines fuere erroribus obnoxii. 2. De hâc convenientiâ infallibilis judex quæritur, & infallibilis regula, ex aſſiſtentiâ Spiritus Sancti, quam nec ſcripta ipſa, nec Scriptores, nec judicium Reformatorum Miniſtrorum dare poteſt, ut per ſe clarum eſt.

VI. Appellat Cabeljavius ad ſpiritum internum, & privatum, qui id conſcientiis eorum revelet. Ita pro Canone Scripturæ probando contendit, nec dubium, quin figuram Cœnæ ex eodem

ſpiritu

Digitized by Google

ſpiritu ſibi probari velit, aliàs perquàm anguſtus eſſet ſpiritus, qui tàm auguſta Sacramenta aperire non poſſet. Eadem Calvini appellatio lib. 1. c. 7. §. 1. 2. 4. *Non eſſe Eccleſiæ judicare, qui libri ſint canonici, ſed hoc ad ſpiritum internum pertinere.* Verùm neque ad hunc ſpiritum pro infallibili judicio, & regula appellatio dari poteſt. Primò, vel ille ſpiritus internus infallibile, vel fallibile judicium vobis dictat, & pronuntiat: ſi fallibile, non erit infallibilis regula, ſed ſpiritus fallax, uti ſpiritus eſt confuſionis. Si infallibile, jam præter ſcripturam datur aliud infallibile principium credendi in ſpiritu interno veſtro, quod rurſus eſt contrà principia Reformatorum. Secundò, illa non eſt idonea regula credendi, quæ omnibus contrariis ſectis æquè accommodatur: hoc autem habet ille ſpiritus, ergo. Nam & Lutherani, & Zwingliani, & Anabaptiſtæ, & Independentes, & Bruniſtæ, & Sociniani, & Enthuſiaſtæ, & quadraginta ſectæ in Anglia hunc ſibi ſpiritum eodem jure & contentione vendicant pro ſuis ſectis firmandis, & jam ex illo ſpiritu eò nonnulli progreſſi ſunt, ut Scripturam omnem ſacram abjiciant, & in ſolo ſuo ſpiritu interno *firmiorem ſe Propheticum Sermonem habere* glorientur. Tertiò, Hæc regula ex ſpiritu interno non ſufficit, nam ut experientia fert, nullus ex hoc ſpiritu eſt finis controverſiarum, & hæreſeon; quippe quò longiùs & liberiùs progreditur, eò pluribus ſectis orbis involvitur.
nt. 32. *Inimici noſtri ſint judices*, nimirum Thomas Edoardus in Gangræna: *Nulla hæreſis, blaſphemia, confuſio quæ non in Angliâ vel inveniatur, vel naſcatur. Reformatio ab uno extremo in aliud collapſa eſt, à Scyllâ ad Charybdin ventum à Papali ſuperſtitione horribiles, & damnatæ hæreſes introductæ*, Accedit inter cæteros Honorius Reggius, veſter de ſtatu Eccleſiæ Britannicæ in veſtibulo Commentarii. *Anglia his quatuor annis*

Digitized by Google

nis facta eſt colluvies & lerna omnium errorum & ſectarum. Nulla ab orbe condito Provincia tam parvo ſpatio tam monſtroſas hæreſes protulit, atque hæc. Epiſcoporum tempora intra 60. annos non niſi quatuor ſectas protulerunt. Principes ſint *Præsbyteriani, Puritani, Independentes, Bruniſtæ*, ex his *Anabaptiſtæ, Libertini, Ariani, Antiſcripturiſtæ, Chiliaſtæ, Antinomi, Manifeſtarii* ſive *Arminiani; Familiſtæ, Enthuſiaſtæ, Quærentes, Exſpectantes, Perfectiſtæ, Sociniani, Sceptici.* Et quos non fœtus hic ſpiritus peperit, ex quo à Catholicæ Eccleſiæ concordiâ diſceſſio facta eſt. *Eò quòd caritatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Hi ſunt fructus novi Euangelii. Auguſt: *Quæ pejor mors animæ quàm libertas erroris.* Non illo ſpiritu vertiginis emiſit Anglia Apoſtolicos Viros in Germaniam, Galliam, Hollandiam, Friſiam, à quibus primùm fidei lumen illatum, & gentes in unitatem fidei congregatæ ſunt. Quartò, Scriptura nullibi nos in controverſiis fidei ad hunc ſpiritum remittit: ſed in ambiguis ad Sacerdotes, qui pro tempore præſunt. Deut. 17. Ideo Eccleſiæ Deus dedit Paſtores & Doctores. *Non omni ſpiritui credendum, ſed probandi, an ex Deo ſint.* Aſſiſtentia illa ſpiritus in verâ & univerſali Eccleſiâ quærenda eſt, & ex eâ Regula viva & vera, de quâ agimus. Quintò, Admiſſo illo interno ſpiritu, ubi tandem illum inveniemus ſpiritum cum infallibili auctoritate? An in quolibet privato Miniſtro? an in qualibet Claſſi cum Conſiſtorio? an in toto cœtu particularis Eccleſiæ? an in Synodo Nationali? Credo id Cabeljavium nondum exploratè ſcire. Quicquid dixerit, quælibet ſecta in Angliâ & Germaniâ pro ſe obtendet. Tædet hæc deliramenta perſequi, per quæ omnis fidei certitudo tollitur, confuſio invehitur, & Atheiſmo janua laxatur. Benè Tertull.

1 ad Theſſal. 2.

1 Joan. 4.

Digitized by Google

raſ. *Hodiè credo. Cras Doctor, nullibi faciliùs proficitur, quàm in caſtris Rebellium.*

VII. Offert ſe appellatio ad traditionem Eccleſiæ pro Regulâ fidei. Sed ad eam non appellat Cabeljavius, nec appellari licet, pro figuratâ Cœnâ, aut pro canone, aut pro ullâ controverſiâ fidei, cùm Reformati cum Calvino verbum traditum, & traditionem rejiciant. Secundò, Cùm unica Scriptura ſit illis infallibilis regula, ad traditionem appellandi aditus interclufus eſt. Aliud Catholicis in verbo tradito præſidium. Cùm eandem auctoritatem habeat verbum à Chriſto & Apoſtolis dictum, quam habet ſcriptum. Modo Cabeljavius nobis non confundat traditiones Apoſtolicas, cum traditionibus Eccleſiaſticis, ac deinde naturam & eſſentiam verbi Dei penetret, prout abſtrahit à verbo ſcripto, & non ſcripto ſive tradito: ac deinde ad partes finitè deſcendat, videatque, quid ſcriptio, quid traditio naturæ verbi Dei apportet, quippe materiale ſignum nec auget nec minuit veritatem loquentis. Sed his non inhærebimus, cùm ad traditionem non confugiat Cabeljavius, niſi quatenus introducit abruptas & damnatas Berengarii & Waldenſium ſectas, in quibus nullam unquam perpetuam & continuam traditionem, aut ſymbolicæ ſuæ Cœnæ, aut ullius capitis, & articuli, in quibus à Catholicis diſſidet, proferre poterit. Quantum in hac traditione firmamentum cauſæ Catholicis! cùm Deus nunquam univerſalem Eccleſiam, in iis, quæ ad ſubſtantiam fidei & morum ſpectant, pro ſuâ providentiâ, & promiſſione, & fœdere, errare ſinat. E contra verò totus Orbis ex tot ſæculorum perpetuitate, & populorum conſenſu præſentiam Chriſti in Euchariſtiâ nobis in manus tradidit: aut certè tot regna & provinciæ, & tot ab Apoſtolis ætates nefandæ artolatriæ condemnandæ erunt. Sed nunc Regulam vivam potiſſimùm inquirimus, cùm & de

ipſâ

Digitized by Google

Ipſâ traditione ſæpè judicandum ſit Eccleſiæ; ſitn-a Chriſto & Apoſtolis; an aliunde, à certis Epiſcopis, Patribus, Doctoribus, aut particularibus Eccleſiis, ut cum Valentiâ alii Theologi obſervarunt, & ratio ipſa convincit, & in canone Scripturæ exploratum eſt, ut Controv. 3. oſtendi.

VIII. Quid nunc supereſt in hoc circuitu labyrinthi, ut Cabeljavio oberranti vivam & veram ad viæ exitum Regulam demus; expediam verbo. Concilia, eaque œcumenica. *Atque in hoc cardo eſt omnium controverſiarum, cum omnibus Hæreticis*, ut præter innumeros alios Theologos inquit Suarez; & præclarè oſtendit, diſp. de Fide, & de hâc ipſâ Regulâ ſect. 5. 6. 7. & in defenſione fidei ad Regem Angliæ. Hæc illa demùm viva & infallibilis Regula eſt, in infallibili judicio, & deciſione œcumenici Concilii, ad quam univerſalis Eccleſia contra omnes hæreſes appellavit. Ut S. Gregorius Magnus primis quatuor Conciliis, *Nicæno, Conſtantinopolitano*, *Epheſino*, & *Chalcedonenſi* eum ſe honorem deferre dixerit, quem quatuor Euangeliis; pro quorum auctoritate Patres & Sancti in Eccleſiâ exilia, carceres, & mortem ſubiêre. Neque primis illis Conciliis tantùm Spiritus Sancti aſſiſtentiâ contra Hæreſes Eccleſiæ adeſſe; & in iiſdem conſiſtere debuit, aliàs quàm abrupta & miſera, & anguſta fuiſſet Eccleſia Chriſti, ſi intra quatuor, aut quinque ſæcula tantùm proviſa eſſet à Chriſto. Sed ea aſſiſtentia ad infallibilem Regulam, uti promiſſa eſt à Chriſto. Matth. ult. Joan. 14. 15. 16. ad mundi exitum; ita ab Exordio Eccleſiæ per ſingula ſæcula, & tempora Eccleſiæ adeſt, eamque gubernat; & ſi ullibi ejus aſſiſtentiæ neceſſitas, ubi magis quàm in œcumenicis, & plenariis Conciliis contra hæreſes, & periclitantem Eccleſiam deſideratur? Hæc illa Regula eſt, quam omnes ſancti Patres, Epiſcopi, Doctores, Theologi, & Sapientes in

Digitized by Google

Eccleſiâ agnovere, in qua extremum præſidium & perfugium contra hæreſes quæſiverunt, niſi Cabeljavius ſuum judicium totius orbis & Sapientum judicio anteferre velit. Perinde ut de util. cred. c. 7. Aug. *Sine Duce irruis, & ſine Præceptore audes proferre ſententiam.* Hic ille judex eſt controverſiarum, qui & infallibili, & viva, & clariſſima voce ſententiam pronuntiat, ut partes litigantes demùm finitè, exploratèque ſcire poſſint, quid adjudicatum, quid abjudicatum ſit. Nam quid ad nudam Scripturam appellant ſine animatâ hâc Regulâ, & vivo Judice, perinde faciunt, atque ſi in lite civili duæ partes ad mutum Juſtiniani codicem cum pandectis appellent, alteraque legem pro ſuo privato judicio, altera pro ſuo cerebro interpretetur, altera affirmet, altera neget; quæ hîc deciſio? niſi mera altercatio, ſine fructu, & ſine exitu. Ita Hæreſes appellant ad Scripturam, inde lites & hæreſes ſine numero, & ſine termino: & dum Scripturam in ſpeciem attollunt, reipſâ peſſundant; ut ſapienter Auguſt. Hæreticos alloquitur lib. 32. c. 19. contra Fauſtum: *Videtis id vos agere, ut omnis de medio ſcripturarum auferatur auctoritas, & ſuus cuique animus auctor ſit, quid in quâque ſcripturâ probet, quid improbet; id eſt, ut non auctoritati ſcripturarum ad fidem, ſed ſibi ſcripturas ipſe ſubjiciat: non ut ideo placeat aliquid, quia hoc in ſublimi auctoritate ſcriptum legitur, ſed ideo rectè ſcriptum videatur, quia hoc illi placuit. Quo te committis anima miſera, infirma, carnalibus nebulis involuta?* Hoc illud firmamentum eſt in Eccleſia Catholica, quo toto orbe tam diverſæ nationes & populi in una religione continentur. Nam omnes hæreſes, quæ ſe ab Eccleſia & Conciliorum regula avulſêre, continuò in varias partes ſciſſæ ſunt, & hoc noſtro ſæculo tanquam fragilia vitra ad ſaxum alliſa diſſiliêre, teſtis Anglia, Hollandia, Saxonia. Eccleſia Catholica, quia columna eſt, & firmamentum

tum veritatis, hoc vinculo Spiritus Sanctus omnes gentes in concordia fidei poſſidet. Tolle hoc vinculum & firmamentum, quid erit Eccleſia, niſi chaos Hæreſeon. Et verò ſi in ſola Anglia adeoque Hollandia, anguſtis illis regnis, tot modò ſectæ intra unum ſæculum, quot futuræ demùm, ſi ut Catholica Eccleſia, toto orbe ſe fundant, & tot ſæculis conſiſtant. Sed hæc *ſecundùm altitudinem Satanæ.* Apoc.2. Ante Chriſti Mediatoris adventum orbem πολυθεΐα & innumerabilium idolorum falſa perſuaſione Dæmon ſeduxit: poſt Chriſti adventum, cùm mundum veri Dei cognitione illuſtratum ſciret, ad alias artes converſus, omnia ad ἀθεΐαν atque Atheiſmum inflexit; quò ſane omnes hæreſes tendunt, quæ deſertâ Eccleſiâ, & vivo oraculo, & regulâ Spiritus Sancti jam credunt, quod cujuſque animus & ſpiritus internus ſuggerit. Ut verò hanc Regulam, & Principium Fidei Catholicæ levetis, & veritatem hominum oculis ſubtrahatis, quid obtenditis ad plebem? hic magno apparatu & plauſu vos populo oſtenditis, ut ſoli Catholici cum ſuo Pontifice, Epiſcopis & Conciliis ſolùm ad ludibrium in ſcena producantur.

Dicitis primò, Multa Concilia cum Pontifice erraſſe, imò contraria prorſus decreta reperiri, eaque quæ ab uno Concilio definita, ab alio retractata eſſe; ad id integros cumulos errorum colligitis, & volumina ſcribitis, ſed quomodo probatis? uti Cabeljavius ſua? Catholici omnia hæc negant, & ſingula diluunt. Et ſi hoc unum principium de regula fidei verum ſit, ut veriſſimum eſt, omnia per ſe concidunt.

Dicitis ſecundò, Multos Pontifices flagitioſæ fuiſſe vitæ, nec proinde poſſe eſſe infallibiles in Conciliis judices. Ficulneum argumentum: fuerint octo vel novem malæ vitæ Pontifices, quos Baronius & Bellarminus non diſſimulant, tolſitne illa

vitaPontificum aſſiſtentiam Spiritus Sancti exConcilio & Eccleſia? pendetne infallibilitas à probitate vel improbitate vitæ? non minus, quàm poteſtas ordinis, & juriſdictionis, & ſucceſſio ipſa, non minùs quàm valor Sacramentorum à proba, vel improba Sacerdotis vita: res clara eſt intelligenti principia, ſed non plebeculæ, cui hæc terriculamenta ſunt, veluti avibus *in cucumerario formido* & μορμολύκεια.

ruch 6.

Dicitis tertiò, Vos humili & ſyncero corde Scripturas legere ad veritatem perveſtigandam; Deum verò pro ſua bonitate non permiſſurum, ut tales decipiantur, aut ſine Conciliis veritatem non inveniant. Magna Diaboli illuſio. Quomodo is humili corde legit Scripturas, qui ſuum judicium opponit & præponit judicio totius Eccleſiæ, tot Epiſcoporum, & Patrum, & Doctorum. Quaſiverò ſancti Patres ſine judicio & ſpiritu Scripturas legerint.

Dicitis quartò, ſi hæc infallibilis Regula admittatur in Concilio, fruſtrà erit ſcriptura, fruſtrà traditio; quæ cùm etiam regulæ ſint, prorſus ocioſæ erunt. Fallimini: non ocioſæ ſed operoſæ erunt, cùm Concilia ſecundùm eas regulas pronuntient. Neque hæc viva & animata Regula tollit mutam & inanimatam: Neque hæc viva Regula quicquam proponit aut definit per novam revelationem, quod jam antè vel in ſcripto vel tradito verbo non ſit revelatum. Lege Suarez citata diſp. & ſect. & cæteros. Jus civile ſcriptum, & jus canonicum regulæ ſunt; tolleſne ideò omnes judices, aut ocioſos dices judices cum utroque jure & legibus.

Dicitis quintò, Concila quæ nos ſiſtimus pro Regula, fuiſſe Romanorum Pontificum Concilia, Pontificem verò Antichriſtum eſſe, ita tuus Chamierius tanto volumine & molimine; & qui non è Prædicantum tribu: Negant Catholici, & ſi quicquam execrabile & incredibile, tum illud eſt Catholicis.

tholicis. Convenerunt totius Germaniæ, imò Europæ Legati Monaſterii, & præſentes inſpexêre Alexandri VII. mores, prudentiam, ac vitæ integritatem. Putaſne ullum ex his Legatis aut tum Antichriſti Legatum conveniſſe, aut modo Antichriſtum ipſum in Alexandro ſibi perſuadere. Hîc alia fides Prædicantum, alia Sapientum inter vos. Infelix ego, ſi Alexander Antichriſtus eſt, à quo in prima ejus ordinatione Coloniæ Sacerdos conſecratus ſum. Sed largiamur tibi hanc inſaniam tantiſper, donec ad concilia redeamus.

Quærimus infallibilem regulam in Concilio œcumenico: Pontificum, inquit Cabeljavius, ea Concilia fuere. Proinde nec Tridentinum, nec ullum aliud admittit; & tamen Concilium Apoſtolorum fuit, in quo ſcriptum legis: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*: Fuere poſt alia œcumenica *Nicænum*, *Conſtantinopolitanum*, *Epheſinum*, *Chalcedonenſe*, quæ recipitis: fuere rurſum alia ad Tridentinum uſque, in quo demùm Concilio aſſiſtentia Spiritus Sancti ab Eccleſia receſſit. Totus orbis, & Eccleſia ad Concilia œcumenica contra hæreſes appellavit, aut Cabeljavius, aut orbis inſaniit. *Act.* 15.

Quid nunc de veſtrâ Nationali Synodo ſtatuemus? Non jam quæro, an ſit legitimâ poteſtate convocata, an legitimi Sacerdotes & Epiſcopi collecti, cæteraque; ne criminandi ſpeciem feram, qui veritatem ſector ſine vulnere & acerbitate.

Hoc unum quæro: Illa auctoritas veſtræ Synodi Nationalis, fuitne *infallibilis* an *fallibilis* in proponendo & definiendo? ſi *fallibilis*, jam nemo illi credere tenetur, neque Catholici neque Lutherani, neque Arminiani fratres veſtri, neque ulla alia pars vobis adverſa: ſi *infallibilis* in eâ fuit auctoritas, jam præter Scripturam habemus aliud principium infallibile, quod eſt contra veſtram doctrinam, qui in ſolâ Scripturâ unicam regulam collocatis: ſi *in-*

fallibilis auctoritas in eâ, jam & in aliis legitimis Conciliis erit, maximè œcumenicis, quale tamen Nationalis veſtra Synodus nondum fuit: ſi *infallibilis* ejus Synodi auctoritas, quare nihil contra Catholicos in eâ definitur contra ſacrificium, poteſtatem ordinis, præſentiam Chriſti in Euchariſtiâ, communionem ſub utraque, Sacramenta, cultum Sanctorum, canonem Scripturæ, aliaſque controverſias, ob quas à Romanâ Eccleſiâ diſceſſiſtis. Quare ante infallibilem illam auctoritatem collectam diſceſſiſtis. Solùm hæc Synodus veſtra contra Arminianos fratres veſtros ſe collegit, & quinque tantùm capita decidit. Quorum primum eſt de Electione & Reprobatione: Secundum, de Redemptione per Chriſti mortem: Tertium & quartum, de corruptâ naturâ hominis, atque ejus reparatione: Quintum de Perſeverantiâ. Fuitne tàm anguſtus & arctus ſpiritus illius Synodi? ut nihil contra tot Pontificiorum errores & ſuperſtitiones, & blaſphemias, ut dicitis, definire auſus ſit, aut potuerit. Quantò ſapientiùs & conſultiùs Tridentinum omnes ejus temporis controverſias & hæreſes decidit & condemnavit, ut vel hinc videas Spiritus Sancti providentiam & aſſiſtentiam. Demùm ſi Synodus veſtra Nationalis *infallibilis* eſt ex Spiritus Sancti aſſiſtentiâ, ubi Epiſcopi in eâ Synodo? *Spiritus enim Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Act. 20. In quatuor primis Conciliis œcumenicis, quæ Calvinus recipit, tot Epiſcopos, eoſque ſolos ſubſcripſiſſe legis tanto numero, tantâ majeſtate & poteſtate ordinis & judicum, quantum Eccleſiæ auctoritas poſcebat. In Nicæno CCCXVII Epiſcopi, in Conſtantinopolitano CCCLXXXIII, in Epheſino CCCCXXXIV Epiſcopi, in Chalcedonenſi DCXXX Epiſcopi: iique ſoli, ut arbitri & judices in cauſis fidei. Percenſe cætera omnia Concilia, œcumenica, Nationalia, Provincialia; quanta in his Epiſ-

coporum

coporum ſubſcribentium ſeries & multitudo. Lateranenſe 2. mille Epiſcoporum fuit, qui ſubſcripſêre; Lateranenſe 4. mille ducentorum ſeptuaginta trium Patrum. Jam verò in veſtrâ Synodo Dordrechtanâ quot Epiſcopi? unus tantummodo Georgius Laudavenſis ex Anglia Epiſcopus; neque is tamen Synodo præſedit, ſed Paſtor Leoverdienſis: hujus Aſſeſſores Paſtor Amſtelodamenſis, & Paſtor Middelburgenſis. Neque is fortè fuit ex Reformatis Epiſcopus, ſeu Puritanis Anglis, qui Epiſcopos non habent, ſed ex Presbyterianis Angliæ. Quæro nunc ubi Concilium œcumenicum aut Nationale auditum unquam ex uno Epiſcopo? Agè, Vel Epiſcopi ſunt in Eccleſiâ Dei, vel non ſunt; ſi ſunt, quare nulli præter hunc unum in illâ celeberrimâ veſtrâ Synodo: ſi non ſunt, quare hic unus admiſſus? *Quare Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei?* Ubi regimen illud ſacrum, ibi poteſtas ordinis, & juriſdictio; ubi juriſdictio, ibi poteſtas judicandi. Ideo in primâ Eccleſiâ, quam incorruptam admittis, Epiſcopi conſecrati & convocati ad Concilia, ut controverſias fidei deciderent. Hil. lib. de Syn. Ambroſ. Epiſt. 32. Hieronym. lib. 2. Apol. contra Ruff. Aug. Epiſt. 119. Leo Epiſt. 16. & ſequentibus. Ruffinus lib. 10. Hiſt. c. 1. Athan. Epiſt. ad ſolit. vitam agentes. Euſeb. lib. 5. Hiſt. c. 23. aliique Patres qui aſſerunt *Concilia Epiſcoporum eſſe*. Hinc in Epheſina Synodo c. 32. *Illicitum eſſe eum, qui non ſit in ordine Epiſcoporum, Eccleſiaſticis tractatibus immiſceri.* In Concilio Chalcedonenſi ex Epiſtolâ Pulcheriæ jubentur *Clerici, Monachi, & Laici* vi repelli à Concilio, exceptis illis, quos Epiſcopi ſecum duxerant. Nec Archimandrita Martinus illi Concilio ſubſcribere voluit, quòd diceret *Epiſcoporum eſſe ſubſcribere.* Ac cùm in eodem Concilio pro Dioſcoro Monachi & Laici ingreſſi eſſent, ſæpius à Patribus reclamatum eſt: *Mitte foras ſuperfluos,*

ſtuos, Concilium Epiſcoporum eſt. Cætera Bell. expedit lib. 1. de Con. c. 15. Qualis nunc illa Synodus veſtra Nationalis ad infallibilem auctoritatem & regulam. Qui dicebant: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*, Epiſcopi erant. Cæterùm hanc Regulam animatam, & infallibilem auctoritatem pro controverſiis fidei decidendis, & neceſſariam eſſe, & à Chriſto ac Spiritu Eccleſiæ datam eſſe ad conſervationem Eccleſiæ, conſenſus eſt omnium ſanctorum Patrum, Doctorum & Theologorum, ut præclarè, explicatèque inter cæteros perſequitur Suarez diſp. 5. de fide, tùm ipſa Traditio, Conciliorum à Spiritu Sancto convocatio, experientia, & ratio evincit, fundataque eſt in Scriptura. Deut. 17. Malach. 2. Act. 15. *Viſum eſt & Spiritui Sancto & nobis.* Demùm recenſitis omnibus, nulla alia ſuper-eſt infallibilis regula. Quod autem hæc regula in œcumenico Concilio, cui ſummus Pontifex præſidet, quærenda ſit, eadem, quæ poſui revincunt argumenta. Cætera lege apud omnes Theologos, qui materiam de fide pertractant, quorum quàm innumeri? cumprimiſque Suarez citatâ diſp. ſect. 7. Atque in hoc præſidio Eccleſia Catholica, columna eſt & firmamentum veritatis. *Inde ſchiſmata & hæreſes oriuntur*, inquit Cyp. Epiſt. 69. *quod Epiſcopus qui unus eſt & Eccleſiæ præeſt ſuperbâ quorundam præſumptione contemnitur.* Eadem quoties repetit? *Unde ſcire debes Epiſcopum in Eccleſiâ eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo.* Inde hæreſes, quia, ut idem ait: *Unus non cogitatur Epiſcopus, qui vice Chriſti ſit judex.* Eadem Hieronym. contra Luciferianum. *Si non ſit in Eccleſiâ una eminens poteſtas, tot futura ſunt ſchiſmata, quot Sacerdotes.* Eadem Aug. de Bapt. contra Don. *Nobis tutum eſt, in ea non progredi aliquâ temeritate ſententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata ſunt; id autem ſit cura ſecuræ vocis aſſerere,* quod

Digitized by Google

quod in gubernatione Domini Dei noſtri, & Salvatoris Ieſu Chriſti univerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum. Operoſum eſſet omnia D. Auguſtini teſtimonia perſequi, etiam ea, in quibus petitur Apoſtolicæ Sedis auctoritas, ad ea confirmanda quæ in Conciliis Eccleſiæ Carthaginenſis ſtatuta erant, ut Epiſt. 90. ad Innocentium Pontif. Rom. Epiſt. 95. ad eund. Epiſt. 94. ad Hilar. Epiſt. 92. Concilii Milevitani ad Innoc. Papam. Non ego hoc ago jam, ut in hac brevitate Conciliorum auctoritatem ex omnium Patrum conſenſu ſiſtam, nec ut omnibus argumentis exhibeam, quibus ea auctoritas & regula fidei, à tot Theologis pertractata eſt. Sed ut verbo, & brevi inductione oſtenderem unicam tantam vivam & animatam Regulam, eamque univerſalem, ad omnes controverſias decidendas inquirendam eſſe, nec hanc aliam eſſe, quàm œcumenicum conſilium in Catholicâ Eccleſiâ.

Habes ergo ad ſeptem Controverſias à te motas, habes ad omnes alias Controverſias, quas contra Eccleſiam Catholicam tanto impetu fruſtrà movetis, immobilem Regulam, infallibile judicium, & immutabilem deciſionem. In his quieſcendum. Ultrò appellare non licet; Raſa tabula, vulgi rabula: quid faciunt in Cathedrâ? ut Scripturæ ſint fabula, quales quàm multi; vos tamen ſapientiores, quidquid tot chartis & libris, tot clamoribus & congreſſibus, tot diſputationibus & concionibus quotidiè verſatis, & quocunque tandem per omnem ingenii volubilitatem ſurſum deorſum obverſetis ad hanc metam, tandem velut ad columnam Herculis decurrit, nec ultrà progredi datur, ut vel ideò Eccleſia ſit *Columna & Firmamentum Veritatis*. Hic finis & limes eſt. Meum hoc non tàm conſilium quàm votum eſt, & deſiderium, ut omnes Hollandi & Friſones exerrantes ad eam Eccleſiam in unâ fidei concordiâ redeant, quam à SS. Willibrordo,

primo

primo veſtro Epiſcopo, Swiberto, Bonifacio, Adelberto, Wirenfrido, Wolframno, Lebuino, Marcellino, Ludgero, cæteriſque Apoſtolicis viris, & primis Paſtoribus animarum traditam acceperunt, & in quâ jam tot ſæculis, omnes Majores veſtri antè has religionis turbas ſalutem impensè quæſitam invenerunt. *Munus beatæ vitæ nonniſi intra Eccleſiam reperitur, quæ ſuper petrām fundata eſt. Hæc illa eſt Eccleſia ab ipſò Chriſto incboata, & per Apoſtolos provecta, certâ ſucceſſionum ſerie uſque ad hæc tempora toto terrarum orbe dilatata eſt.* Quam Apoſtoli *unam, ſanctam, catholicam pariter toti orbi præſcripſerunt.*

Aug. rm. ſup. 4. cum nmer. ib. 27. nt. Fauſtum c. 11.

Hanc Eccleſiam, ſi quærat Cabeljavius cum ſuis, *ſecundùm menſuram regulæ* à Majoribus datæ, & non *in aliena regula, in iis quæ præparata ſunt* à Novatoribus, inveniet verum judicem, vivam Regulam, certam ſalutis viam: nimirùm, ut Apoſtolus Galatis ſcripſit: *Quicunque hanc Regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia.*

Cor. 10.

d Gal. 6.

Vale, vide, & vive.

ERRO-

ERRORES TYPOGRAPHICOS
Abſenti Auctori ignoſcet prudens & benevolus Lector.

EPIST. DEDIC.

Scriptis, lege, ſeipſis.
deteriis, l. dicteriis.

PRÆF.

appellatis, l. appellatio.
πολολογεῖν, l. πολυλογεῖν.
ſed invito, l. ſed invicto.
Cœleſtinus, l. Cœleſtius, lib. 1. c. 5. contra Julianum.

CONTROV. I.

pag. 17. v. 24. poſſis, l. poſſit.
p. 27. v. 4. uti, l. ita.
p. 36. v. 11. ἐννήθημεν, l. ἐγενήθημεν.
p. 41, v. 10. ingenioſi, l. ingenioſe.
p. 43. v. 23. perfectorum, l. perfectionem.
p. 42. v. 25. eſt mutus, l. es mutus.
p. 50. v. 18. illam, l. illas.

CONTROV. II.

p. 68. v. 26. lex, l. ex.
p. 74. v. 5. quid, l. quod.
p. 76. v. 2. quodque, l. quod.
p. eadem, v. 18. toties, l. totus.
p. 77. v. penult. Illius, l. Illuſtriſſimus.
p. 81. v. 18. Græculus, l. graculus.

CONTROV. III.

p. 85. v. 20. faſcini, l. faſcinationes.
p. eadem, v. 21. Phœbe, l. plebe
p. 87. v. 4. Plauſi, l Plauti.
p. eadem, v. 7. menti[illegible]
[illegible]
p. 9[illegible] pellatum.
p. 101. v. 14. Præd. l. Pæd.

CONTROV. IV.

p. 106. v. 12. dirimendes, l. dirimendas.
p. 111. ἀλεθείας, l. ἀληθείας.
p. 117. v. 20. Hyppolytus, l. Hipolytus.
p. 125. oppoſito, l. oppoſitum.
p. 126. v. 25. Poſtores, l. Paſtores.
p. 128. v. 23. Nicæphorus, l. Nicephorus.
p. 130. v. 9. actiones, l. capita.
p. eadem, v. 35. Canones, l. Canone 6.
p. 131. v. 29. Pilſtii, l. Pighii.
p. 13[illegible]. v. 4. Atque, l. Atqui.
p. 134. v. 9. de quâ re Pighius.
p. eadem, v. 24. magni te eſt, l. magni apud te eſt.
p. 142. v. 6. Impeſtorem, l. Impoſtorem.
p. eadem, v. 32. in que, l. in quâ.
p. 144. v. 26. Hunc, l. Huc.

CONTROV. V.

p. 147. v. 28. Lutherum, l. Lutherus.
p. 148. v. 4. nutas, l. mutas.
p. 150. v. 1. longo, l. longa.
p. 153. v. 8. Petro-Druſiani, l. Petro-Bruſiani.
p. 154. v. 13. Vini, l. Viri.
p. 156. v. 31. Valerianus, l. Valeranus.
p. 157. v. 13. Andræas, l. Andreas.
p. 159. v. ult. Samone Garenſis, l. Samonæ Gazenſis.
p. 160. v. 1. Beſarionis, l. Beſſarionis.
p. eadem, v. 23. Æquivolentibus, l. æquivalentibus.
p. 166. v. 31. dici, l. dicitur.
p. 168. v. 25. communicationis, l. communicatio.
p. 169. v. penult. Sectanorum, l. Sectariorum.
p. 170. v. penult. refundi prædicatum, l refundi in prædicatum.

p. 175.

Digitized by Google

p. 175. v. 16. verba verbi, l. verba Chriſti.
p. eadem, v. 19. Chriſti & dicitur, l. Chriſti corpus & dicitur.
p. 179. v. 10. Bonif. l. Bonavent.
p. 180. v. 19. permicent, l. permeent.
p. eadem, v. 32. adhoc, l. hoc.
p. 182. v. 29. mantucæ, l. manticæ.
p. 193. v. 13. oppugnator, l. propugnatur.
p. 204. v. 12. Brixcenſem, l. Brixienſem.
p. 204. Corbricenſem, l. Corbrienſem.
p. 206. v. 8. extenſa, l. inextenſa.
p. 210. v. 28. Sudarent, l. Sudarunt.
p. 211. v. 15. ſacroſanctum, l. ſacroſanctum Sacramentum.
p. 214. v. 24. μετασοιχόω, l. μεταςοιχόω.
ibidem χεισῶ, l. χειςῶ.
p. 219. v. 28. poſſit, l. poſſint.
p. 222. v. 29. Euchariſti, l. Euchariſtia.
p. 223. quærimonia, l. querimonia.

CONTROV. VI.

p. 230. v. 2. ulina, l. culina.
p. ead. Gregorios, l. Gregoros,
p. 233. v. 25. præceptum, l. præceptum divinum.
p. 235. v. 14. Vobis, l. vobis dico.

CONTROV. VII.

p. 259. v. 22. interprotere, l. interpretere.
p. 260. v. 9. ferri, l. ferre.
p. 265. v. 7. Hechabitis, l. Rechabitis.
p. 265. v. 8 Redemptorem, l. redemptionem.
p. 273. v. 14. nugumenta, l. nugamenta.
p. 278. v. 5. ſolens, l. ſolem.
p. 289. v. 17. *Eccesia*, l *Eccleſia*.
p. 292. v. 18. *Kegina*, l. *Regina*.
p. 295. v. 13. Anſelmi Germani, l. Anſelmi, Germani.
p 305. v. 2. ſi perinde, l. perinde.
p. 311. v. 21. immucaſſe, l. immutaſſe.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Nomen Prædicantis [redacted] ſæpiùs pono, tametſi illi, ut audio, Miniſtri, [redacted] dici malint. Spero, ſine [redacted] partis offenſione, uſum obtinent, uſum ſecutus ſum; imò ipſe Cabeljavius, quoties in ſuo ſe libello Prædicantem ſcribit.

Digitized by Google